

Dette værk er downloadet fra Danskernes Historie Online

Danskernes Historie Online er Danmarks største digitaliseringsprojekt af litteratur inden for emner som personalhistorie, lokalhistorie og slægtsforskning. Biblioteket hører under den almennyttige forening Danske Slægtsforskere. Vi bevarer vores fælles kulturarv, digitaliserer den og stiller den til rådighed for alle interesserede.

Støt vores arbejde – Bliv sponsor

Som sponsor i biblioteket opnår du en række fordele. Læs mere om fordele og sponsorat her: <https://slaegtsbibliotek.dk/sponsorat>

Ophavsret

Biblioteket indeholder værker både med og uden ophavsret. For værker, som er omfattet af ophavsret, må PDF-filen kun benyttes til personligt brug.

Links

Slægtsforskeres Bibliotek: <https://slaegtsbibliotek.dk>

Danske Slægtsforskere: <https://slaegt.dk>

REGIA ACAD-
EMIA HAUNIENSIS

in

REGIBUS:
CONSERVATORIBUS:
RECTORIBUS:
PROFESSORIBUS

suis

repræsentata.

ERASMUS PAULI F. VINDINGIUS

ex

Regiis Foundationibus & Rescriptis,
Actis Academiae, Programmatis, &c.
collegit, disposuit, & suis sumti-
bus edi curavit.

HAUNIÆ;

Typis HENRICI GÖDIANI, Reg. & Academ.
Typographi.

ANNO MDCCCLXV.

Hoc quicquid est,
DEO
&
REGI
&
REGIÆ ACADEMIÆ
sacrum,

REGIÆ MAJESTATIS CANCELLARIO ET
REGNI CONSILIARIO

Illustr. Dn.

PETRO REETZ de Tygestrup,

Eqviti Aurato, Collegii Cancellariæ Præsidi,
Collegii Status Assessori, Hadelandiæ, Romerigæ,
Buskerudæ, Ringerigæ Governatori:

Quod in summis REGIS ac PATRIÆ negotiis inde
ab adolescentia continenter versatus, & ab AUGU-
STISSIMO REGE REGIÆ ACADEMIÆ
CANCELLARIUS & PRIMUS CONSER-
VATOR datus, in REGEM fide, in PATRIAM
caritate, in ACADEMIAM studio, nemini omni-
um, qui eo functi sunt munere, cedat.

ET

FAMILIÆ FINKIANÆ

TH. FINKII Med. Doct. & Professoris Regii

E Filio JACOBO Prof. Reg.

Nepotibus

THOMÆ FINKIO V. Cl.

JOHANNI FINKIO V. Cl.

Et Progenere

CHRISTIANO OSTENFELD Med. Doct.

& Profess. Reg.

E Filia **ANNA D. CASP. BARTOLINI**
Nepotibus

BARTOLO BARTOLINO Profess. Reg.
THOMÆ BARTOLINO Med. Doct. & Profess.

· Reg. Honorario:

CASPARO BARTOLINO I. U. Doct.
ERASMO BARTOLINO Med. Doct. &
Profess. Reg.

Et è Nepte ANNA D. JAC. MATTHIÆ
Pronepoti

MATTHIÆ MATTHIADÆ designato
Profess. Reg.

Et Ab-Genero

PETRO SCAVENIO J. U. Doct. & Profess.
Reg. Procuratori Generali:

E Filia **MARGARITA D. GEORG. FYRENI**
Nepoti

THOMÆ FYRENIO V. Cl.

Et Pro-Generis

JOHANNI SVANINGIO Theol. Doct. Regio.
Consiliario, Collegii Status Assessori, Con-
sistorii Præsidi, & Archiepiscopo:

CORNELIO LERKE Consiliario Regio &
Ex-Legato Hispanico:

E Filia **DOROTHEA D. OL. VORMII**
Pro-Generis

JANO SKELDERUPIO Episcopo Bergensi:

ERICO TORMIO Profess. prius Reg. nunc Pa-
stori Eccles. D. Virg. & Præposito:

E Fi-

E Filia DRUDA D. JOH. BROKMANNI

Pro - Generis

**MATTHIÆ FOSSIO Concionatori Arcis
Hauniensis :**

**MICHAELI HENRICIO Pastori Eccl. S.
Nicolai :**

**CHRISTIANO STEENBUKIO Profest.
Reg.**

**Patriæ, Academiæ, Ecclesiæ, Familiæ Ornamentis :
Quod is omnes sui ordinis, quos hic descripsimus,
acta diutissimè ætate ac munere, sobolisq; felicitate,
cætera par Clarissimis, supergressus sit :**

Officiosissimo studio offero :

**Cæterisq; Felicissimi Viri Pronepotibus CRANME-
STERO I. MATTHIADIS II. BARTOLI-
NIS XI. FYRENIO I. SVANINGIO I. SKEL-
DERUPIIS IV. TORMIIS II. BROKMAN-
NIS III. FOSSIIS II. MARTINIO I. MICHA-
ELIIS II. STEENBUKIO I. & Abnepotibus
VINDINGIIS II. ad simile decus partim surgenti-
bus, partim crescentibus, successum voveo**

**Ejusdem per Neptem è Filio Pro-Gener, & per Pro-
neptem è Filia Nepteq; Ab-Gener**

E. P. VINDINGIUS.

B.L.Sta-



B. L.

STatui hoc opere ab oblivione hominū atq; silentio multos vindicare, qui vel vita decesserunt, vel etiamnum superstites aliquando hinc discedent: & aliis exemplo præire, ne patiantur bene de rebus humanis meritos ita humo condi, ut una cum corporibus memoria quoq; sepeliatur. Serenissimorum verò REGUM vitæ regniq; cursum hic persequutus non sum; nam Historiam non scripsi publicam, quam ille absolvit; sed tantum ad institutum meum breviter & sine pompa, quæ ad Academiam spectabant, annotavi. In Professoribus eum sequutus sum ordinem, non quo quisq; ad Professionem vocatus est, aut jure senii Academici gaudet; sed quo nomen suum singularium Constitutionum Academicarum libro inscripsit, ex quo hoc institutum ab an. 1598. in Academia invaluit. Cæterum vix quicquam hic meum est, præter colligendi disponendiq; laborem. Ex publicis tabulis, Programmatis, Actis Academi-

mi-

micis, & iis quæ viventes, de se, quantum sua
cujusq; modestia ferebat, scribenda, benigne me-
cum communicarunt, omnia descripta: in qui-
bus quicquam mutare pene religio fuit. Ea au-
tem ut diversos & diversorum temporum scri-
ptores habent: ita varia dictione scripta esse mi-
rum non est. Ne igitur, quæso, te offendat
styli inæqualitas & dissimilitudo. Porro mira-
beris forte pauciora hic recenseri Scripta, quam
pro numero, eruditione & ingeniis tot doctissi-
morum virorum; verum paucitatem excusabit
ratio Typographicarum apud nos officinarum:
in quibus nihil fere editur, nisi quod Auctorum
sumtibus constet; quos tamen facere, redituum
aut rei domesticæ ratio sæpe prohibet: hinc fit,
ut multa luce dignissima, magnaq; industria ela-
borata, vel scombris ac turi destinentur, vel à
tineis ac blattis consumantur. Denum admissa
vel omissa in describendo, sic restitue.

Pag.

Pag. 17. l. antep. l. Bibliothecario. p. 22. post l. ult. adde: An. 1507.
 disputavit Nobilis Lago Urne, Artium & Decretorum Doctor,
 Roëskildensis Cantor, Lundensis & Arhusiensis Canonicus, de Im-
 munitate Ecclesiarum, in majori domo Consulatus Hauniens. in
 præsentia Legatorum Regis Scotiæ & aliorum, summa cum laude.
 p. 29 l. 8. l. sine. p. 35. l. 15. l. vixit. p. 36. l. 4. l. Krastrup. l. 17. l. paren-
 tis. l. ult. l. modernæ. p. 37. l. 9. l. generositatem. p. 38. l. 4. l. Boikhol-
 mii. p. 39. l. 15. pro Abiit l. Anno. p. 55. l. 21. adde: An. 1492. Cum Re-
 ctor Universitatis & Vice-Cancellarius esset, missus est cum Dn. Jo-
 hanne Jacobi, Præposito in Dalby, Cancellario Regis, & 12. Sociis à
 Rege JOHANNE, ad Regem Romanorum, ad Regem Sveciæ, ad
 Regem Angliæ, & ad Regem Scotiæ, cum quadam pacificatione.
 p. 57. l. 6. adde: Eo Rectore an. 1492. feria 2. ante conversionem Pau-
 li, Esbernus Schave Proconsul Hafniensis in Placito publico co-
 actus fuit literis Regiis restituere Universitati antiquam domum
 Consulatus, à Rege CHRISTIANO I. pro usu Universitatis con-
 cessam, quã priore anno manu violenta, absentibus Rege & Regina
 Consulatus Hauniensis receperat. p. 59. l. 23. post illius adde: se. p. 63. l. 9.
 pro 1691. l. 1619. p. 71. l. 6. l. Boëthi^o. p. 72. l. 29. l. frustra. p. 77. l. 9. l. 1572.
 p. 85. l. 23. l. buccis. p. 94. l. 17. l. Hæredes. p. 102. l. 12. l. ager. l. 16. al. sanæ.
 l. 20. al. proclivis. p. 103. l. 6. l. σωλην. p. 109. l. 8. l. 1558. p. 112. l. 21.
 l. qveat. p. 113. l. 20. l. 1584. p. 120. l. 2. l. tecto p. 125. l. 6. pro Lollandia
 l. Fyonia l. 27. l. magnum. p. 134. l. 20. post est adde: vestemq; à
 Rege FREDERICO II. accepit honorariam. p. 136. l. 13. post arti-
 um adde: Rector fuit Scholæ Roëskildensis: inde. p. 142. l. 17. l.
 partitione. p. 150. l. 5. post Roëskildensis adde: constitutus est an. 1574.
 p. 159. l. 4. post est adde: ad. p. 164. l. 3. l. Ferrariam. p. 188. l. 11. l.
 Sædlandicarum. p. 225. l. 19. l. Ringstadiensis anno. p. 228. l. 3. l. Si-
 benii. p. 237. l. ult. l. Christiani. p. 254. l. 20. l. 1620. p. 292. l. 5. post
 Helvetiam adde: & p. 321. l. 24. l. moderatorem. p. 324. l. 23. post
 Arhusiensis adde: & p. 326. l. 6. l. plantæ. p. 339. l. 2. l. Roberval-
 lio. p. 368. l. 24. pro 13. l. 26. p. 384. l. 28. l. privata. Cætera, si
 quæ sunt, vel in numeris paginarum vel in literis admiffa, benevo-
 le L. ipse facile emendabis.

Famæ ac æternitati
Amplissimorum Hafniæ
PROFESSORUM
Et omnium Vindici
ERASMO P. VINDINGIO.

Sic est Qvirites:
Cimbros vicit Roma,
Romam Cimbrorum Posteris:
Qvi, quod spoliũ neglexerant Majores
optimum in Italia
Literas,
Perditas pridem, & sepultas cum capite,
Post tot seculorum spatia,
Eduxerunt è tenebris
Et stiterunt orbi:
Tanto majore cum gloria,
Quanto est operosius
In Septentrione excitare Italiam, quam
in Italia vicisse Romam.

Non poteras Tiberina urbs, in septenis
collibus,

Jura dare Orbi,

Ut imperium diffunderes, quâ non po-
teras Exercitum,

Migrandum sede tibi,

Tum demum victrix, postquam victa es,

Et sparsa per orbem

Non trophæa armorum, non legionû,

Sed Lingvæ circumtulisti,

Gentibus universis

Quâ se claudit aut aperit Mundus

Non jugum imponens,

Non imperium,

Sed quod utroq; majus,

Sermonem.

Hunc redivivum hodie, & orantem pro

rostris,

Nondomi tuæ,

Non

Non in Romuli tantum quæres,
Sed Boli nepotibus:
Ultra ripas Albis & alveum,
Ultra Tiberii votum, & iter Drusi,
Ac illa tuis Aquilis invisa limina.
Quæ docti literarum Antistites,
ævum omne tuum,
Et seculorum omnem feriem emensi
ingenio,
In honorario campo Academiae,
In veræ gloriæ arena,
Conscenderunt cathedram;
Dignitatemq; sui ordinis
doctrinæ amplitudine,
Et haud paulo validioribus exemplis
tutati
Daniam industriæ suæ,
Sed universum orbem
Laudum theatrum effecerunt:

Quoq; effectius dare nil virtus potest,
Et ævi præteriti implerunt vota,
Et futuri industriam provocabunt.

Hi

Quicquid in Cimbro, quicquid immò in
Gotho & Longobardo
Publica tempeſtas accuſat,
Repararunt in Dania,
Omnemq; irruptionum infamiam,
Et cladem priſtinam literarum
Excufantes orbi,
Procul à Roma, in Arctoò frigore,
Romanam excitarunt elegantiam,
Sed id parum,
Ipfam barbariem, doctam
Et pulchram orbi, & amœnam reddi-
derunt,
Digni, quibus vicem rependat poſte-
ritas,

Et

Et rependit VINDINGIUS,
VINDEX idem & pars tantæ gloriæ,
Qui, seu vivos adhuc & circumfufos fa-
mâ fuâ
Seu defunctos pridē & receptos cœlo,
E beatis excitos fedibus
Oftentat orbi:
Reducturus cum iis seclum, si poffet,
aureum,
Cujus ipse gustum nobis
priscis moribus
Et veri ac recti amore propinat.

Vides OLDENBURGICA domus
Munificentiaæ tuæ gloriam,
Quicquid legitur in his chartis,
Et quicquid non legitur,
Tuum est:
Quod Latini fumus, quod barbariem
exuimus, de-

debemus tibi :

Tu, seculorum eliminata balbutie,
Positoq; incultu & squalore discipli-
narum

Non accepisti prius regnum, quam red-
didisti literas,

Inq; incolatum terræ,
Non ducta populorum,
Ac ne hominum quidem,
Sed Dearum coloniâ,

Ipfas Musas, ipsam sapientiam regni
inquinam & civem fecisti.

Ergo huic familiæ

Non munus, DANIA,

Non donum es, Sed præmium:

Quæ, ut regnum fieres, fecit DANUS,

Ut politum, ut clarum, ut literatum,

CHRISTIANUS ;

Primus te condidit,

alter

alter expolivit:
ille fecit, hic refecit;
Qvi feliciter dives,
Sed felicius liberalis,
Ac nil humile habens
Ne corpus quidem,
Supra omne trophæum armorum,
Produxit in theatrum literas:
Qveis fultæ Majestas regni &
Religio,
Victoriarum auspices,
Perpetuum sibi ævum in Dania,
perpetuam sedem condidère.

Vive FRIDERICE,
Gentis tuæ gloria,
Qvi, Rex ubiq;, etiam in literis,
Qvicquid in doctis optarunt Majores,
Ex-

Exprimis exemplo Posteris:
Et quod ultimum est Pietatis officium,
Non tantum recipis Musas,
Non alis tantum
Sed geris sinu;
Admissione sapientiæ familiari,
Et pulcherrimo spectaculo Orbis,
Sed uno tuo
In regni pariter tui
Et Nominis,
Et stirpis gloriam,
Quodq; addi votis unum nunc potest,
perennitatem.

V. BERING.



DANI & JUTI, quos Ptolemæus Dauciones vel Danciones & Gutas appellat ac in Scandia collocat, qui hodie antiquas Teutonorum Cimbrorumq̃ in Codanonia Codani sinus & Cimbrica Chersoneso sedes tenent, sive à Dais Asiaticis, sive à Dacis Getisq̃; & Gothis oriundi sint; sive a Danastro, qui fl. Borysthenes est, sive a Tanai fl. qui Sarmatis Don & Dun, ut Dani Dunski, dicitur, nomen acceperint: sero admodum, quippe ad Septentrionem, & a commercio cultiorum Gentium, remotiores, ut Religionis, ita Literarum cultum acceperunt: suarum pertinaces superstitionum, & vernacula literatura ac skialdrorum suorum Poësi contenti, armorumq̃; potius quam literarum studiis dediti; Ut vero utrumq̃; admitterent, quamvis nulla in Amplissimis Provinciis esset publica Eruditionis officina, non defuere tamen, qui non tantum in Patriis Monachorum Canonorumq̃; Collegiis, literarum studiis incumberent, sed & partæ in Patria Eruditionis augendæ gratia ad Exteras Academias, ac in primis Parisiensem, se conferrent: quorum tamen plerorumq̃; hodie fama in obscuro est, nullis ingenii monumentis Posteritati relictis. pauci sui memoriam, editis scriptis, ad Posterostransmisere: quos inter clari sunt SVENO AGGÆI primus Danorum Historicus, ejusq̃; contubernalis SAXO Rerum Danicarum Scriptor florentissimus, & ANDREAS SUNONIS Juris Doctor, Archiepiscopus Lundensis, qui etiam Parisiis publice docuit, Auctor Hexæmeri, & Libri de 7. Ecclesiæ Sacramentis, & Versionis Latinæ Legum Scanicarum: Et KANUTUS Viburgensis Episcopus, Auctor Latinæ translationis Juris Cimbrici: & PÉTRVS

2
LOLLE , Proverbiorum Auſtor. Ut vero ad hæc Reg-
na, Maximæ Reginæ MARGARITÆ VALDEMA-
RIÆ ſororis nepos

ERICUS Huitf.

VIII. al. IX. al. X.

e Pomerania accitus eſt, cœpit is ſecum expendere, & re-
rum geſtarum gloriam, ſine literarum luce, obſcuram eſ-
ſe, & dedecus eſſe Genti, cætera inclytæ, quod, cum no-
ti Populi, Germani, Galli, Angli, Itali, Hiſpani, publicis
Artium liberalium Officinis & Academiis ſeu Univer-
ſitatibus abundarent, ipſa ſola hac laude careret. Itaq̃;
non tantum Regni Regumq̃; Daniæ Chronicon ipſe
contexuit; ſed etiam a MARTINO V. Romano Pon-
tifice literas Florentiæ an 1420. d. 7. Kal. Jun. ſcriptas ad
Archi-Epiſcopum Lundensem ac Epiſcopum Roëlkil-
denſem impetravit, quibus ipſi poteſtatem facit Ponti-
fex erigendæ in hoc Regno Univerſitatis ſeu Acade-
miæ, in qua omnium Artium, excepta Theologica, Fa-
cultates docerentur: conſeſſis ſimul omnibus immuni-
tatibus & Privilegiis huic Danorum Academiæ, quibus
Parienſis Univerſitas, vel quæcunq̃; aliæ fruere-
ntur. Sed tam laudabile Regis inſtitutum, quod res domi fo-
riſq̃; turbatæ irritum fecerunt, ſucceſſu caruit, cùm ipſo
imperante, tùm toto tempore, quo Succellor ipſius

CHRISTOPHORUS III.

ut Laudatiſſimæ Reginæ MARGARITÆ ſororis Pro-
nepos, e Bavaria ad Regnũ vocatus, Regni Daniæ habe-
nas rexit: ut Gloria inſtitutæ Academiæ ad inclytam Fa-
miliam Oldenburgicam ex Videkindo Magno, nun-
quam interrupta maſculorum ſerie, deſcendentem, de-
volve-

volveretur. Etenim, qui primus illi Regiam dignitatem
ac nomen intulit, Rex Potentissimus

CHRISTIANUS I.

cum suscepto Regno, inter alias Regni curas, attenta
considerationis indagine perscrutaretur, Literarum stu-
diis, cooperante ILLO, à quo omnia charismatum do-
na largiter manant & conferuntur, Viros effici scientiis
eruditos, per quos æquum ab iniquo discernitur, eru-
diuntur rudes, provecti ad altiora conscendunt, & fides
Catholica roboratur: facta sibi potestate, an. 1475. d. 13.
Kal. Jul. constituendæ Academiæ, quæ omnibus & sin-
gulis Privilegiis, immunitatibus, exemptionibus, & in-
dultis, quæ vel à Jure communi, vel concessionibus Pon-
tificiis aut Imperialibus, ulli Universitati, præsertim vero
Bononiensi quomodo libet unquam concessa aut con-
cedenda essent, gauderet, à Romano Pontifice XYSTO
IV. ad quem Romam an. 1474. voti reus profectus fue-
rat: Ex consilio & consensu Dn. OLAI MARTINI
Ecclesiæ Roeskildensis Episcopi & aliorum suorum
Consiliariorum, & ex auctoritate Pontificia sibi con-
cessa, Venerabili Viro, Petro Alberti, Artium liberali-
um Magistro, & in Medicinis Licentiato, totum id ne-
gotium cum plena auctoritate, an. 1478. die B. Fran-
cisci Confessoris, commisit, ut ipse ad se reciperet certos
Doctores & Magistròs, qui una cum ipso in singulis
Facultatibus, ex consuetudine aliarum Universitatum
docerent, & in iisdem dignos promoverent, in Oppido
Hauniensi: pro se & suis Studiosis & familiaribus, cum
Hauniæ, tum in omnibus terris & provinciis Regiæ Ma-
jestati subjectis, Regia pace & protectione speciali frui-
turi. Cavitq; porro Rex Optimus severo edicto, ne quis

4
hujusmodi Doctōribus vel Magistris, & eorum bonis
& suppositis, se ullo modo intromitteret seu ingereret:
quippe quos volebat ab omnibus iudicibus terrarum
suarum exemptos esse, nisi à Iudicibus & Conservatori-
bus Universitatis, quos ipse constituisset, Reverendo
Domino Episcopo Røeskildensi, & Venerabilibus Vi-
ris Dominis, Decano & Præposito Ecclesiæ Røeskil-
densis, & Decano Hauniensi. Mandavit præterea Pro-
Consulibus & Consulibus, & Præfecto suo Hauniensi,
ut eosdem Doctores & Magistros & Studiosos fove-
rent, tuerentur & ab omni violentia & injuria defende-
rent, si Regiæ ipsius Majestatis indignationem duce-
rent evitandam. Ita Mag. Petrus Alberti, Regia aucto-
ritate fretus, accedente simul consensu Johannis Brø-
storpii Lundensis Archi-Episcopi, Coloniam Agrippi-
nam concessit, & ex illa Universitate evocatos Magi-
stros, Baccalaureos, Studiosos, Hauniam an. 1479. d. 16.
Maij, adduxit, & Vice-Cancellarius ab OLAO MAR-
TINI Røeskildensi Episcopo, Academiæ Cancellario,
constitutus, verum initium Universitatis hujus fecit
die 1. Junii. factis sacris & inaugurali oratione in lau-
dem Scientiarum, Regis & aliorum habita, celebratum:
præsente ipso Rege, cum Episcopo Røeskildensi, aliisque;
multis Prælati, Nobilibus ac strenuis Viris. quorum
unanimes consensu primus Rector eadem hora creatus
est Mag. Jaspas Henrici, Dominus de Sandagergaard.
Quo Rectore Albo Universitatis inscripti sunt, Regis,
Reginæ, Episcoporumque, Cancellarii, Abbates, Præla-
ti, Canonici, Vicarii, Nobiles, Professores, Doctores,
Magistri, Baccalaurei, Studiosi, ex Dania, Norrignia, Ger-
mania, Belgio, oriundi, numero 79. Statuta vero Aca-
demiæ dedit Johannes Lundensis Archi-Episcopus,
modumque eligendi Rectoris, & rationem totius Aca-
demi-

demicae administrationis praescripsit. Gloriosa Inclyti Patris vestigia sequutus Filius Laudatissimus Rex

IOHANNES

cum ex certa informatione comperisset opus hoc saluberrimum esse, quo non privatum & particulare, sed publicum & commune commodum quaereretur, crederetque eo magis hoc negotium suscipiendum, quo magis spirituales mentis cultum respiceret, considerans sanctam & Catholicam intentionem Serenissimi Principis & Victoriosissimi Domini Patris sui & Genitoris carissimi, cujus Celsitudinis cura fuerat Regnum suum prudentum Virorum copia decorare, quibus suorum Civium filii diversis possent erudiri scientiis, ne iis comparandis peregrinas expetere nationes, & in alienis terris eas mendicare cogerentur: Dignum duxit tam salubre negotium pie & gratiose prosequi. Itaque non tantum Patre Inclyto vivente, an. 1480. die B. Severini; sed etiam post ejusdem obitum an. 1482. d. 19. Maij, Patris Foundationem & severissimum edictum accurate confirmavit. Et cum deprehenderet suorum Civium filios, Patricios pariter & Plebejos, quasi per contemptum tanti beneficii, Exteras Academias nihilo minus, cum graviore ac difficiliore sumtuum ratione, adire, gravi edicto, an. 1498. ex senatorum Regni consilio, sanxit, ne quis, nisi exacto in Universitate Hauniensi triennio integro, Studiorum causa in Exteras Academias, sola Upsaliensi in Regno Sveciae, quae tum ex Unionem Margaritica ipsius parebat imperio, excepta, concederet, nisi culpam praevagationis luere vellet amissione bonorum Ecclesiasticorum, quae tum possideret, & omni spe praecisa in posterum aliorum in Regno Daniae consequendorum. Praeterea ad conservandam augendamque;

damq; Academiam, ex consilio Senatorum Regni an. 1491. d. 12. Januar. Bona Ecclesiæ Sæby Theologiæ Professori: & an. 1492. die S. Johannis Baptistæ Bona Ecclesiæ Faxóe Juris Canonici Professori assignavit. Demum an. 1512. novis redivitibus auxit Academiam: & an. 1513. novam Universitati domum exstruendam curavit. Sed Filiusejus

CHRISTIANUS II.

cum perpetuis motibus turbatum haberet imperium, de Academia hac nullam curam potuisse suscipere visus est; nisi quod in Corp. Nov. Leg. vetuerit, ne quis, nisi creatus Baccalaureus, studiorum causa, Exteros adiret. Successor tamen, Rex Inclytus

FREDERICUS I.

Rescriptum Fratris Regis JOHANNIS de Bonis Ecclesiæ Faxóe Universitati concessis, an. 1530. die Georgii Martyris confirmavit: cum anno priore 1529. Prælati & Canonicis Roëskildensibus imperasset, ut cum Episcopo Roëskildensi & Hauniensi Capitulo, de Bonis Canonorum & Vicariorum Hauniensi Academia addendis aliquid constituerent. Quamvis vero Regnantibus his duobus Regibus Academia gravissime afflictæ fuerit, certos tamen interea à prima sua origine Rectores habuit, non interrupta successione, usq; ad an. 1530. & Rectorem Mag. Nicolai Urne: quo decedente de Magistratu, Academia hæc, turbata seditio- nibus & bellicis motibus Rep. plane dissipata est, & annos fere octo Magistratu caruit. Tandem pace parta, & restituta Rep. Gloriosissimus Rex

CHRI-

CHRISTIANUS III.

7

Professores, quos temporum calamitates disperferant, revocavit, aliosq; Viros doctos huc arcessivit, adeo ut an. 1538. Academia Magistratum recuperaret denuo, primùm Christiano Torchilli f. Morsiano Rectore electo, ac deinde D. Palladio, & post semestre, D. Bugenhagio, Magistratum suscipientibus. Cum enim Optimus Rex, receptis jam a vitis Regnis, triumphatisq; per Regem Exercituum Adversariis, qui invitum ad bella coegerant, deprehendisset Universalem hanc Scholam, quam CHRISTIANUS I. laudatæ memoriæ Rex ipse Avus Paternus erexerat, & ante 60. annos Privilegiis pro se & suis Successoribus Regibus donaverat, per bella, quæ post acciderant, ante Regnum, & sub Regno, & post Regnum FREDERICI, omni honore dignæ memoriæ Patris sui, vastatam atq; collapsam, ut nullæ fere ejus reliquæ superessent: simul non fuisse ita constitutam censibus certis & redditibus pro Doctorum Virorum Stipendiis, ut consistere posset: Ne ergo DEO ingratus esset, statuit Universalem hanc Scholam instaurare, ususq; consilio & opera D. Johannis Bugenhagii Pomerani, Pastoris ac Superintendentis Vitebergensis, quem Illustrissimus JOHANNES FREDERICUS Saxonix Princeps Elector, & Venerandus in Christo Pater D. Martinus Lutherus, Dn. Philippus Melancthon, & tota Schola Vitebergensis, Regis rogatu, huc miserant, constituit an. 1539. d. 10. Junii, ut in hac Academia docerentur omnes Artes liberales, Jura, Medicina, Theologia, & Lingvæ, Latina, Græca & Hebraica: ut sic per doctos Viros Regnis consuleret, ut ad posteros salutiferum sinceri Evangelii Verbum transmitti posset: simul amplos redditus Universitati adjecit, ex Decimis.

cimis Episcopalibus, ex Monasterio Knardrupensi, ex Ecclesiis Sædlandiæ & Scaniæ, ex Pretio locationis ædium, ex Vectigalibus freti Oresundici, æstimatos simul 1400. aureis Rhenensibus, i. e. thaleris Imperialibus. Item in Pauperes Studiosos ex Capitulis Roëskildensi & Lundensi 200. aureos Rhenenses in singulos annos erogandos. Tum Scholæ Locum, Auditoria, Habitationes, quæ Canonorum ædes fuerant, & Templum Canonorum Collegiatum D. Virginis attribuit: Deniq; constituit Doctores & Magistros, Professores omnium Disciplinarum cum stipendiis, prærogativis, Privilegiis, & confirmatione statutorum Scholæ, & Lectio- num, cæteraq; quæ Fundationi subjunguntur: Obtestatus per Christum Servatorem omnium, suos Successores Daniæ Reges, ut dum Regnum teneant, Academiæ Ordinationem & Confirmationem illam servent, eamq; per manus ad suos Posterios transmittant, nec ullo modo permittant, ista stipendia alio transferri. Ut vero toti Rerum Academicarum administrationi consuleret, petentibus Professoribus, constituit, ut CANCELLARIUS ipsius Danicus, ejusq; Successores, essent quoq; CANCELLARII Universitatis sive Conservatores primi, Adjutore ex Aula accepto, viro Erudito, cum tribus aliis Conservatoribus ex Capitulo Roëskildensi, Decano, Præposito & Possessore Capellæ S. Laurentii. Ita truculenta bellorum ac seditionum tempestate prostratæ Academiæ, beneficio sanctissimaq; hujus Optimi Regis cura, & Regia liberalitate instauratæ, suus splendor ac dignitas rediit, Maximorum Regum Successorum Regia ac Paterna sollicitudine in hunc usq; diem propagata. Nec intra hæc Inclyti Regis benevolentia erga hanc suam Academiam substitit. An. 1547. d. 2. Novemb. per Academiæ Rectorem Professoribus signi-

9
significavit, cupere Reg. ipsius Majestatem maximo Sigillo Suæ Majestatis Privilegia Universitatis confirmare: & si opus esset, vel suum Filium Principem FREDERICUM, vel Seipsum Academiae Reſtoratum suscepturum. Etenim hac sua Academia ita gloriari solebat, ut omnibus rebus a se gestis ejus institutionem præferret, diceretq; vix ullum majus se Regni sui ornamentum habere: Virorumq; doctorum frequentiam non exiguum Regni sui decus esse existimabat. Equidem an. 1555. novo Reg. Majestatis ipsius Sigillo Fundatio Universitatis est obſignata: Eodemq; anno, die Michaelis, cum deprehenderet redditus Universitati prius attributos non sufficere Professoribus alendis, ex consilio Filii Celsissimi Principis FREDERICI, Senatorumq; Regni, plura bona rustica Stróensis & Jórlundensis fori adjecit. Et iterum an. 1556. motus Stipendiorum tenuitate, singulis Facultatis Artium Professoribus 144. frumenti modios in singulos annos addidit, denunciante hoc in Consistorio Cancellariis, Dan. JOHANNES FRISIO & Germ. Andrea Barby. Et an. 1557. d. 13. Julii, integrum Stipendium Professore Linguæ Hebrææ ex Ecclesiis Lollandiæ & Falstriæ constituit. Et cum ex Fundatione an. 1539. in domo S. Hospit. Procurator 3456 frumenti modis Studiosos tantum 12. alumnos Regios aleret, pro 8. adhuc alendis, an. 1555. modiorum numerum auxit dimidio. Deniq; ut omnibus pium, sanctum, Regium ac Paternum suum in Religionem & Academiam hanc studium palam faceret, non tantum Ordinationem Ecclesiasticam an. 1539. d. 14. Jun. promulgavit, postea an. 1542. d. 1. Maji, 26. Articulis Ripensibus auctam: & an. 1550 Biblia in vernaculam Linguam translata suis sumtibus edi curavit;

B

sed

sed etiam an. 1544. Disputationi de Controversis Fidei Articulis, jussu ipsius Majestatis institutæ, atq; totis 3. diebus à 7. hora in meridiem, & à merid. hora 2. in 5. continuatæ, aliquot ipse diebus interfuit: & an. 1557. Doctoralem Promotionem Mag. Nicolai Hemmingii, Sua & Illustrissimorum Principum, Filii FREDERICI ac Generi AUGUSTI Saxonix Ducis Electoris, præsentia illustrem reddidit: & eodem anno finis D. Johannis Machabæi Theologiæ Professoris, magno Regii favoris argumento, deducere in Templum Academicum dignatus est. Ut adeo merito Sanctissima Tanti Regis memoria huic Academiæ esse debeat, celebrata Orationibus Professorum ejus temporis, D. Nicolai Hemmingii Theologi, & D. Jacobi Bordingi Medici. Nec à tam laudabili Sanctissimi Regis ac Patris sui exemplo discessit Serenissimus Filius, Hæres ac Successor Rex

FREDERICUS II.

nam & an. 1556. cum adhuc Regnum moderaretur Pater, Foundationem Academiæ: & an. 1560. proximo à Patris obitu, die 30. Maji, una cum Foundatione Donationes an. 1555. & 1557. factas, & Privilegia Universitatis, Regio diplomate clementissime confirmavit. An. 1569. d. 21. Febr. severissimo edicto cavit, ne Consules & Senatores Haunienses, vel quicumq; alii, Professoribus & Ecclesiasticis ullo modo molesti essent, quo ipsorum immunitatibus ac privilegiis vis ulla fieri posset videri. Anno eodem, d. 25. Julii, nunquam satis laudanda pietate, Eleemosynam vere Regiam instituit ex Decimis Episcopalibus & aliis bonis rusticis, quibus in Communitate Regia 100 bonæ spei & integræ famæ juvenes pauperes, Religioni & Regno profuturi, ale-

ren-

rentur : adjectis simul ex redditibus Monasteriorum Sorrensis, Anderskoviensis & Ringstadiensis, 400 thaleris Imperialibus, pro stipendiis 3. Theologiæ, & 1. Medicinæ, Studioforum in Exteris Academiis degentium. Et postquam an. 1561. d. 7. Julii, facta permutatione, pro Knardrupensi Monasterio Clarense Academiæ dedisset : an. 1571. d. 11. Septemb. eximium stipendiis Professorum augmentum addidit, ex Canonicatibus, & Vicariatibus Capitulorum Roëskildensis & Lundensis : Regiam benignitatem scripto deferente ac recitante Mag. Nicolao Coldingio, Concionatore Aulico, non postremo hujus beneficii in Academiam collati svasore. An. 1573. d. 22. Augusti Jura Patronatus Ecclesiarum quarundam à Laudatissimis suis Majoribus Universitati concessa, eidem Regia auctoritate asseruit. Et cum an. 1587. d. 12. Junii, quidam ex Ordine Senatorio ac Nobilitate dati Judices in Controversia de bonis quibusdam Faxoviensibus, contra Universitatem sententiam tulissent, rescidit Rex Optimus sententiam, & bona illa gravissimo edicto Universitati vindicavit. An. 1574. d. 27. Januar. cum Rector, Decanus, omnesq; omnino Professores, quorum inspectioni eorum studia commiserat, qui ipsius Majestatis liberalitate in Regia Communitate alebantur, de eorundem studiis ac exercitiis, quæ ex usu fore censuerant, constituissent, eas Constitutiones Rex Sapientissimus ratas esse jussit. Et cum sparsis an. 1581 nocte Kal. Januar. libellis famosis suspicio incidisset, præter mentem Laudatissimi istius Elemosynæ Auctoris, ditiores illa ali, pauperibus fame sitiq; laborantibus, Christophoro Valkendorffo suo Consiliario ac Quæstori, & D. Paulo Matthiæ Episcopo, seriò præcepit, ut in eam rem diligenter inquirerent, &

ejectis ditioribus, si qui forte essent, bonæ spei, sed tenuioris fortunæ Studiosos in beneficii illius fructum reciperent. Adhæc Biblia in Islandicam verba linguam magnis sumptibus edi an. 1584. curavit. Et cum Biblia Danica, Parentis gl. m. cura edita, non amplius venum prostant, distractis exemplaribus, Professoribus quibusdam Academiæ an. 1587. id negotii dedit, ut denuo ederentur, adjectis B. Lutheri Præfationibus, & brevi ad marginem Commentario, cum Viti Theodori argumentis: quæ ita demum an. 1589. in lucem prodierunt. Ubi autem terrestrem hanc coronam cum cœlesti commutavit incomparabilis pietatis ac probitatis Rex, laudatus publico programme Rectoris & Senatus Academici, & Orationibus Professorum, D. Andreæ Laurentii, ac D. Johannis Slangendorffii, Theologorum, & D. Andreæ Christiani Medici: successit in hæreditatem ut Regni, ita maximarum virtutum, in primis pietatis & studii in hanc Academiam Serenissimus Rex

CHRISTIANUS IV.

Etenim simulac Regium diadema sacro capite suscepit, an. 1596. pro se: & postea an. 1608. pro Filio **CHRISTIANO**, communibus omnium Regni Ordinum suffragiis Electo Daniæ Principe ac Patris Successore, omnia Universitatis Jura, privilegia, bona, statutaq; confirmavit. Et an. 1600. novam ac splendidam Collegii domum, & novam Habitationem Professoriam eidem contiguam è fundamento erexit, & Universitati, cum vicino horto, adjecit. Nec creationi Rectoris Academici D. Nicolai Kragii, an. 1601. interesse cum Illustrissimo Duce Fratre **HULDARICO** infra Regiam suam

suam Majestatem duxit : Eodemq; anno per eundem
 D. Kragium Collegii domum dedicari curavit. Tum
 Dædaleo *αὐτομάτω*, cui pauca in Europa paria, & Regia
 Bibliotheca, Academiam donavit. Plurima præterea
 prudentissime & saluberrime, per diuturni imperii spa-
 tia, constituit, ex quibus incredibile ejus studium in
 Religionem Remq; hanc literariam clarissimè eluxit: ut
 an. 1604. d. 6. Oct. de Jesuuitarum alumnis ab Ecclesia-
 sticis muneribus arcendis : & an. eodem, d. 22. Octobr.
 de Scholarum Puerilium reformatione : & an. 1618. de
 Pretio locationis fundorum Academiæ: de Colonis U-
 niversitatis per proprios Universitatis vicarios monen-
 dis, si quod Regium negotium expedituri sint: de Sylvis
 in Academiæ & posterorum damnum non inique cæ-
 dendis : de Medicis, non nisi promotis approbatisq;,
 ad curandos ægros admittendis : de pecunia ab iis pen-
 denda, qui Ecclesiastico muneri inaugurantur, olim ab
 eorum hæredibus pendi solita: de Gymnasiis apud Scho-
 las Cathedrales constituendis : & an. 1619. d. 1. Julii, ac
 an. 1641. d. 8. Octob. de Tutoribus & Rationibus
 Templi Academici: & an. 1621. d. 18. Maij, de servan-
 dis Foundationis Constitutionibus: de rudioribus in A-
 cademiam non admittendis : de iis qui ad munera Scho-
 lastica & Ecclesiastica admitti debeant : de Stipendia-
 riis Theologiæ : de Candidatis Professionum Acade-
 micarum : de Professorum Lectionibus & Professioni-
 bus : & an. 1625. d. 23. Febr. de sumtibus Promotionum
 Academicarum moderandis : & an. 1628. d. 28. Maij,
 de Templo extra Borealem Urbis portam sumtibus
 Templi Academici extructo, & Jure Patronatus ejus-
 dem Academiæ concesso : & an. eodem d. 8. Dec. de
 Bibliopoleo Academico : & an. 1629. d. 7. Januar. de

Bibliis iterum edendis : & anno eodem d. 7. Nov. de Testimoniis progressus Studioforum in S. literarum studiis, antequam ad suggestum admitti debeant : & an. 1630. d. 6. Dec. de Rudibus Scholasticis à Civitate Academica arcendis : & an. 1632. d. 21. Nov. & an. 1646. d. 27. Nov. de Stipendiario Mathematicum : & an. 1635. d. 9. Januar. de Studiosis, etiamsi testimonium profectus Theologici impetraverint, non ante dimittendis ad Ecclesiasticas functiones, quam ediderint specimen donorum in habendis concionibus : & an. 1636. d. 18. Oct. de Magistris etiam testimonium sui profectus Theologici habituris : & an. 1638. d. 15. Maij de Studiosis ad Ecclesiastica munera adspirantibus : & an. 1642. d. 17. Maij, de ære alieno ultra definitum numerum Studiosis non credendo. Adhæc numerum Professorum quaternario auxit, & singulis stipendia addixit : Metaphysico, an. 1619. d. 3. April. & Theologo ac Latinæ Lingvæ Doctore, an. 1630. d. 10. Sept. & Poëseos Professore, an. 1636. d. 23. Decemb. Etiam an. 1609. numero Alumnorum Reriorum in Communitate duplicem denarium adjecit : & an. 1630. d. 6. Dec. adhuc duas menses extraordinarias instrui iussit. Insuper iis cum egregium Cœnaculum, tum insignes & commodas Habitationes, Regentziam vocant, magnis sumptibus exstructas attribuit. An. 1635. d. 21. Aug. Ædi Regentzianæ Studioforum proprium constituit Pastorem : & ejusdem anni d. 25. Octob. ipsius Ædis inaugurationi magna solennitate peractæ interfuit, & post peracta sacra Professores omnes suæ mentæ in splendidissimo sui horti Palatio adhibuit. Et cum Ædes ista parum capax multitudinis, nec satis splendida videretur, ex fundamento aliam erexit, cum àdmiranda, in cochleæ figuram structa, Turri

Astro-

Astronomica, & loco Bibliothecæ Academicæ destina-
 to. Tum quoq; in Supremo suo Tribunali Sanctissimus
 & iustissimus iudex in ferenda sententia de exortis con-
 troversis, secundum Academiam decrevit, an. 1623. d.
 3. Jun. de Annis Gratia: & an. 1630. d. 20. Julii, de
 Privilegiis Universitatis. Sed nec charta hæc capax est,
 nec penna aut ingenium par enumerandis, & ex merito
 laudandis Regis hujus beneficiis, quibus hanc Acade-
 miam cumulatissimè prosequutus est. Tantum Regem
 & Religionis Vindicem, & Academicæ suæ ac Patriæ
 Patrem, Regni hujus temporarii administratione glo-
 riosissime defunctum, & ad æterni Regni desideratissi-
 mam hæreditatem evocatum, ac Rectoris Academicæ
 publico Programmate, & Orationibus D. Caspari Brok-
 manni, Episcopi, & D. Laurentii Scavenii, Theologiæ,
 ac M. Bartoli Bartolini, Eloquentiæ, Professorum: cæ-
 terorumq; Carminibus encomiasticis, Latinis ac Græ-
 cis, laudatum excepit, non Virtute, non Gloria minor
 Filius, Augustissimus Rex

FREDERICUS III.

cujus Regium studium & paternum affectum in hanc su-
 am ab Atavo Conditore, & Proavo Instauratore, hære-
 ditariam Academiam, innumeris testatum beneficis, &
 ipsa venerabunda agnoscit, & grata quoq; Posteritas
 prædicabit. Hic exemplo Majorum suorum Gloriosis-
 simæ memoriæ, & sub initium suscepti Imperii an. 1648.
 & iterum an. 1655. d. 14. Jul. & tertium an. 1663. d. 18.
 Feb. Fundationem & Privilegia Universitatis clemen-
 tissimis edictis confirmavit. Hic a Magno Parente cœ-
 ptum opus Splendidum S. Trinitatis Templum, sacris
 Stu.

Studiosorum exercitationibus destinatum perfecit, de-
 dicandumq; ingenti cum solennitate an. 1656. Domini-
 ca Trinitatis curavit: & dedicationi ipse cum Celsissi-
 mo Principe Filio CHRISTIANO, & Illustrissimo Du-
 ce Familiæ Synderburgicæ ERNESTO GUNTE-
 RO, & Regni sui Consiliariis interfuit: & post peracta
 illic sacra Professores omnes pridie invitatos, mensa in
 Arce sua Regia dignatus est: & an. 1658. d. 6. Julii, Eos
 ejusdem Templi Jure Patronatus clementissime dona-
 vit. Ipsiq; Templo reditus adjecit an. 1661. d. 18. Nov.
 Hic magnificum Bibliothecæ palatium super Templum
 S. Trinitatis solenniter dedicari an. 1657. p. 7. Jul. præ-
 sente Regio Celsissimo Principe Hæreditario, CHRIS-
 TIANO, curavit: & an. 1659. d. 24. Mart. Bibliothecæ
 Præfecto annum 120. Uncialium stipendium con-
 stituit. Hic temporum injuria & bellorum tempestati-
 bus afflictæ Academiæ suæ vere propitiis Stator fuit,
 deminutosq; ex Scania ejus reditus munificentissimè
 compensaturus, an. 1651. d. 6. Jul. tres Vicariatus Ca-
 pituli Roëskildensis Professorum stipendiis adjecit, an-
 nuasq; ex Ecclesiis Cimbricis pensiones addidit, Gene-
 rali Templorum Commissario an. 1663. d. 27. April.
 jussu hanc Regiam suam voluntatem exsequi: & die 14.
 Jul. ejusdem anni 1658. duas Præbendas primo vacatu-
 ras in Capitulis Cimbricis assignavit: cujus Regii pro-
 missi fructum partim percepit Academia, Canonicatu
 uno, post obitum D. Jacobi Matthiæ an. 1660. vacante,
 recepto: partim à Clementissimo Rege etiamnum ex-
 spectat. Et ut hic omittantur, quæ multa in aliis Aca-
 demix rebus sapientissime ac benignissime in commo-
 dum ac utilitatem Academiæ suæ, Docentium pariter
 ac Discipulorum constituerit: Quis sine cultu, sine voto,
 Serc-

Serenissimum Regem cum Serenissima Regina in Templo Academico præsentem adspexit in Doctorali Promotione sex Clarissimorum Theologiæ Candidatorum, an. 1653. d. 20. Decembris? Quis non devotamente veneratus est Sacratissimam Regiam Majestatem toties in Auditorio Academico visam, ac Professorum Disputationes vel Panegyricos auscultantem, & in Theatro Anatomico Sectiones spectantem? Hunc Tuum, REX Augustissime, in Tuam Academiam, ceu Lenissimi Patris in Filiam, tenerrimum affectum ac Regia beneficia, quamvis ad omnes spectent, si non alii, saltem Tua, Tua, inquam, Academia pio cultu prosequitur, ejusq; Doctores & Discipuli TUO Nomini Majestatiq; devoti, humilimo obsequio grati agnoscunt, eorumq; memoriam cum perpetuis votis ad Posteritatem transmittent. Vive REX Augustissime, REX Inviçtissime, REX Pacifice: Servet TE Deus Tuæ Hæreditati, nostrum Mosen, Davidem, Salomonem, Josiam: Clementem, Fortem, Sapientem, Pium: Augustum felicitate & Imperii diuturnitate: Titum, Trajanum, Probum, & Optimos Majores Tuos Bonitate vince: Tuiq; similes Hæredes Reges nobis relinque.

Academia Hafniensis

ad

FRIDERICUM III.

Daniæ & Norvegiæ Monarcham hæreditarium,

Hæc verba faciens introducitur à

PETRO SKUMAKERO

Regio Archivario & Bibliotechario.

Illa ego Cimbrorum decus immortale MINERVA
DANICA & Hafniaci fulgida Stella poli

C

Ante

*Ante tuos, AUGUSTE, pedes provolvor, & istam
Ad pia victricem basia posco manum.*

*Et liceat tria verba loqui, mora nulla, nec aures
Vota fatigabunt ambitiosa tuas.*

*Per te respiro, pulsâ caligine belli
Fulgidior surgit luce micante dies.*

*Et quod vivo tuum est, tantæq; tonitrua nubis
Solis ad aspectum disperiere tui.*

*Hic est ille tuæ fortunæ, Dania, STATOR,
Nostra salus uno hoc vindice fulta stetit.*

*Me proavi genuere tui, FRIDERICÆ, sed ista
Ex animi per te reddita vita fuit.*

*Jactet Graja Jovem galeata Virago parentem,
Et ficto genit am se probet illa Deo.*

*Me genuit FRIDERICUS & hoc me stemmate jacto,
Hoc plus, quàm è cerebro profuisse Jovis.*

*Nec sum progenies magno inficianda Parenti,
Nec tibi de decori filia talis erit.*

*Fama tua immenso per me narrabitur Orbi,
Et cogam in laudes totum Helicon a tuas.*

*Pone tropæa, arcus, ingentia Mausolea,
Alta Colossæi surgat imago Ducis;*

*Labentur tamen illa, suisq; sepulta ruinis
Marmora cum titulis sunt peritura suis.*

*Per me, REX, æternus eris, nomenq; vetustas
Nulla tenebrosis condet opaca locis.*

*Et per me seros inter memorande nepotes,
Æternum exemplar posteritatis eris.*



CANCELLARII UNI-¹⁹ VERSITATIS

Episcopi Roëskildenses, è rescripto Pontificis Xyfti IV. quod in ipso- rum Dioeceseos urbe Universitas esset.

OLLAUS MARTINI F.

INsignia Gentilitia habuit conchæ testam cum luna dimidiata. Regis Cancellarius, Episcopus Roëskildensis constitutus est an. 1461. Ejus consilio & consensu data est M. Petro Alberti f. potestas & auctoritas recipiendi Doctores & Magistros, in singulis Facultatibus, more aliarum Universitatum, secum docturos in Academia Hauniensium instituenda, an. 1479. Et Academiae jam erectæ primus Cancellarius, Vice-Cancellarium constituit eum, quem dixi, M. Petrum Alberti f. Obiit Hauniæ die S. Augustini an. 1485.

NICOLAUS SKAFVE

Episcopus Roëskildensis, secundus Academiae Cancellarius, obiit die S. Martini, an. 1493. Sepultus in Templo Cathedrali Roëskildiae extra latus australe chori. Epitaphium hoc habet:

Hic sepultus est NICOLAUS SKAFVE, Episcopus Roëskildensis, qui obiit an. 1493. Propter nomen tuum, Domine, propitiaberis peccato meo, multum est enim.

Arnoldus Huitfeld eum anno 1500. mortuum esse scribit.

JOHANNES JACOBI F. RAVENSBERGER

Præpositus Dalbyensis, JOHANNIS Regis Cancellarius, Legatus in Angliam & Scotiam, fit Episcopus Roëskildensis & Academiæ Cancellarius an. 1500. An. 1505. in præsentia & consensu Doctorum & Magistrorum Academiæ facta est ab eo ordinatio bonorum Universitatis, ut Ecclesia Faxe pro ordinario in Jure Canonico: Ecclesia Sæby pro Ordinario in Theologia: Ecclesia Eggitzlóu pro Ordinario in - - - Ecclesiæ Gladfax & Herlóu pro Magistris in Artibus essent &c. Obiit an. 1512. sepultus in Cathedrali Templo Roëskildia. Epitaphium hoc habet:

Reverendus pater, Dominus JOHANNES JACOBI, Episcopus quondam Roëskildensis hoc loco sepultus. Anno 1512.

Exstat & aliud ejus Epitaphium, quod, licet ejus ætate scriptum non videatur, tamen hic locum merebitur:

JOHANNES JACOBI F. Dei gratia quondam Episcopus Roëskildensis, reversus ex studio bonarum literarum, quod magna cum laude & multorum Doctorum commendatione in Germania confecerat: primum ob morum probitatem & ingenii singularem eruditionem & facultatem, tum omnium rerum experientiam admirabilem adsumptus est in Archigrammateum JOANNIS Regis Danie &c. ejus

&c. ejus nominis Primi. Interea in Angliam & Scotiam
 Legatus missus est: in qua legatione ita se gessit, ut jucun-
 dissima, gratissima & gloriosissima sit nominis ejus memo-
 ria, & apud Anglos, & apud Scotos: quos ipsos eodem
 tempore, cum inter se maximum bellum gessissent, & starent
 jam utrinque instructi exercitus infestis animis & signis, al-
 ter in alterius perniciem accincti, in concordiam discedentes
 reconciliavit, factum omnibus seculis memorandum. Tanta
 erat Viri illius etiam apud peregrinos homines quaedam ve-
 cis & vultus augusta majestas, & gravissimis in rebus no-
 minis auctoritas. Mox in Patriam reversus, à Canonicis
 Roëskild. Episcopus designatus est. Vir erat præterea ma-
 ximis rebus gestus clarus: natus equestri ordine erat: ad-
 modum prudens, facundus, comis, gravis, benignus, libe-
 ralis, adeò ut à sordidis hominibus & quasi aridis pumici-
 bus & inexplebilibus voraginibus prodigus notaretur. Erat
 Vir constans, fortis & invictus, justus, clemens, paupe-
 rum amantiſſimus, pronus, & asyllum, omnibus denique ca-
 rus, & aspectu venerandus. Mortuus est in arce Hiort-
 holm, anno ætatis suæ plus minus sexagesimo, Pontifica-
 tus vero sui undecimo. A Christo autem nato anno Salutis
 millesimo, quingentesimo, duodecimo: tertio feriarum Pa-
 schalium. Sepultus hic Roëskildæ in æde Divi Lucii.

LAGO URNE

Doctor Juris & Regni Cancellarius, ordinatus Episco-
 pus

pus Roëskildensis an. 1512. Ripis Cimbrorum ab Ivaro Munkloci Præfule, præfente Rege JOHANNE. Regiam Sponsam CHRISTIANI II. Elisabetham huc deductam oratione Latina excepit an. 1515. CHRISTIANO II. e Regno discedente, Duci FREDERICO se cum Abbate Sorensi & Priore Anderskoviensi adjunxit, an. 1523. An. 1527. tanquam Cancellarius & Præses Universitatis edictum promulgavit, ne qui ad audiendas Theologicas prælectiones admitterentur, nisi Gradu Baccalaureatus ornati, Sacerdotes, aliiq; , quos certum esset recto judicio præditos esse, omnibus aliis exceptis: multos enim in hæresin & doctrinam Lutheri prolapsos exiis, qui Hauniæ ante studiis incubuerant, propterea quod paterentur quoslibet, sine exceptione, interesse prælectionibus Theologicis, qui judicio carerent, & in sacris literis fundamento destituerentur. An. 1528. ipse & Episcopus Arhusiensis Avo Bilde, nomine Episcoporum communi, missis in Germaniam literis per M. Henricum Gierkens, ad D. Cochlæum & Eccium Ingolstadienses, alterum eorum invitarunt promisso annuo honesto stipendio, ut huc se conferret, Lutheranos scriptis oppugnaturus. Obiit die Petri Martyris, an. 1529. Sepultus in Sacello S. Laurentii, Templi Cathedralis Roëskildæ. Epitaphium hoc habet:

Venerabilis Episcopi Roschildensis, Domini LAGONIS URNE sepulcrum. Orate Deum pro eo. Obiit autem anno Domini 1529. die 20. Aprilis. Miserere mei Deus, quoniam in te confidit anima mea. Deus esto propitius mihi peccatori.

JACO.

JACOBUS RÖNNOU

Aulicus Regis FREDERICI I. promissis Regi sexies mille aureis Rhenensibus an. 1529. Episcopatum Roëskildensem obtinuit, data Regi fide, se minime prohibiturum, imo potius adjuturum, ut doctrina Lutherana hic doceretur, & prospecturum Ecclesiis de Christianis Evangelicis Doctoribus, ipsumq; vitam Christiano & Evangelico Episcopo dignam traducturum: quam tamen fidem ille fefellit, odio in doctrinam Lutheri concepto, captisq; & oppressis quocunq; modo Doctoribus, quibus docendi potestatem fecisset FREDERICUS. E promissa pecunia solvit Regi an. 1531. aureos ter mille. Defuncto Rege, & occupata Haunia à CHRISTOPHORO Comite Oldenburgio, Comiti sacramentum dixit, an. 1534. iterumq; ab eo Episcopatum Roëskildensem redemit marcis Danicis decies mille. Tandem à Rege CHRISTIANO III. an. 1536. Hauniæ in aula Episcopali, in transtillo tecto proximo, ubi se abdiderat, captus & custodiæ traditus, primum Draxholmæ, inde ad fretum Oresundicum, tum Visbyæ Gotlandorum, & demum Hauniæ, ubi obiit an. 1544. durius habitus, quam cæteri Episcopi, quod eorum exemplo Regi cavere de non turbandis rebus præfractè recusaret.

CANCELLARII UNIVERSITATIS

seu Conservatores primi, Cancellariū
Re.

Regii à Regibus dati, ex Fundatione Regis CHRISTIANI III.

JOHANNES FRIS

de Hesselager

Regis FRIDERICI I. Vice-Cancellarius, Regis CHRISTIANI III. Cancellarius & Conservator primus Academiae constitutus an. 1539. Legavit Pauperibus Studiosis ter mille Joachimicos: quam sortem hæredes postea auxere quingentis Joachimicis, quorum annuo fœnore Inspector Stipendiariorum ex ordine Professorio donetur. Sorti 3000. Imp. Studiosis legatae FREDERICUS FRIS fratris filius testamento adjecit 2000. Imperiales an. 1619. d. 3. Junii. Obiit an. 1570. 5. Decemb. Coagii. Sepultus in summo choro Templi D. Virginis Hauniensis. Lapis Sepulcralis hanc habet inscriptionem.

JOHANNIS FRISII quondam Cancellarii ossa horam Archangeli beata spe hic exspectant. Familiae insignia, vitae officia, mortis monumentum vicina Columna indicat.

Columna est Australis, monumentum habens affixum cum hac inscriptione:

JOHANNI FRIS ab Hesselager Viro Clarissimo, de Regibus & Republ. Daniæ plurimis & maximis in rebus bene merito, FREDERICI I. Vice-Cancellario, CHRISTIANI vero III. & FREDERICI II. Cancellario fidelissimo & prudentissimo, cujus consilio & auctoritate Ecclesie & Scholæ, disciplina & redditibus ornatae sunt,

sunt, legum emendatione Reipubl. forma stabilita, qui postquam familiae suae decus virtute & meritis amplificasset, vegeta senecta, sed annorum satur, vitam naturae, spiritum Servatori Deo, plenus fide & spe reddidit. Moritur Coagii 5. Decemb. an. 1570.

Hæredes Patruo B. M. pos.
Vince bono malum.

NICOLAUS KAAS de Torupgaard

Natus est an. 1535. patre viro generosissimo Nicolao Kaas de Starupgaard, qui jam septem mensibus, priusquam hic suus filiulus lucem hanc aspiceret, ad lucem & caelestem vitam transierat, matre verò D. Anna, generosissimi Biornonis Andreæ filia: ac inde factum est, quòd hic Posthumus, ut in paternas opes, ita & nomen successerit. Orphanum deinde cum mater nobilissima reliquisset jam quinque tantum annos natum recepit ad se Mag. Magnus Kaas, Dominus de Torupgaard, ac puerulum scitum in primis ita curabat educari, edoceri, ut in Schola Viburgensi eruditionis elementa prima, fideliter perceperit, sub disciplina viri docti & industrii D. Olai Scyt novem annos, ac deinde vixerit apud Clarissimum Virum D. Doct. Nicolaum Hemmingium in hac Regia Academia quatuor annos: per quem quantum profecerit, & ipse memoria gratissima sæpe testatus est, & norant plurimi, qui eodem tempore versabantur in hac Schola, quiq; quotidie deinceps ejus conversationi & colloquiis familiaribus, omni doctrinae genere re-

D fer-

fertissimis interfuerunt. Auditumq̄, quod doctissimus Hemmingius, juventutis instituendæ Præceptor solertissimus prædixerit, olim hunc suum Discipulum magnum futurum: id quod res ipsa deinceps comprobavit verissimum. Profecturus deinde ad Germaniæ Academi-
 as, quanquam naufragus ad Fimeriam insulam vix enataverit, iter tamen inceptum animo forti continua-
 vit, ac Vitenbergam advenit feliciter: ubi usus est ali-
 quandiu, summo cum fructu, familiaritate optimi &
 doctissimi viri D. Philippi Melanchthonis, quem suum
 optimum Præceptorem quanti fecerit, in tota vita de-
 claravit satis abunde. Divertit etiam ad Academiam
 Francofurtensem ad Oderam, ac inde se ad Lovanien-
 ses contulit, quorum Schola eo tempore per totam Eu-
 ropam erat celeberrima. Hoc igitur modo complurium
 annorum spatio, in patria, & exteris Academiis imbu-
 it generosum pectus illustris juvenis omni doctrinarum
 genere, sacro simul & Philosophico: ac iis ita conjun-
 xit studium Historiarum & Politices, ut maximum sibi
 thesaurum veræ sapientiæ & prudentiæ conquisierit,
 cum elegantia insigni ac copiosa Latini sermonis: quæ
 res fecit, ut toto vitæ tempore apud bonos & doctos
 omnes fuerit in magna admiratione. Castra erant eodem
 tempore ad Samarobrinam S. Quintini, bellum geren-
 tibus potentissimis Regibus, Philippo Hispaniarum, &
 Galliarum Henrico: ea quoq; invisere voluit juvenis
 Heroicus, ut Palladem armatam ista occasione etiam
 aliquo modo cognosceret. Rediit inde in Patriam in-
 columis anno ætatis suæ XXVI. quem omnes, propter
 summam eruditionem, mores placidissimos, vitam in-
 tegerrimam, libenter amplexi sunt, & habuerunt caris-
 simum: ac cum primis etiam ipse Rex Serenissimus

FREDERICUS II. beatæ memoriæ: qui juvenem doctissimum & modestissimum statim ad publica negotia, quæ tractantur in Cancellia Regia: in qua cum summa laude industriæ annis XI. versatus est. Delectus est etiam interea temporis, qui esset Archigrammateus & primus in isto officio, quem vulgo vocamus a Secretis: in quo se ita gessit domi, tempore belli Svetici, apud delectum Senatam, qui erat Hauniæ, ut propter fidem & industriam, anno 1569. interfuerit colloquio cum Svecis ad Ulfsbek in finibus utriusq; Regni, cum Magnifico Viro Johanne Fris Cancellario & aliis Senatoribus, & reconciliationi isti, quæ tandem facta est Stetini, anno 1570. præsentibus Legatis Imperatoris, Regum Galliæ & Poloniæ, ac præcipuorum Electorum & Principum totius Germaniæ: una cum viris generosissimis & prudentissimis, Petro Bilde, Henrico Rantzovio & Georgio Rosenkrantzio: cujus transactionis & pacificationis articulos ipse paulo post una cum generosissimo Petro Bilde nomine publico accepit & reddidit ad Kneródt in utriusq; Regni confinibus. Sed cum quiddam etiam intervenisset, quod utrumq; Regem concerneret, anno Christi 1572. cum generosissimis & prudentissimis Dominis, Petro Bilde & Georgio Rosenkrantzio missus est ad Bremsebro, de quodam negotio, quod post paulo Rostochii transactum est. Verum obierat interea, anno 1570. magnus Regis Cancellarius, Johannes Frisius, Heros magnificus, & memoria perpetua dignissimus: deliberatum etiam diligenter jam fere triennio, de idoneo Successore, donec tandem anno 1573. die 17. mensis Maij, onus illud gravissimum, humeris hujus KAASII in comitiis Randrusienlibus imponeretur. Hic qualem se præstiterit Virum, Heros KAASIIUS,

SIUS, quanta cum prudentia, fide, æquitate & facilitate munus illud obierit amplissimum, annis continuis XXII. brevibus dici non potest. Quid dicam de summa ipsius industria, quam adhibuit Calingæ anno 1575. dum inter Regnum hoc & Ducatum vicinum XI. Septimanis graviter disceptatum est, sex pariter Senatorum utrinque delectis arbitris & iudicibus. Quid de summa ejus fide præstita Othoniæ an. 1579. die 25. Martii: cum Regi nostro homagium præstaretur à Principibus Holsatiæ pro Feudo Sliesvicensi. Quid commemorem prudentiam in ipso singularem, quam declaravit abundè, tum aliàs sæpissimè, tum eodem anno, mense Junio, apud Flensburgenses: quando inter Hamburgenses & Regem nostrum reconciliatio facta est, quod negotium quinto die mensis Julii tandem peractum est: Et Stetini etiam eodem anno, cum negotium erat nostris cum Rege Poloniæ. Quid dicam, quomodo se gesserit anno 1580. in colloquio cum Svecis, quod erat institutum in confinibus mense Octobri: quomodo Hatersleebii anno 1581. mense Februario in causa successionis post illustrissimum Ducem Johannem, & Flensburgi mense Junio in eodem casu, quo ibidem anno 1582. in distributione cum Illustrissimo Duce Johanne, fratre Regis, post mortem Ducis ejusdem: quo anno 1587. Hatersleebii in transactione cum Anglis, de navigatione in mari Norvagico: quo rursus Flensburgi anno 1590. cum homagium reciperetur nomine Illustrissimi Principis electi Regis nostri pro utroque Ducatu: quo anno 1591. cum Svecis in confinibus de rebus gravissimis, ubi etiam adfuerunt generosissimi, gravissimi, prudentissimi viri, Georgius Rosenkrantz & Manderupius Pasberg. Id verò præterire non possumus, qualem se probaverit sex an-

nis integris & ultrà , inter delectos Quartumviros , à morte Serenissimi Regis FREDERICI II. quam curam habuerit pro Illustrissimo Principe Electo Rege : quam sollicitudinem pro pace publica : quod studium conservandæ concordia in omnibus horum Regnorum statibus ac ordinibus : quanto flagavit amore sincero veræ doctrinæ & religionis incorruptæ propagandæ & conservandæ , sive rabiosa contentione & discordia. Nec minora in hanc Academiam , qua consilio , qua auxilio , ejus merita fuere : Venitq; ipse in Consistorium Academicum anno 1593. die 19. Maji , & coràm oratione proluxa Professores monuit , ut severiorem disciplinam adversus nonnullorum Studiosorum petulantiam exercerent : deinde , ut iidem in prælectionibus Professorum audiendis diligentiores essent : deniq; querelas de cibo in Communitate Regia præbito temerariis & levibus de causis recipi vetuit. Obiit verò placidissimè & pienssimè anno 1594. die 29. mensis Junii , paulo ante quartam vespertinam , septimo die ab eo , quo tantam vim morbi cœpit persentiscere : & eo tempore ita se composuit ad mortem , ut præsentibus probarit se facilè omnia contemnere , cui tam erat facile mori : quiq; cum corpore solveretur , non secus ac Theodosius , quemadmodum inquit Ambrosius , in ipsius funere , magis sollicitus fuit de salute Ecclesiarum & patriæ suæ , quam propria valetudine. Exsequiæ illi factæ sunt die 28. Julii in Templo D. Virginis Hauniensis , & funus indictum Civibus Academicis publico Programmate à Rectore & Senatu Academia , cujus ille summus fuerat Conservator & Patronus , præsidium & dulce decus , an. 22. Parentavit illi oratione Latina D. Johannes Slangendorfius Theol. Professor.

CHRISTIANUS FRIS

de Borreby

Natus est in sede patria Örlund anno Domini 1556. die 21. Decembr. parentibus antiqva nobilitate & virtute præstantissimis : Patre quidem nobilissimo Dn. Henrico Frisio, Domino de Örlund, Matre verò nobilissima Dn. Margarita Bild, Domina de Raunholt: qui cum non essent nescii nobilitatem generis nulla re illustrari magis, quàm pietate & doctrina, huic filio suo à teneris statim fundamenta veræ ac sinceræ religionis instillari curarunt, eumq; accrescente non nihil ætate, tum privatæ Magistrorum curæ, tum in celebri Roëschildensi Schola institutioni liberaliori commiserunt. Circa decimum ætatis annum, addito sibi Præceptore Perotto juris Licentiato, Rostochium missus est, ubi D. Lucae Bakmeisteri domesticus quinquennium sic in literis & moribus progressus est, ut jam tum ex eo puero, qui postea vir futurus esset, facilè homines conjectarent. Hinc ob exsequias Patris (cujus frater, illustre illud Frisiorum decus, Dn. Johannes Frisius trium ordine Regum Cancellarius sub finem anni qui effluerat proximè, rebus humanis exemptus erat) quæ in annum Christi 1571. inciderunt, in patriam reversus, re (interveniente quoq; matris obitu) composita, de voluntate amicorum superstitem denuo in Germaniam contendit: in quo itinere dum studiorum gratia Lipsiæ in primis Jenæ, Tubingæ & Basileæ, usque ad annum 1576. commorabatur, laudabiliter profecit cum in Lingva Latina, tum in religione sincera: ductore potissimum M. Jacobo Goddefrido, item Dn. D. Heerbrando & aliis. Anno Christi

sti

sti 1577. per Laufannam, Genevam, Vesontium, Dolam, in Gallias penetravit, ubi biennium deinceps agens Parisiis, Aureliæ, Rochellæ &c. linguam populi istius, adjunctis exercitiis equestribus bellè addidicit. Hinc, factò excursu interim in Angliam, per Genuam in Italiam conscendit, linguamq; similiter anno 1579. inter graviora, postmodum excoluit Patavii, Bononiæ & Senis. Romæ item & Neapoli (unde in Meliten navigavit) aliquantisper commoratus, Venetiis rediit in Germaniam, veniens Coloniam Agrippinam anno 1580. tam egregia doctrinæ & experientiæ suppellectile cumulatus patriam repetiit, ut statim à Divo **FREDERICO II.** laudatissimæ memoriæ, primo ad curam ærarii, mox in Cancellariam, ut vocant, adscitus fuerit: a quo tempore S. R. Majestati in gravioribus indies Regni negotiis, variisq; legationibus singulari industria interveniit. Anno 1583. jure matrimonii cõpulatus Matronæ splendore generis & virtutis nobilitate excellentissimæ **Dn. Mettæ Hardenbergicæ**, cum qua vitam degit verè conjugalem, territorii Nidrosiensis Præses ab illo, quem diximus, Rege laudatissimo, constituitur. Anno autem à morte ejusdem Regis proximo, hoc est, 1589. Præses fit Anderskoviensis. Utroq; præsidio justè ac fideliter defunctus, (ut interim in Sveciam ad baptisma Illustrissimi Ducis **GUSTAVI** anno 1595. missus sit) ante augustum illum diem, quo diadema Regium impositum est Regi nostro Clementissimo **Dn. CHRISTIANO IV.** laudatissimæ memoriæ anno 1596. Cancellarius magnus magno Optimatum totiusq; Ordinis literarii applausu designatur: in quo munere non minus arduo, quàm splendido, quantum incredibili sua fide, prudentia, vigilantia Regni hisce Borealibus præfuerit, grata men-

mente agnoscendum est meritissimo. Nec minore felicitate, quàm industria Legationibus deinceps quam plurimis pro Rege Regniq; incolumitate, functus est. Munus legationis obiit ad Dn. JOACHIMUM FREDE-
 RICUM Episcopum Magdeburgensem & Marcgravi-
 um Brandenburgensem anno 1597. Missus Embdam
 anno 1600. ubi ex altera parte tandem comparuere Se-
 renissimæ Reginæ Angliæ ELISABETHÆ legati. In
 confinium ad Kongsbak anno 1601. Ad Serenissimum
 Regem Magnæ Britanniaë JACOBUM anno 1603.
 mense Julio, postquam vere anni ejusdem ad Flackesö-
 bek, propter illa quæ Dania tunc temporis cum Svecia
 intercedebant, negotia, interfuisset: tandemq; 28.
 Octobr. S. R. Majestati, cum ipsi à florentissima Rep.
 Hamburgensi præstatur homagium, comitem se præ-
 buit; sicut etiam in Comitibus Bergensibus anno 1604.
 Item in Anglia anno 1606. Et in Comitibus Stavangri-
 ensibus anno 1607. Adhæc anno 1610. homagio, quod
 Serenissimo Principi Electo Dn. CHRISTIANO pri-
 mum in Dania, hinc Aslojæ in Norvegia solenniter de-
 latum ac datum est, præfuit magnificè. Quid comme-
 morem labores istos plusquam Herculeos, quos anno
 1611. & subsequentibus, dum S. R. Majestas in bello
 contra Svecos agebat, tam dextrè quam mascule exant-
 lavit, plurima ipsam Regni medullam concernentia
 moderando sapientissimè? Quid dicam de insigni illo,
 quod anno 1612. ab initio Decembr. ad Januarium us-
 que anni 1613. in confiniibus ad Kneröd dedit, pruden-
 tiæ & moderationis specimine, ubi cum aliis Illustribus
 Regni Senatoribus sic direxit omnia, ut Reipubl. no-
 stræ una cum pace flos suus constaret feliciter? Quid au-
 tem? Nonne tanta ei fides à S. R. Majestate habita est,
 ut

ut ipfemet comitiis, quæ anno 1613. in urbe Norvegiæ Skeen peracta sunt, auctoritate Regia indutus præfideret, ac postmodum S. R. Majestatem, inter alios præcipuus, comitaretur Hamburgum? Neq; hic laborum finis. Anno enim 1614. rursus Clementissimo Regi nostro CHRISTIANO IV. ad Serenissimum Regem Magnæ Britannæ, de magnis negotiis dum ageretur, erat conjunctissimus. Hinc anno eodem, ut & antea non semel, Legationem ad Illustrissimum Principem Holsatiæ obiit prudentissimè. Sed ad finem vergimus. Anno enim 1616. duo in Norvegiam, una cum S. R. Majestate fecit itinera: prius mense Januario Bahusium, unde salvus rediit & incolumis: posterius mense Julio ad Comitiam publica Aslojæ habita. Huc autem postquam solito infirmior appulisset, diebus non ita multis exactis in navem, quæ Fides dicta est, spe patriam repetendi, rediit. Sed ut in humanis fieri solet, fors fortior obtinuit manifestissimè. Etenim morbus sic invaluit, ut pretiosissimum hoc Daniæ decus recidendum esset. Idcirco priusquam in Daniam solverent, ad communem omnis carnis viam sedulo serioq; se accinxit generosus ille sanguis, & coram Concionatore Aulico, qui aderat, illustri defectus ac fidei confessione edita, testamento veri corporis & veri sanguinis Domini nostri Jesu Christi se recreavit, & postquam S. R. Majestas, remotis arbitris, cum eo contulisset, ac deinceps Regni Senatores atq; Proceres cum eo egissent, mira animi patientia ad mortem se composuit, tandemq; fide salvifica in fide, imo in Christo Salvatore ad extremum usq; halitum firmiter insistens, die 29. mensis ejusdem, cum signum audiretur horæ octavæ matutinæ, animam beatam Deo conditori reddidit. Magna fuit optimi hujus viri in te-

auioris fortunæ homines liberalitas. Singulis septima-
 nis in eos marcas XXX. in pecunia numerata, ad sedem
 hæreditariam Borreby erogavit. Singulis mensibus
 complurium annorum Hauniæ in egenos, XXX. thale-
 ros distribuit. Ut in juventute Academica excitaret
 discendi alacritatem, non paucos bonæ spei juvenes in
 Academiis Germaniæ, Galliæ, Italiæ, munificè aluit ab
 anno 1610. in primis impendens liberaliter CCCC. un-
 ciales in unum & alterum jam rursus, præter alia muni-
 ficentiæ ejusdem generis testimonia luculenta. Studi-
 um ipsius Theologicum quod attinet interea, evolvebat
 ille quotidie, non sine votis ardentissimis, Biblia sacra,
 & in primis quorum contextus argumentis & annotati-
 onibus D. Lutheri illustratus est, adhibita simul per to-
 tum annum, quæ Ecclesiis nostris singulariter commen-
 data est, Postilla ejusdem Auctoris Ecclesiastica. Cum
 iis, quibus familiarius utebatur, pia colloquia revolvit,
 & ardentem in ipso pro Religione curam deprehende-
 runt, fervensq; desiderium observarunt, ut Ecclesiæ
 confessio vera & salutaris, Reip. verò incolumitas sua
 firmiter constaret. In publicis negotiis omnibus, etiam
 posthabitis privatis, pius fuit, fidus ac indutrius. Mor-
 tuo Hauniam delato exsequiæ factæ sunt die 19. Augu-
 sti, funusq; Civibus Academicis programme publico
 indictum à M. Christiano Longomontano Rectore Aca-
 demix, cujus Mecœnas & Patronus ac Conservator an-
 20. fuerat: sed & oratione Latina in Auditorio Acade-
 mico die 20. Augusti ei à D. Cunrado Aflaco Theologiæ
 Professore parentatum est. Sepultus autem est in summo
 choro Templi D. Virginis, ubi inter duas columnas Au-
 strales ei Monumentum est erectum cum hac inscri-
 ptione:

C. E. Deo

C. F.

Deo Trino & uni gloria.

Memoriae Illustris & generosi Viri CHRISTIANI
FRIS de Borreby, cujus innata virtus, literis & usu, do-
mi forisq; sedulo exculta, in Aula & Archivo Serenissimi
Regis FREDERICI II. probata, & approbata, regi-
mine variarum Præfecturarum gnaviter exercitata, ipsum
tandem ad summam Archivi Serenissimi Regis CHRISTI-
ANI IV. gubernationem, & sedem Regni Senatoriam
erexit: ubi fideliter atq; prudenter annis XX. exantlatis,
insigni Regis favore, magno Reip. fructu & applausu,
demùm in Comitibus Norvegicis, in navi Regia, pie obiit 29.
Julii, anno Christi 1616. ætatis 59½. Nec non Genero-
sæ ipsius Conjugis METTÆ HARDENBERG de
Skioldemose, quæ cum ipso fido socia vivit piè & castè, an-
nos XXXI. dies, qui supererant pauci, viduitatis integrita-
te vitæ ac redemptionis se refocillans, animam Deo reddidit
15. Junii, anno Christi 1617. ætatis 54. Honoris & gra-
titudinis ergo hoc scripsit ac poni curavit

PALLAS ROSENKRANTZ de Krenkerup

Facies Monumenti extra chorû spectans hæc exhibet:

Christian Friis til Borreby Kongl. Maj. Can-
celler oc Danmarks Rigis Raad.

Fru Mette Hardenberg til Skioldemose.

Illorum recubant hic uno membra cubili,

Exspectant faciem Christe videre tuam.

CHRISTIANUS FRIIS

de Kragerup

Natus est prid. Non. Novemb. an. 1581. Patre viro Nobilissimo Dn. Georgio Frisio, Domino de Kragerup, Senatore amplissimo, & arcis Segelstrupiensis Præside Regio, matre ex Generosissima Biornonum stirpe orta. Postquam ad eam ætatulam adoleverat, quæ literariis exercitiis habilis videretur, primò domi, deinde in Schola Sorana latentes virtutis & exaggeratæ mentis igniculos excitari curarunt Parentes. Et quemadmodum Sol prima Orientis crepuscula suavissimè diffundit, sub meridiem verò acriùs jucundiusq; irradiat: haud secus ille, qui in prima annorum teneritudine effervescebat meliorum literarum amor, ubi erius ætate sese per annorum curricula ad auream juventutem explicante volucris quodam igne effulsit. maturo itaq; optimi parentes consilio in Germaniam digreditur, nobilissimorum fratrum Dn. Georgii Fris & Dn. Biornonis Fris (quos immatura mortis iniquitas nobis in Galliis eripuit) nec non honoratissimi sui ἐργασίας clarissimi viri Dn. M. Hermanni Nicolai, Lingvæ Hebrææ Professoris, meritissimi consortio stipatus, nova inde generosæ indolis suffragia relaturus. Eo fine primo biennali decursu Marpurgum, mox Argentoratum, reliquasq; inclyti nominis Academias Germanicas insedit. Inde in Daniam rediit; nec longa nobiscum mora: antiquæ namq; Galliæ & Italiæ imago arduum illud & ad quævis excelsa iturum ingenium ad novas peregrinandi leges concitavit. Quicquid itaq; vel Gallia vel Italia prisçæ & moderæ laudis suo ambitu continet, id totū avido spiritu sci-

Scientissime complexus est, variarumq; lingvarum ac scientiarum ubertate nobile pectus adimplevit. Hic ubi integrum lustrum Rerump. formis, Gentium moribus ac institutis notandis, & civili parandæ prudentiæ impendisset, ac quicquid uspiam boni moris vel exempli esset, imbibisset, rerum experientiam, unde prima scientiæ lineamenta ducuntur, confectatur. Quapropter Belgium militaris gloriæ palæstram ac Martium campū adiit, excelsæ mentis generositate explicaturus, ac sapientiæ palmas bellorū laureis implicaturus, & Illustrissimi Principis Ducis MAURITII auspiciis primam belli aleam felici successu jecit. Reversus verò anno 1607. in patriam, Serenissimæ Regiæ Majestati obsequii gloriam officiosè detulit, decusq; Aulicum ea morum festivitate ac gravitate sustinuit, ut publici boni nomine aliquoties in exteris suam fidem & observantiam Regno nostro probaverit, eoq; omnem vigilantiam viresq; contulit, ut, quod fuit gratia unius, id ipsum obsequii fidelitate fieret judicium omnium. Inter Aulici splendoris obsequia sic quadriennium consumsit, donec anno 1611. flagrantissimo belli incendio inter Danos & Svecos exorto, nobilis hæc flamma trecentis peditibus stipata se immiscuit: in quo ita Martis vim exacuit FRISIACUM fulmen, ut non modò Imperatorum latus cinxerit, torrente impetu undiq; formidabile; sed ad Imperatorios fasces evectum se propriæ virtutis assertorem, alienæ exactorem abundè probavit. Calmario namq; telorum imbre & globorum procellis attrito ac devicto præficitur, ubi nulla molestiarum asperitate deterritus FRISIUS, sed in laboribus primus, in refectiōne postremus erat, & à suis amari, quàm suspici maluit: unde tanta dignitas ipsi nata est, quæ militibus amo-

rem obsequii & reverentiam disciplinæ ingeneravit. Sed in radice montis adhuc versamur, ad verticem sensim enixuri. Sequenti anno 1612. totius Ölandiæ & Borsholmii Præses renunciatur, eaq; dexteritate ad munus commissum excubuit, ut omnes hostium assultus, non tam vi, quàm providentia; non casu, sed ratione eluserit: nihil apud se remissum, nihil apud eos tutum perpeffus. Vix hastas & gladios coronaverant Dani, circumfluentibus undiq; anno 1613. quietæ felicitatis insignibus. Illustris Heros Regio favore nunc sublimis ad illustrem & lætam fortunam, primo Roëskildensis, mox Hauniensis arcis administrationem extollitur. Inter tot curarum fluctus, quo Deo plus tribueret, propiusq; accederet, sacrosancti conjugii vinculo se innectere cogitans, die 8. Maji, anno 1614. nobilissimam & ab omni virtutum decore commendatissimam Virginem Dn. BARBARAM VITROP, Generosissimi Dn. JOHANNIS VITROP de Engistoft filiã utriusq; fortunæ consortem in genialem thorum introduxit. Horum castissimum thalamum IX. liberorum fœcunditate beavit Deus, ex quibus CHRISTIANUS postea Tribunus militum & machinarum bellicarum præfectus generalis fuit: GEORGIUS Vardhusiensis Præses Regius: JOHANNES Tribunus militum & Silkeborgensis Præses Regius: GREGORIUS, ducta uxore, non ita diu post vita excessit: Dn. ANNA CATHARINA an. 1622. obiit Virgo: Dn. ELISA nupsit JOACHIMO BECH de Gladfaxe, arcis Beulingensis Præsidi Regio: Dn. ELISABETHA AXELIO JUL de Volstrup, Exedræ Lundensis Prælato: Dn. BARBARA GEORGIO SEEFELD de Visborg, arcis Haldensis Gubernatori Regio: Dn. ANNA CATHA-

THARINA ANTONIO JUL de Sóggaard. Ipse inter ardentis publicorum ministeriorum æstus vigilando se suamq; vitam attrivit, ut civibus suis dulcem & quietam tranquillitatem procuraret. Eodem verò, quo dulcissima uxor sibi in manum convenerat anno, in decuriam eorum adsciscitur, qui Majestati Regiæ in magnam Britanniam transituræ honorata obsequia deferrent. Et sicut lux, quo propius allabatur, eo pleniore lumine ac clariori radiorum vibratu objectum collustrat: ita Rex noster cognita singulari Dn. **FRISII** perspicacitate & iudicii dexteritate, nova in ipsum vota contulit, ac Illustrissimi Electi Principis curam ac venerabile Aulæ magisterium commisit. Nunc velum levemus, cortinas tollamus, augustas honorum sedes, scenas & fasces explicaturi. Abiit 1616. **FRISIUS** velut optimi seculi instrumentum in ordinem Regni Senatorium cooptatus, mox Equitis Aurati titulo cohonestatur: tandem quod omne sustulit punctum, ad amplissimum honoris fastigium evehitur, & summus Cancellarius ac Regiæ sapientiæ Oraculum proclamatur. Tantum decus ea felicitate sustinuit, ut pretiosissimum hocce patriæ pignus totius Regni & Imperii vel humeris vel studiis deferretur, & tot ei statuerentur sepulcra, quot hominum pectora. Is fluentem in se negotiorum molem masculè suscepit, & perpetue cura perdomuit, quicquid arduum fuit, nec quicquam actum putabat, cum quid agendum superesset. Visæ sunt anno 1629, pulcerrimæ, confecto pacis vinculo, ad ejus reliquorum Procerum reditum, viæ oleis strata, muri urbium exsultantes, gestientes domus, conferti pompis viri, tecta ipsa laborantia, & ridens civitatis facies, quæ præ gaudio se non capiebat. Is erat, qui super laqueos, quos insidiosè concinnaverant, in-

gress-

gressus eos dirupit, ejusq; oratione ferox ille & hostilis animus tanquam fluctus ad scopulum evanuit. Quid in Germania, Svecia, Holfatia expediverit, publicis annalibus commitemus, suspensa duntaxat manu, ultimam ultimæ hujus vitæ scenam conclusuri. Reversus Comitibus Fyoniensibus anno 1639. sensim sibi vires minui conqverebatur, & ad eas corroborandas consilio viri Excellentissimi præcocia fata saluberrima ratione remorantis Dn. D. Fabricii Archiatri meritissimi usus est; sed malum indomitum mox in ferocem febrilis intemperiei ardorem erupit, & varia naturæ graviter laborantis *περιερα* ostendit. Accessit urina sanorum similima, nec non *ἀκυσία*: unde sagacissimi naturæ interpretes, Dn. D. Nicolaus Fossius, Dn. M. Tankerus, Dn. M. Stougarus, candide eum violentiæ morbi & ferocientis materiæ morbificæ admonuerunt, lenissimis interea *ἐκπερικραῖς καὶ ἀναληπτικαῖς* usi. Ipse verò quasi *ἀπύρετος* pro felicitate Regis & Regni precatus, conjugem mœstissimam & dulcissimos liberos vocari jussit, quos divina oratione ad ardens virtutis & pietatis studium hortabatur, iisque ad genua affusis benedictionem solenniter precabatur: mox ad lectissimam Conjugem se convertit, Vive, inquit, vive lux mea, nostri conjugii memor, & vale: nolo in terris morari, ne cœlestis gaudii recordatione contabescam. Accersi deinde jussit Religiosissimum Episcopum D. D. Casparum Brochmannum, cui conscientiam voluit explicare, & sacratissimo cœnæ Dominicæ epulo vicissim refici. Iis summa cum devotione peractis, ab omni postea tumultuaria sensuum consuetudine abreptus, perpetua rerum Divinarum meditatione, quasi catenis aureis religatus, adhærebat origini suæ Deo, mentem totam, velut purissimi nitoris speculum

lum æterno Numini prætendens, & in hac fragili corporis argilla, Angelorum vitam cœlestesq; delicias & meditari & æmulari cœpit. Totus nempe erat in orationibus, totus in hymnis, totus in calidis ad Deum suspiriis, & Salvatorem suum Jesum Christum, quasi ardentissima caritate complexurus, adstantem velut & spirantem intuebatur, consulebat, alloquebatur, orabat, exosculabatur. Inter hæc seria pietatis exercitia, ipsis Calend. Octobr. anno 1639, animam Creatori reddidit. Exsequiæ illi factæ sunt in Templo D. Virginis Hauniensis, & Programmate publico funus indictum Civibus Academicis à Doct. Claudio Plumio Rectore Academiae, cujus incomparabilis Patronus & Conservator an. 23. fuerat. Parentatum quoq; ei est oratione latina in Auditorio Academico à Johanne Johannis Resenio, Theologiæ Doctore & Professore. Defuncti corpus Soram translatum, & sepulcro, quod vivus constituerat, illatum.

CHRISTIANUS THOMÆ F. SEESTED de Stougaard

In lucem hanc prodiit anno à Servatoris Christi natalitate 1690. die 17. mensis Februarii, in prædio patrio Bekmark, parentibus ortus longissima avorum prosapia nobilissimis, & quod generosæ indolis est fundamentum, omni virtutis genere ornatissimis. Pater erat Thomas Malthæus, Dn. de Holmgaard, vir ex Heroica indole totus compositus, antiquæ virtutis & generositatis vivum exemplar. Mater Anna Lunge, Domina de Bekmark, Heroina excelsi animi, masculinæ indolis, & illustres avitarum mentium dotes unita virtute comple-

plectens. Cum, quæ erant prudentia, Generosissimi parentes scirent excelsæ nativitatis privilegium, nisi indoles accedat Heroicis virtutibus ornata, nomen esse illustri familia indignum, æqualibus contemptum, infimæ plebi: facti ita exosum, ut longè infra communem hominum sortem convitiis id deprimere non cessent, omni id cura egerunt, ut optimis moribus tenellam ætatem imbuerent, iisq; studiis informandam curarent, quibus ad summa quæque in patriæ commodum expedienda aptus atq; idoneus redderetur. Cœperat jam ipse infans manifestiora excelsæ indolis argumenta quotidie depro- mere, dotibus ætatem longissimè supergressus, & ut Parentis utriusq; externalineamenta, ita in primis internas nobilissimæ mentis dotes exactius referebat. Postquam itaq; divino ingenii acumine, studia, quæ tanquam fundamenta præmitti solent, breviori tempore quam addisci hæc vulgo videmus, percepisset, ad prædium, quod Rosenholm dicitur, ipsum miserunt, ut cœpta feliciter studia porro continuaret. In hac palæstra triennio transacto, ea edidit hic Heros specimina, quæ non solum domesticorum ore, sed & exterorum, de virtute atq; eruditione incorruptè judicantium, fama celebrari merebantur. Itaq; studiis Academicis jam maturus, anno 1603. ex Parentum atq; Propinquorum Nobilissimorum consilio, in Germaniam proficiscitur, & circa Michaëlis festum Vitebergam venit, quam ob Evangelicæ doctrinæ cultum, earumq;, quæ ad humanitatem pertinent, artium exercitia, suo proposito in primis convenientem censebat. Quæ hic ediderit diligentia specimina usq; ad festum Paschale anni 1607. cum ob carissimæ matris obitum in patriam revocaretur, testantur tum plurima exercitia in privatis Collegiis habita,

bita,

bita, tum doctissima Disputatio publicè summo cum omnium applausu propugnata. Hinc omnia Subsellia, Collegia, Cathedræ THOMÆUM laudare, morum affabilitatem & indefessum studium, easq; animi dotes omnes, quæ veræ Nobilitatis, ut prima merita, ita vera insignia, Summorum Imperatorum, Regum, Principum statutis censentur, in hoc Heröe mirari, celebrare & venerari. Simulac pietati in superstitem Parentem satisfecisset, compositis domi rebus, recto itinere in Germaniam reversus, Gießæ mensium aliquot spatio subsistens, Privata Collegia sub Clarissimo Viro M. Casparo Finkio, Philosopho & Theologo insigni, frequentat. Postquam abunde instructus esset hic Heros earum rerum scientia, quas suppeditare ipsius usibus Inclyta Germania poterat, circa Michaëlis festum in Galliam se confert, & per hyemem Aureliæ commoratus, nunciata carissimi Patris morte, Propinqvorum literis in patriam vocatur. Hic deliberare Heros, quo erat perspicacissimo iudicio, & perpendere secum quid factu optimum, atq; è re studiorum in primis esset, cum hinc studiorum commoditas ad se traheret, illinc Nobilissimorum Propinqvorum voluntas in patriam vocaret. Re utrinq; expensa, ut Propinqvorum, quos Parentis loco colebat, petitioni morem gereret, subito itinere ad suos properat, ita tamen ut his salutatis, atq; reddita consilii sui ratione, Aureliam, quam ægre reliquerat, mox denuò invisat. Hinc, postquam præter Gallici sermonis facundiam, Civilis Regiminis formam observasset, Aquitanorum Pictonum metropolin, ad Clunium fl. sitam, olim Augustoritum appellatam, non minus tunc temporis ab Academia Juris Interpretibus ornata commendabilem, quam quondam Romanis, quorum

sumtuosissima vestigia adhuc supersunt, cultam, studiorum sedem eligit. Inde Parisios, Gallici Regni caput, proficiscitur, ut summorum Virorum consuetudine, quorum ibi maxima copia, frueretur. Inde, ne quid neglectum aut omissum videretur, quod ad comparandum Prudentiæ multiformis thesaurum posset conducere, anno 1611. in Italiam proficiscitur, ibiq; perlustratis variis, tum Civitatibus, tum ditionibus, & observata ubiq; Regiminis forma, Florentiam dignam iudicat, cui maxima temporis mora impendatur. Non detinebat Heroem hoc in loco aut situs amœnitas, aut Augustissimi Medicæi Palatii splendor, sed abstrusa illa & recondita Regiminis forma, quæ per Medicæam familiam introducta, eam sui nominis celebritatem apud omnes longè lateq; est consecvuta, ut quod Europæ totiq; Orbi est Italia, hoc Italiæ habeatur florentissima Florentia. Jam ex observatis summa diligentia variarum Rerump. institutis ea conqvieserat hic Heros Prudentiæ adminicula, quæ ipsi gloriam, Patriæ utilitatem adferre poterant. Itaq; Florentia digressus, factò denuo per Galliam itinere, in Angliam trajicit. Inde anno 1612. mense Octobri in patriam redit. Prima mox cura fuit, ut iis se munus offerret, quibus utilem Publico operam navare posset. Itaq; in Nobilium numerum adsciscitur, quorum fidei solent Regis Regniq; arcana committi. Tanta se hic offert laudum materia, tam immensus rerum gloriosè gestarum numerus, ut Oratoria dicendi facultas rerum quavis laude majorum copia penitus obruatur. Vix ullus huic Heroi volvebatur annus sine publico officio, aut splendida in Regni emolumentum peracta legatione. Ea elucebant in novitio hoc Cancellariatus Candidato raræ prudentiæ argumenta, ut,

vix

vix præstito fidelitatis juramento, ex toto illo Nobilium numero sit electus & aptissimus judicatus, qui ad Regni nostri, ubi Sveciam attingit, limites missus ob signata traderet pacis inter utrumq; Regnum nuper initæ foedera, & eorundem exemplar, quod à Rege Sveciæ erat firmatum, referret. Hinc reversus, protinus in Hispaniam mittitur, ut apud Perillustrem Heroëm Dn. Jacobum Ulfeld, qui Legatus in Hispaniam proficilcebatur, Nobilis Aulici munus sustineat. Seqvente anno denuo jubetur Regias literas ad Regem Sveciæ perferre, quem cum in Regni sui metropoli non inveniret, Narvam Livonicam profectus, commissa feliciter exsequitur. Perspecta jam summa iofius in variis maximi momenti rebus expediendis fidè & solertia, apud Serenissimum Principem Augustissimi Conclavis Præfectus constituitur. Seqvente anno, cum contra M. Johannem Canutium, Diocesis Fyonicæ Superintendentem causa esset dicenda, Heros hic ob expeditum Latini Sermonis usum aptissimus censetur, qui coram Augustissimo Rege, delectis ex Senatorio Ordine Regni Senatoribus atq; Episcopis, Latino Sermone causam agat. Cum providendum Serenissimo Principi esset de idoneo Aulæ Magistro, nemo Celsissimi Regis iudicio inventus, qui arduam hanc & cum publica salute conjunctam functionem, aut rectiùs, aut fidelius obiret. Defunctus jam erat Heros iis, in Aula Regia, muniis, quæ prima committi solent Nobilibus, quorum una cum fide perspecta est singularis Prudentia, ea industria & solertia, ut nihil esset tam arduum, nihil tam difficile, quod ipsius curæ commissum non censeretur posse gloriosissimè expediri. Verùm quanto majora quotidie pollicebatur Generosa hæc indoles Patriæ profutura commoda,

tanto majorem jaſturam videbatur pati Publica utilitas, ſi quid humanitus ipſi contingeret prius, quàm proge-
 niem reliquiſſet, quæ Paternarum virtutum æmula ad
 veram gloriam & Patriæ decus avitis grefſibus conten-
 deret. Itaqué, quærebatur ſocia, quæ THOMÆO par
 optatam poſſet eniti Heroicæ indolis prolem. Non de-
 ſtituit THOMÆUM ſupplicem divina benignitas, quæ
 precibus & ſuſpiriis quotidie implorata, exauditæ vocis
 optatiſſima hætenus dederat argumenta. Florebat in
 omnium animis ſumma cum veneratione divinum illud
 ſeculi ſui prodigium, Oligerus Roſenkrantz, Dn. de
 Roſenholm, Regni Daniæ Senator, ob ſtupendam eru-
 ditionem & divinas virtutes, non in Dania modò, ſed
 & in remotiſſimis quibusqué; Europæ locis celeberrimus,
 qui ducta in uxorem Virgine nobiliſſima & omnis gene-
 ris virtutibus ornatiffima, Sophia Brahe, aliquot ex ea
 ſuſceperat liberos. Nihil poteſt in Nobiliſſimæ hujus
 Familiæ laudẽ dici, quod non infra ejusdẽ virtutem lon-
 giſſimè ſubſiſtat. Privata domus erat Pietatis templum,
 omniumqué; virtutum officina. Quot liberi erant, tot di-
 vina ſacraria. Ita docebantur vivere, ut nihil ſibi un-
 quam, etiam maximè ſoli, committerent, niſi quod
 committere Univerſo Orbi auderent, & generoſa indo-
 le pleni ſemper conarentur, quos naſcendi privilegio
 antecedeabant, hos divinarum virtutum cultu longiſ-
 mè antecellere. Itaqué; hic Heros à Summo Numine ex-
 auditus ex Generoſiſſima hac Familia thalami ſociam
 accepit Virginem omni laude majorem MEDEAM
 ROSENKRANTZ, & celebratis fauſtiſſimo omine
 nuptiis Otthoniæ anno 1620. Pater factus eſt XI. præcla-
 ræ indolis magnæqué; ſpei liberorũ. Quorum ſex poſtquã
 de Patriarum Avitarumqué; virtutum veſtigiis fideliter re-
 ferren-

ferendis insignem præbuisſent exſpectationem, ineunte ætate diſceſſerunt. E filiis ſuperſtitibus AXELIUS & ERICUS ad antiquam Danicæ Gentis gloriam invidenda poſteris felicitate, domesticis exemplis incitati, contendunt. Filiarum ANNA, MAGNO FRIS Conſiliario Regio & Quæſtori, nupſit : SOPHIA in conjugio eſt PETRI REETZ, Equitis Aurati, Regii Regni Conſiliarii & Cancellarii, ac Academiae Conſervatoris poſt THOMÆUM : DOROTHEA primum PETRO JUL, & eo defuncto MARCO ROTSTEEN nupſerat. Ex eo tempore, Patriæ nomine in Germania ad Sereniſſimos Electores Saxonicum & Brandenburgicum, Celiſſimos Principes Holfatum & Meklenburgicum, in Belgio, Anglia & Hiſpania variis legationibus eſt quàm feliciffimè functus. Anno 1625. à Svecica legatione reverſus, reddita Sereniſſimo Regi glorioſiffimæ memoriæ, qui Steenbergi in Holfatia tunc temporis commorabatur, expeditæ legationis ratione, in Regni Senatoré adſciſcitur, & quod per multos jam annos in omnium animis erat judicatus, communi ſummis meritis congratulantium applauſu appellatur. Seqvente anno, peracta ad Præpotentes Fœderati Belgii Ordines legatione domum proficiſcens in ſummum vitæ diſcrimen incidit, à Lingeniſibus militibus interceptus. Verùm Divina benignitate, cujus protectioni actiones ſuas omnes commendabat, conſervatus, datisq; à Sereniſſima Regia Majeſtate ad Potentiſſimam Infantem, Belgicarum Provinciarum Gubernatricem literis dimiſſus, lætis omnium animis excipitur. Hinc pedetentim ad ſummum honoris culmen evectus, dum anno 1630. conſentientibus cum Sereniſſimo Rege Senatorum omnium ſuffragiis, Regni Cancellarius conſtituitur, de-

inde

inde in Equitum Auratorum numerum refertur, & deniq; anno 1640. in Regis Cancellarium eligitur. Quanta fide, quamq; optato cum successu tot tamq; difficiles legationes obierit, omniaq; Nobilis, Senatoris, Cancellarii munia sit exsecutus, loqvuntur publica patriæ ubertim procurata commoda, & exterorum Principum atq; Regum amplissimæ laudes: in primis verò Serenissimorum Daniæ Regum, CHRISTIANI IV. gloriosissimæ memoriæ, & FREDERICI III. cujus Imperio Deus Opt. Max. benedicat, insignis benevolentia, summis Præfecturis maximisq; beneficiis abunde declarata. Affectum Herois hujus erga Cives, eosq; omnes, quibus præerat, testabantur deliderantium gemitus & profusæ lacrymæ. Favorem erga Regiam hanc Academiam, totumq; Literatorum Ordinem evincunt summa unicuique præstita beneficia, & apud Serenissimum Regem impetrata in studiorum commodum stipendia. Nemo unquam diligentius inqvivisit in vitam, mores & studia eorum, qui bonæ frugis spem præbebant. Nemo accuratius observavit, quæ in patria edebantur eruditionis specimina, aut quomodo studiosa juvenus apud exteros tempus collocabat. Sed infensa peccatis Divina justitia Cœlestissimum Heroem difficilimis temporibus patriæ eripuit. Etenim à Comitibus Othoniensibus anno 1637. redux, protinus sensit catharri ingravescentis molestiam: ad quem tollendum, quamvis D. Simonis Pauli, aliorumq; Clarissimorum atq; Experientissimorum Medicorum consilia instituerentur, tamen debilitatis corporis viribus morbus omnem pharmacorum vim expugnavit. Cùm sentiret minui paulatim atq; deficere vires, attrita senescentis ætatis valetudine, mature animum à mundanarum rerum cura aversum Leo

Opt.

Opt. Max. offerens, conciones a Divini Verbi Præconibus frequenter in ædibus suis haberi curavit, atq; post impetratam peccatorum remissionem salutari Servatoris corporis ac sanguinis sacramento refectus 29. die Julii, M. Michaëlis Henrici, Ecclesiæ, quæ in Regia Hauniensi Arce est, Pastoris ministerio ad beatissimam mortem constantissimo animo se præparavit: quam non tam præsentem sensit, quam diu expectatam excepit beatissima illa anima corpore soluta quinto Sextilis die, postquam terreno domicilio septem & sexaginta annis, quinque mensibus, decem & octo diebus fuisset inclusa. Exsequiæ illi factæ sunt in Templo D. Virginis Hauniensis, & programmate publico Civibus Academicis funus indictum est à D. Christiano Ostenfeldio Rectore Academicæ, cujus Patronus summus & Conservator an. 17. fuerat. Parentatum quoq; illi est oratione Latina in Auditorio Academico à Thoma Bangio, Theologiæ Doctore & Professore. Defuncti corpus Arhusiam translatum, & sepulcro, quod sibi vivus paraverat, illatum. Monumentum in Templi Academici choro ei ponere decrevit Generosissimus gener MAGNUS FRIS, de Faurskou.

PETRUS REETZ de Tygestrup

Natus est an. 1614. die 17. Novemb. in avito prædio Tygestrup, Patre Per-illustri Frederico Reetz, Tygestrupii Domino, Equite Aurato, Regni Daniæ Senatore & Oringburgensi Præfecto Regio: Matre Nobilissima Birgitta Brahe, Stenonis Brahe, Regni Daniæ Senatoris filia. Peradolescens domesticis primum Magistris in disciplinam traditus, anno Christi 1632. ætatis

duodevigesimo in Scholam Illustrem Herlovianam
 mittitur : ubi exacto inter primanos fere triennio, opti-
 marum artium studiis ad majora virtutis gloriæq; avitæ
 incrementa informatus , ineunte anno 1635. Academi-
 am Soranam , Studiorum equestrium, meliorisq; litera-
 turæ magistram habuit , atq; intra unius anni decursum,
 divinæ indolis, ingeniiq; præstantia celeriter omnes an-
 tecelluit. Inde ad capeffendum uberiores animi cul-
 tum , discendasq; meliore compendio lingvas artesq;,
 quæ tantæ fortunæ generosisq; natalibus ornamento ès-
 sent, in Belgium , inde in Britanniam, Galliam, Italiam
 & Germaniam concessit. An. 1641. sexto postquam di-
 scesserat , in Patriam rediit , perq; distinctos honorum
 gradus ad præsentem splendidissimi muneris amplitu-
 dinem adspiravit. Statim enim atq; lares Paternos salu-
 taverat, Regiæ Cancellariæ, ut vocant, inter Illustres è
 prima Nobilitate Viros nomen dedit, regnante CHRIS-
 TIANO IV. Eodemq; anno, cum Christiano Holk,
 Quæsturæ Regiæ præfectus est, curandis rationibus Re-
 gii Vestiarii, Domus annonariæ, Classis Regiæ, Scriptu-
 rarum ex Vectigalibus Pontis D. Annæ, publici Pædotro-
 phii, Ædificiorum publicorum , Armamentarii & Aulæ
 Regiæ. Primus hic ad majora gradus : ad singularem e-
 nim Divi Principis favorem , quo REETZIORUM
 domum , Augustissimi Parentis FREDERICI II. e-
 xemplo, complectebatur , accessit spectata in ministerii
 hujus biennio fides ac solertia : quæ etiam causa fuit,
 quamobrem an. 1643. Olao Pasberg & Stenoni Bilde,
 ad Magnum Moscoviæ Ducem Legatis , à Secretis ad-
 jungeretur, anno integro in eo itinere ac administratio-
 ne consumto. Quod cum perhonorificum censebatur,
 utpote nemini concessum , nisi cujus fides & industria
 cogni-

cognita esset, tum maxime in Illustribus Viri rerum gerendarum gnari natalibus præcipuæ dignitatis erat. Patrem an. 1643. in fœdere Bremsebroënsi dignitatis locum apud Regios Legatos tenuit: inter quos tum erat **CHRISTIANUS THOMÆUS SEESTED**, ad cuius, eo tempore, amicitiam intimamq; familiaritatem accessit, cumq; ex pacto jam educendus esset extra Scaniæ fines Svecus exercitus, mense Septembri constitutus est, cum Otthone Tot, partium nostrarum apud exercitum illum Legatus, uti provideret, ne quid, contra pacti fœderis jura, nostris detrimenti accideret. An. 1647. Regius in Galliam Orator mittitur, nos Residentem appellamus: quem ille honoris gradum magna Civilis prudentiæ, fidei ac solertiæ laude, integro triennio obtinuit. Excessit interea è vita mortalium Immortalis gloriæ Princeps **CHRISTIANUS IV.** succedente **FREDERICO III.** Rege Opt. Max. qui altero Imperii sui anno Oratorem suum è Gallis evocavit, gravioribus Regni negotiis adhibendum. Anno enim 1652. ad Remp. Angliæ, quæ tum erat, cum Generosissimo Erico Rosenkrantz, Rosenholmii Domino, Regia Legatione functus est. Hinc in Patriam digressus, anno sequente Uxorem Illustri fœcundoq; conjugio duxit Nobilissimam **SOPHIAM SEESTED**, **CHRISTIANI THOMÆI SEESTED** de Stougaard, Magni Regis Cancellarii filiam. Hæc splendidissimæ domus affinitas, ad majora indies surgenti, decus ac robur attulit: vivuntq; adhuc cum sexta prole, mira per mutuam caritatem concordia: quam felicitatem, patriæ bono, publicæ rei ac literarum egregio, & domus Illustris incremento diuturnam esse Deus velit. Eodem anno Regii ærarii Præfectura augetur, quam summa integritatis & absti-

nentiaē laude aliquot annis administravit. An. 1655. mense Septembri, cum perpetua Regii ærarii Præfectura, in rei maritimæ Consilio, secundum, à Summo Præsidente Ovidio Gedde, Regni Thalassiarcho, locum obtinuit, nostri Admiralitatis Vice Præsidentem vocant. In quo munere, & præcipuè in amplissima Regia Classe paranda, omnibusq; rebus necessariis ornanda, incomparabilis solertia atq; industriæ argumentum præbuit. Cumq; in omni vita, summisq; honoribus æquali ubiq; moderatōnis, comitatis, continentiaē, justitiæ, fideiq; tenore, ad Auctorem, Dominumq; ac Regem, ut Minister, suam fortunam referret, ad summum Eqvestris dignitatis apicem pervenit, an. 1656. d. 6. Julii, adscitus à Rege in Ordinem Regni Senatorium : quo etiam tempore supremus ærarii Regii Præfectus res rationesq; Regni curabat. Cumq; an. 1657. Poloniae & Fœderati Belgii Oratores & Legati, ineundi pro temporum istorum ratione, propioris nobiscum fœderis causa huc venissent, auctoritate Regia concipiendi faciendiq; fœderis rationes, cum Magno Aulæ Magistro Joachimo Gersdorffio, & Christiano Thomæo Seested, Magno Regis Cancellario, tractavit perfecitq;. Accesserant eodem tempore Imperatoris & Reip. Anglicæ Oratores, quibus cum de gravissimis negotiis, eadem Regia auctoritate egit. Quid porrò extincto socero Cancellario, flagranteq; inter nos & vicinos Svecos bello, in consiliis gravissimis & facienda pace, pro Rege gesserit, non hujus paginae, sed Historiæ argumentum erit. Hoc saltem præcise hic commemorandum est, quod publice factum ipsi recordamur: nimirum, postquam percusso Roëskildiaē inter potentissimos Daniaē & Sveciæ Reges fœdere, an. 1658. in mutuos amplexus & colloquia reconciliati Reges con-

convenissent, ut quam fide publica, summaque; religione pacem sanxissent, osculis dextrisque; confirmarent, ex Regno Daniæ Senatorum numero cum Dn. Axelio Urop Equite Aurato, huic tam solenni rariusque; inter Reges ufrato congressui interfuisse. Eodem anno, eodemque; Collega, cum Svecicis Holfaticisque; Oratoribus, qui negotiorum publicorum specie hic morabantur, publico nomine curam omnem atque fidem iisdem conficiendis tam diu contulit, donec rupto illinc foedere, Regem Sveciæ cum hostili exercitu Sædlandiam invasisse, atque urbi jam imminere nunciatum est. Anno sequente, post diuturnas, quas cum Gallicis, Belgicisque; Legatis de pace, auctoritate Regia, consultationes habuit, tandem cum Dn. Olao Pasberg & Dn. Axelio Urop, Equitibus Auratis & Regni Senatoribus, ad componendam pacem, quæ die 27. Maii, ante urbem facta est, publicis auctoritatibus est instructus: quo peracto, ex eo initæ pacis capite, quo conventum erat, ut per Regni Senatorem & Secretarium Regium publicæ tabulæ utrinque; permutarentur, Helsingoræ eo nomine cum auctoritate missus est. Nec hoc in extremis ponendum, ab excessu soceri Cancellarii, in hunc usque; diem, Imperatoris, Regum, Rerum publicarum, Principumque; Oratoribus, aliisque; qui diversis temporibus coram Regia Majestate verba fecerunt, nunc Danico, nunc peregrino varioque; idiomate, nomine Regis responsa dedisse. Hac Viri Illustris virtute permotus Rex Augustissimus FREDERICUS III. statim atque; singulare in hæc Regna Imperium, consensu votoque; omnium Ordinum, adeptus est an. 1660. ad illud, quod jam occupat, Magni Cancellarii, Regni Senatoris, Cancellariæ Præsidis & Collegii Status Assessoris fastigium unum hunc, præ cæteris evexit: quo etiam tempore, cum

idem Rex Augustissimus, cum Serenissima Regina ac universa domo Regnatrice, summo Regni hæreditarii jure inauguraretur die 18. Octob. accedentibus novo sacramento Regni Danici Ordinibus universis, pro tribunali, nomine Regis verba fecit. An. 1661. inter Regios Legatos unus erat, qui proficiscenti in Norrigiam Serenissimo horum Regnorum Principi hæredi CHRISTIANO à Rege decernebantur, cum ut Principi Regnum Norrigiæ hæreditarium in fidem & clientelam accepturo adesset, idemq; munus, quod in Augustissimi Regis inauguratione prius peregerat, in illo solenni actu quoq; obiret, tum ut Civibus solenni fidelitatis sacramento adactis jus è supremo Tribunali diceret. An. 1663. die 11. Octob. ne quid ornamento deesset, à Regia Majestate, Aurati Equitis dignitatem adeptus est. Insequente anno, cum omnem prope ætatem, disputandis dijudicandisque in supremo Daniæ Tribunali causis egisset, incunte auctumno, in Norrigiam iterum mittitur, ibiq; Regia auctoritate in judicio ejus Regni supremo incorruptissime præsedet. In hoc honorum fastigio, magna fidei atq; obsequii in Regem gloria, veluti majorum suorum vota titulosq; supergressus est: ita nihil quicquam animi moderatione cedit; sed amore in literas, studio in Academiam, comitate & benevolentia in doctos Viros & industrios, priorum laudes superat vel exæquat: quas cum viventis modestia mereri malit quam audire, posteritatis memoria & veneratio rependet.



RECTORES & PROFES- SORES.

PETRUS ALBERTI F.

Postquam Coloniae Agrippinae Magister Artium renunciatus fuerat, studio Medicinae se ibi deinceps applicuit, sollicitaq; visitatione ac diligenti continuatione lectionum, exercitiorum ac disputationum auditione, rite & legitime munus veri studentis & diligentis Scholaris coluit & frequentavit, sicut Testimonium ipsi datum à Facultate Medica Colonien- si an. 1474. 20. Decemb in charta Pergamena perscriptum ostendit. Inde Medicinae Licentiatus, mandato Regis CHRISTIANI I. edito an. 1478. & auctoritate Lundensis Archiepiscopi, & consensu Roeskildensis Episcopi, accitis ex Universitate Colonien- si, Magistris, Baccalaureis & Scholaribus an 1479. initium Universi- tatis Hauniensis fecit, & ab Episcopo Roeskildensi O- LAO MARTINI F. Academiae futuro Cancellario Vice-Cancellarius Academiae primus constitutus est. Postea juris Pontificii Doctor Hauniae creatus est, & Rectoratum Academiae gessit an. 1491. 1514. Etiam Consul urbis Hauniensis fuit ab an. 1502. Bibliothecam suam legavit Universitati, eaq; donatio his verbis Pra- cticae Medicinae Nicolai cum Commentario Stephani Orlandi inscriptis declaratur : *Anno Domini millesimo quadringentesimo, octuagesimo secundo, egregius Vir M. Petrus Alberti, Artium & Decretorum Doctor, Medici- narum Licentiatus, Almae Universitatis Studii Haunien- sis*

sis Vice-Cancellarius, contulit hunc librum cum pluribus aliis, similis dispositionis, ad usum literariæ Facultatis Artium Almæ Universitatis Generalis Studii Hauniensis tali conditione, quod futuris perpetuis temporibus, singulis annis, tertia feria proxima post Festum Sanctorum Petri & Pauli Apostolorum, in Ecclesia Beatæ Mariæ ordinabunt Magistri ejusdem Facultatis unam missam, per dictam Facultatem celebrandam, in medio Ecclesiæ ante Altare Beati Jacobi, pro ipsius ac omnium benefactorum memoria sæpe dictæ Facultatis Artium, & illorum, qui ab initio hujus Universitatis lectiones & exercitia in artibus, suis laboribus & expensis inchoarunt.

IASPAR HENRICI de Sandagergaard

Magno ac Nobili genere natus, Magister artium liberalium, Beatæ Mariæ Hauniensis Decanus, & Canonicus Ecclesiarum Roëskildensis atq; Othiniensis, primus Rector novæ Academiæ, Regis & Episcopi, aliorumq; unanimi consensu constitutus est an. 1479. per semestre. Iterum Rector fuit, jam Doctoris titulo ornatus, an. 1483.

ERICUS NICOLAI de Tange

Vir Nobilis, Artium Magister & Doctor, Archidiaconus Viburgensis, Ecclesiarum Lundensis, Roëskildensis & Ripensis Canonicus, primus Ordinarius hujus Academiæ

demix in jure Canonico, & utriusq; juris Decanus primus, Doctorem Theologiæ renunciavit M. Petrum de Scotia, Theologiæ Professore in Academia Hauniensi an. 1498. Rectoratum gessit an. 1479. 1480. utrumq; semestrem. Iterum Rector fuit an. 1484. 1485. 1486. 1487. 1492. 1495. 1501.

TILEMANNUS SLECHT

Ruremundensis

Legum Baccalaureus, Hauniam à M. Petro Alberti, ut in Academia doceret, adductus, & in album Universitatis inscriptus est an. 1479. Postea Juris Canonici Doctor Hauniæ creatus, Rectoratum gessit semestrem an. 1480.

GEORGIUS HUIT Roëskil- denfis

Canonicus Hauniensis & Curatus Ecclesiæ Soby, Artium Magister, semestrem Rectoratum gessit an. 1481. Iterum Rector fuit an. 1490. 1493. 1496. Sed in hoc suo postremo Rectoratu obiit.

PETRUS DAVID de Scotia

Artium Magister, & Sacræ Theologiæ Baccalaureus, Hauniam à M. Petro Alberti, ut in Academia doceret, adductus, in album Universitatis inscriptus est an. 1479. Primus Facultatis Artium Decanus fuit. Inde Theologiæ Licentiatus & Professor, demum Doctor renunciatus est à D. Erico Decano Hauniensi, an. 1498. præsentente CHRISTIANO Principe Regis JOHANNIS filio. Rector fuit an. 1482. 1488. 1494. 1499. 1503. 1509. Obiit è pestilentia an. 1520. die 24. Julii. Sepultus in Choro Templi D. Virginis Hauniensis.

ARNOLDUS LAURENTII de Landeskrone

Magister Artium, Ecclesiæ D. Virginis Vicarius perpetuus, Rector fuit an. 1489.

JOHANNES ALBERTI

Ecclesiarum Ripensis, Hauniensis, & quondam Othiniensis Canonicus, Rector fuit an. 1490. 1498.

ANDREAS FRIS de Slósdorf

Cantor Hauniensis, Magister Artium Hauniensis, Rector fuit an. 1500. 1504. 1511. 1512. 1515. Syndicus Universitatis electus est an. 1505. Fuit etiam Vice-Decanus Ecclesiæ D. Virginis an. 1511.

PAULUS ANDREÆ

Ecclesiæ Beatæ Virginis Hauniensis Canonicus, Magister artium, Rector fuit an. 1502. 1519.

PETRUS PETRI

Decretorum Baccalaureus Grypsvoldensis, Ordinis Hierosolymitani, in album Universitatis relatus an. 1479. In Rectoratu M. Arnoldi an. 1498. vocatur Artium liberalium Magister Grypsvoldensis, Othiniensis dioceseos. Postea Theologiæ Doctor, Rector fuit an. 1505. 1506. Ecclesiarum Lundensis, Roëskildensis, & Collegiatae Hauniensis Canonicus erat.

JOHANNES LVCHE

Magister Artium, Rector fuit an. 1507.

ANTONIUS

Doctor in jure Canonico Ordinarius fuit an. 1507.

PAU.

PAULUS REFF

Canonicus Hauniensis, Rector fuit an. 1508.

MATTHIAS PETRI

Magister Artium, Theologiæ Baccalaureus, Vicarius Hauniensis perpetuus, Rector fuit an. 1510. Vice-Cancellarius & Facultatis Artium Decanus fuit an. 1521. Syndicus Universitatis vocatur in literis FREDERICI I. an. 1530.

DITLEVUS SMYTHER

Artium Magister & Decretorum Doctor, Ecclesiæ D. Virginis Canonicus & Pastor, postea Præpositus Lundensis, Rector fuit an. 1513. 1524. An. 1517. cum aliis legatus est ad Lubecenses à Rege CHRISTIANO II. Et Regius Commissarius fuit an. 1519. in Conventu Segebergensi una cum Vulfio Povisk & D. Amelungo ad dirimendas controversias; quæ Regi cum Lubecensibus erant.

CANUTUS VALKENDORF

Magister Artium, Decretorum Baccalaureus, Decanus Ecclesiæ D. Virginis Hauniensis & Præpositus Lundensis, Rector fuit an. 1516. Procurator etiam fuit Templi D. Virginis an. 1514. quo tempore pyramis turri Templi imponenda fabricabatur, ipseque fabricæ illius ἐργασίαν præbuit.

ALEXANDER KYNSORUM

Natione Scotus, Medicinæ Doctor, in album Universitatis relatus an. 1513. Inde Medicinæ Professor & Regius Physicus, Rector fuit an. 1517.

CHRISTOPHORUS JOACHIMUS

Eqves Danus, Magister Artium, Canonicus Roëskildensis, Rector fuit an. 1518. 1525.

AMELUNGUS AMELUNGI

Decretorum Doctor, & Regis CHRISTIANI II. Advocatus & Consiliarius, Rector fuit an. 1520. An. 1519. Regius Commissarius fuit in conventu Segebergenfi una cum Vulfo Povisk & D. Ditlevo Smyther ad dirimendas controversias Regis & Lubecensium. An. 1521. Regius Legatus fuit ad JOACHIMUM Electorem Brandeburgicum. Ejusdem Regis causam contra JANUM ANDREÆ Episcopum Othiniensem egit an. 1520. coram delectis utrinq; arbitris, Lagone Urne Episcopo Roëskildensi, M. Georgio Skodborgio Archiepiscopo Lundensi, & Stygeo Krumpen.

PAULUS ELIÆ

Doctor, in sacra pagina Lector fuit an. 1520. Sacrosanctæ sapientiæ absolutus Baccalaureus vocatur in Veteri Universitatis matricula an. 1521. Ordinis Carmelitici Monachus, è monasterio Helsingorensi, docuit Hauniæ in Albo monasterio sito in vico D. Petri, ex instituto Lutheri; sed mox ab Episcopis Lagone Urne & Avone Bilde, dato Canonicatu corruptus, doctrinæ genus mutavit, unde Pauli Vendekaabe seu Vertumni nomen accepit. Inter doctissimos hujus Regni Viros habitus tempore FREDERICI I. contra M. Johannem Tausanum & Lutheranos Doctores multa scripsit quæ in lucem edita sunt.

Scri-

Scripta.

Liber sub nomine Episcoporum contra Epistolam Johannis Michaëlii quondam Consulis Malmogiensis. edit. Rostoch. an. 1526.

Liber contra Lutheranos an. 1530. ad Randrusienses, quem illi librum palo publico fontium affixerunt.

Explicatio Canonis missæ ad Haunientes, Episcoporum rogatu. an. 1530.

Principis Christiani institutio. Roëskild. 1534. in 12.

VINCENTIUS STEGIUS Vinenfis

Artium & Juris Pontificii Cæsareiꝫ; Doctor, Ordinarius in Jure Lector, Episcopi Roëskildensis LAGONIS URNE, Cancellarii Academiae, & Regis CHRISTIANI II. mandato, constitutus, Canonicus Roëskildensis, Rector fuit an. 1521.

CHRISTIANUS TORCHILLI Morfianus

Parentum cura ac sumtibus in patriis scholis in pueritia ac prima juventute educatus, inde ad externos abiit, & in præcipuis Germaniæ, Galliæ ac Italiæ Scholis ac Academiis, alienis sumtibus, ultra quatuor & viginti annos vixit, quorum aliquot cum Nobilissimo Petro Oxe, qui postea Magnus Aulæ Danicæ Magister & Regni Senator fuit, transegit. Ubi in patriam rediit, jam Magister Artium, Ecclesiæ D. Virginis Vicarius, & utriusq; censuræ (juris) Baccalaureus, in ordinem Professorum adscitus, Rectoratum in Academia gessit an. 1522. 1523. Estq; illi an. 1530. Ecclesiæ Sæby tributa, pro una lectio-

ne in sacris, & pro duabus in literis politioribus. Tum turbatis, per motus bellicos, Academiae quoque rebus, Antverpiam concessit, illicque aliquandiu latitavit. An. 1532. pace parata, in patriam revocatus, Academiae jam reformatae ac instauratae Rector primus eligitur, cum jam Medicinae Doctor ac Professor esset. Rectoratum iterum gessit an. 1546. 1556. Decanus Facultatis Medicinae, decreto Senatus Academici constitutus, Doctorem Medicinae creavit Cornelium Hamsfort, Regium Medicum, an. 1544. Eodem anno factus est Academiae Vice-Conservator & Cancellarius, suffragiis omnium Professorum: & cum D. Palladio & D. Machabaeo literis Regiis vocatus in Fyoniam ad Regem profectus est pro reformatione Fundationis, & augendis Professorum stipendiis. Procurator etiam Templi D. Virginis aliquot annos fuit. Bis uxorem duxit: filios habuit Johannem & Fredericum, filias Elisabetham & Christinam. Johannes omnibus infamis vitiis, etiam nocentem Elisabetham, post obitum patris, falsi ac adulterii crimine insimulare haud veritus est. Obiit an. 1560. die 6. Calend. August. Sepultus in Templo D. Virginis. ubi monumentum ejus cernitur Tabella lignea columnae Septentrionali choro proximae affixa cum hac inscriptione:

Anno 1560. 6. Kal. Aug.

Cum ter quinque suae compleret lustra senectae,

Doctor CHRISTIERNUS tristia fata tulit.

Vir bonus, & Medicæ Doctor celeberrimus artis,

Qui summo gessit munia digna viro.

Profuit Hafniacæ Rectorque Paterque juventæ,

Profuit & patriæ gloria prima suæ.

Mems.

*Membra levi nunc hic defuncta teguntur ab urna,
Mens cum Cœlicolis illius astra colit.*

Scripta.

Fragmenta varia Medicinæ Theoricæ.

Fasciculus thematum publicè propositorum.

Querela privatæ infelicitatis.

Scholia in Elementa Geometrica D. Johannis Vogelini.

Hauniæ prælecta an. 1550.

De causis & cura pestilentiae. Haun. 1546. 1552. & 1691.

cum præfatione D. Johannis P. Resenii. lingv. Danic.

sed in Lingvâ Latinam translata a D. Th. Bartholin.

in Cista Medica.

Arithmetica Practica. Basileæ an. 1536.

Præfatio in Henrici Smetii librum Medicinalem scripta

an. 1556. lingua vernacula, sed latinitate donata a

Th. Bartholino nostro in Cista Medica.

NICOLAUS ROSENGAARD

Eqves Danus, Magister Artium, Canonicus Roëskil-
densis, Rector fuit an. 1526. 1527. 1528.

NICOLAUS URNE

Eqves Danus, Magister Artium, Præpositus Lundensis,
Rector fuit an. 1529.

THOMAS SCOTUS

Magister Artium, Ecclesiam Faxæ cum XV. marcis ex
conductione domorum pro duabus lectionibus accepit
an. 1530.

PETRUS PALLADIUS

(Ex Pladio, ut ipse scripserat simpliciter, etiam Jenæ,
in

in libris suis, sic cognominatus a Philippo Melanchthone, more suo, non sine omine) Ripis Cimbrorum natus, cum Vitebergæ degeret, ac Theologiæ Candidatus esset, literis Regis CHRISTIANI III. jam instaurationem Ecclesiæ meditantis, an. 1535. in patriam revocatus, jussu & sumptibus Regiis, nam pauper erat, anno ætatis XXXIII. Doctoris Theologiæ titulum ibidem accepit, ut fidelis Lutheri Discipulus, & seqvente anno 1537. constitutus jam Hauniæ Theologiæ Professor, simul Sædlandiæ Superintendens primus seu Episcopus ordinatus est a D. Bugenhagio. Rectoratum Academiæ gessit an. 1538. quadrimestrem, postquam a D. Christiano Morfiano matriculæ Universitatis inscriptus esset eodem anno. Iterum an. 1553. cujus anni Rectoratum ut susciperet precibus Professorum adactus est. An. 1544. M. Olaum Chrysostrum, Theologiæ Professore, M. Nicolaum Kragium Germanum Concionatorem Regium, & M. Joannem Synningium, Theologiæ Professore, Doctores Theologiæ creavit. An. 1545. resignavit Universitati suam Theologicam Professionem & stipendium: Professores vero omnes illi gratias egerunt de diligentia præstita, volueruntq; ut Universitati in gravioribus causis auxilio esset, & membrum porrò Universitatis. An. 1555. in principio Comitiorum, quæ tum habebantur, stans in suggestu, concionemq; ad Populum Hauniensem habens, paralyti tactus est in toto sinistro corporis sui latere. An. 1559. Coadjutorem in Episcopatu accepit M. Johannem Albertium, Theologiæ Licentiatum & Professore. Virum solidioris doctrinæ laude clarum vocat Pontanus, Chorogr. Dan. Descript. p. 785. Obiit an. 1560. die 3. Januar. Sepultus

tus

tus est in summo choro Templi Academici D. Virginis:
lapisq; sepulchralis hæc legentibus exhibet:

Nostra Conversatio in cælis. Philip. 3.

PETRUS PALLADIUS Ripensis, Sacræ Theologiae Doctor, Academiae Hauniensis Professor, & Sædlandicarum Ecclesiarum Superintendens vigilantissimus, vir pietate, eruditione, comitate, & vera virtute ornatissimus, in invocatione Filii Dei obdormivit tertio die Januarii, Anno Domini 1560. ætatis suæ 57.

Scripta.

Parvus Catechismus Lutheri. Haun. 1537. in 8.

Isagoge ad libros Propheticos & Apostolicos. edit. Viteberg. an. 1564. 1577. & postea à D. Cramero in Quæstiones redacta, & observationibus atq; additamentis adaucta. Viteberg. apud Helvig. in octavo. an. 1611. Eodem D. Cramero restauratore Isagoge illa, & Methodus Concionandi edita est Viteberg. in octavo an. 1605. apud Helvig.

Librorum Mosis explicatio brevis. Viteberg. an. 1559.

De Pœnitentia & Justificatione libellus, edit. Viteberg. an. 1559. & postea a D. Joh. Paul. Resenio Hauniæ. an. 1638.

De novis Hæresibus seu Svermeriis suæ ætatis commonefactio. Viteberg. 1557. edit. ex protographo a D. Joh. Paul. Resenio Hauniæ an. 1638.

Brevis seu luculenta explicatio Orationis Christi, Joh. 17. edit. a D. Joh. Paul. Resenio, Hauniæ. an. 1638.

Narratio de excessu CHRISTIANI III. Hauniæ. an. 1559.

Castigatio juramenti & Ebrietatis. Haun. 1556: in 4. &
1624 in 12.

De vera invocatione. in 8.

De Chrilli Transfiguratione in monte Thabor. Haun.
1555. in 8.

Precationes domesticæ & Ecclesiasticæ. Magdeb. 1558.
in 12. Lubec. 1560. Haun. 1632. in 12.

Forma Visitationis. Haun. 1555. in 8.

JOHANNES BUGENHAGIUS Pomeranus

Theologiæ Doctor, & Ecclesiæ Vitebergensis Pastor & Superintendens, in Daniam ab Electore Saxonico JOHANNNE FREDERICO, Luthero & Melanchthone, rogatu CHRISTIANI III. missus, Regem coronavit an. 1537. die 12. August. Inde Regi fidem suam ac industriam in rebus Ecclesiæ & Academiæ constituendis probavit, ac in æde D. Virginis seu Templo Academico VII. primos hujus Regni Superintendentes, die 2. Septemb. ejusdem anni 1537. ordinavit. Rectoratum Academiæ administravit aliquot menses an. 1533. postquam eodem anno Matriculæ à D. Christiano Morliano inscriptus esset. Mansitq; in hoc Regno annos circiter quinque. Vocatus à Rege ad Episcopatum Slesvicensem, cum modestè recusavit, munere, quod semel Vitebergæ in se receperat, ei prælato, quamvis hic cum majore emolumento conjunctus videri posset.

Scripta.

Instructio Visitationis Ecclesiarum Daniæ. Haun. 1538.
in 8.

Psalmus 29. explicatus: etiam de Pædobaptismo &c.
con.

contra Anabaptistas. lingv. German. sed in Lingv. Latin. transl. & edit. Hauniæ à D. Joh. Pauli Resenio an. 1632. in. 8.

TILEMANNUS de HUSEN Clivensis

Religionis ergo patria relicta, primùm Hamburgum sese recepit. Inde Vitebergam profectus, ibidemq; sumtibus & impensis Regis Daniæ CHRISTIANI III. Doctor Theologiæ creatus est. Hinc aliquot annos Hauniæ vixit, & concionando sese exercuit, ANNAMq; filiam Regis CHRISTIANI III. quæ postea AUGUSTO Duci Saxonæ Electori nuptui data, erudit ac instituit. Et Theologiam in Academia docuit. Et Rectoratum gessit an. 1539. Postea verò cum de Episcopo in locum Gotscalci de Alevelde substituendo ageretur, TILEMANNUS tandem, re deliberata, Episcopus Slesvicensis electus, & à Doctore Bugenhagio, Canonicis, & reliquis Ducatus Verbi Ministris in ædem D. Petri solenniter introductus est an. 1541. Et occupata sede Episcopali, jussu ac consilio Regis, concionando, visitando, controversias de nuptiis dirimendo, & in choro Slesvicensi publicè prælegendo, sese exercuit: Pfalterium postremò enarrare cœpit, in eoq; explicando occupatus, animam exhalavit, pleuritide correptus atq; absumtus, an. 1551. prid. Id. Maji. Slesvici sepultus.

OLAUS CHRYSOSTOMUS

Magister Artium, Lector Malmogiensis fuit. Inde Pastor Ecclesiæ D. Virginis Hauniensis, & simul Professor Hebrææ lingvæ in Academia an. 1537. & postea Theologiæ Professor an. 1542. Doctor Theologiæ renuncia-

tus est an. 1544. à D. Palladio. Rectoratum gessit an. 1542. An. 1547. vocatus est ad Episcopatum Alburgensem : Conclusumq; à Professoribus, ut, cum in Academia propter invidiam & odium multorum Civium manere non posset, vocationem sibi oblatam reciperet, quamvis ejus abitum ægerrimè ferrent Collegæ.

JANUS ANDREÆ SYN- NINGIUS

Magister Artium, Theologiæ Baccalaureus, in album Universitatis relatus an. 1538. Professor Dialecticæ fuit. Inde Theologiæ an. 1544. quo etiam a D. Palladio Theologiæ Doctor renunciatus est. Rectoratum gessit an. 1545. An. 1547. vocatus est ad Pastorum Ecclesiæ S. Holpit. Hauniens. Sed constituit Universitas, ne munus illud tanquam Pastor suscipere, quod utriq; muneri Professoris & Pastoralis par esse non posset; itaq; suam operam ad tempus Ecclesiæ tantum promitteret. Uxorem duxit, quæ ex alio ante nuptias concepisse deprehensa est. conclusum itaq; in Consistorio, ut eam ante secundum solis occasum ablegaret, vel ipse numero Professorum excluderetur. Accessere & literæ Regiæ in eandem sententiam. Itaq; vir piissimus & innocens, spatio deliberandi accepto, Senatusconsulto Academico paruit. Obiitq; eodem anno, qui erat 1557.

Scripta.

Oratio de jungendo studio Theologico & Philosophico. Ripis.

THOMAS ZEGGERUS

Medicinæ Doctor, in album Universitatis inscriptus an. 1538. Medicinæ Professor. Obiit an. 1544.

PETRUS

PETRUS PARVUS Ro- sæfontanus

Eqves Danus, Magister Artium, semina Lutheranae doctrinae in Dania spargere coepit an 1530. Inde in CHRISTIANI II. in Germania, post relictum Regnum, de gentis familiam adscriptus est, & ab eo, contra scripta Svecorum passim tum divulgata, quibus eum gravissime diffamarant, ut scriberet instigatus, liberum in ejus archivum aditum habuit, ut inde ad arbitrium, codicillos, literas, & item alia documenta ei negotio accommoda depromeret. Hinc duo illa scripta nata, quae post an. 1560. edidit Auctor, FREDERICO II. Regi inscripta. Rhetoricam postea in hac Academia professus est. Decanus fuit Facultatis Philosophicae an. 1552. duosque creavit Magistros. Elegantis ingenii virum vocat Pontanus Chorogr. Dan. Descript. p. 785. Lutherum & Melanchthonem summo in pretio habuit, de quibus scribit in Praefat. Acolasti Gnaphæi: *Martinus Lutherus & Philippus Melanchthon duo sunt fulmina demoliendorum excelsorum & lucrorum, quae propemodum totum Christianismum occuparunt. debeo enim ipsis Patribus D. Praeceptoribus meis summam reverentiam, omnibusque aliis, quorum ope & opera ad aliquam futurae eruditionis spem qualicumque modo sum incitatus atque inflammatus. Obiisse scribitur an. 1559. Sed scripta, quorum memini, eum an 1560. vixisse arguunt, & Aurifaber ei in Professione successit an 1562. Filium habuit Christophorum, qui an. 1581. 7. Novemb. Philosophiae Baccalaureus creatus est à Decano M. Petro Haggæo.*

Scripta.

Refutatio calumniarum cujusdam Joannis Magni Gothi Upsalensis, quibus in Historia sua ac famosa oratione Danicam Gentem incessit. edit. Hauniæ an. 1560.

Chronicon sive Historia JOANNIS Regis Daniæ, in declarationem Refutationis. edit. an. 1560.

Hortulus Synonymorum.

Scholia in Guilhelmi Gnaphæi Acolastum Comoediani.

Roëskild. 1537. in 4.

PETRUS PAULINUS

Magister Artium, Theologiæ Baccalaureus, in album Universitatis inscriptus an. 1538. Græcæ Lingvæ Professor fuit. Rectoratum gessit an. 1541. Postea an. 1545. Roëskildiam abiit, ibiq̃ unâ cum M. Andrea Laurentio, literas & pietatem docuit: Pastoris in Cathedrali Ecclesia, & Theologi in Schola munere fungens. Obiit ibi an. 1575. 22. Septemb. Sepultus est in Templo Cathedrali, ubi hoc Epitaphium habet.

Mortuus vivo. Hic posita sunt exuvia Clarissimi Viri Magistri PETRI PAULINI, vera pietate, doctrina, gravitate, fide, constantia, & vitæ innocentia præstantis: quicum triginta annos & sex menses fidelissimi Pastoris in hac Ecclesia & doctissimi Theologi in Schola munus obivit, & vigesimo secundo die Septembris, anni Christi 1575. in ardenti invocatione Filii Dei placidissimè exspiravit.

MATTHIAS HACH

Magister Artium, Mathematicum Professor. Decanus Facul-
cul.

71

cultatis Philosophicæ fuit an. 1542: & septem Baccalau-
reos creavit. Profectus est in Germaniã an. 1544. ea con-
ditione, ut hic frueretur suo stipendio, solidioris erudi-
tionis in Mathematicis Disciplinis comparandæ causa,
cum consensu Regiæ Majestatis.

GEORGIUS EOETHIUS

Ex Dœcesi Slesvicensi, Magister Artium, Professor Pæ-
dagogicus. in album Universitatis relatus an. 1542. De-
canus fuit Facultatis Philosophicæ an. 1544. 1545. 1547.
& Baccalaureos ac Magistros aliquot creavit. An 1544.
die 15. Septembr. ipse creatus est Theologiæ Baccalau-
reus à D. Machabæo. Resignavit suam Professionem
an. 1584.

JACOBUS FABRICIUS

Magister Artium, Professor Physices, simul Quæstor &
Præfectus fabricæ Universitatis fuit an. 1544. Eodem
anno Decanus fuit Facultatis Philosophicæ, & quinque
Baccalaureos creavit. A munere Professorio postea re-
motus, literas Regiæ Majestatis Universitati attulit an.
1547. quarum scopus erat, ut in numerum Professorum
denuò reciperetur, modò id consensu Professorum fie-
ri posset. Receptus itaq; est iis conditionibus, 1. ut con-
cordiam cum Collegis aleret & augere studeret. 2. ut di-
ligentiam in munere præstaret. 3. ut vestitum Professo-
re dignum gestaret. 4. ut mulierculam quandam, non sa-
tis integræ famæ, ex urbe ablegaret.

JOHANNES MACHABÆUS

Alpinas Scotus

Generosa & perveteri Macalpinorum familia in Regno
Sco.

Scotiæ oriundus, in Anglia Religionis causa exsulavit. Uxorem ibi duxit **AGNETAM MACHISONAM** ex præcipua Scotiæ Nobilitate ortam, quæ pio Religionis zelo dulcissimæ Patriæ exsilium etiam anteposuerat, & in Angliam se contulerat. Verum conjugalem felicitatem parum diuturnam Pontificia Tyrannis permisit. Etenim cum denuò ad Religionem pristinam relabere-
tur Anglia, proscripti in Germaniam concesserunt, & post varia itinerum exhausta tædia, Vitebergæ quieverunt, familiaritate intima gratissimâq; sanctissimæ memoriæ Viris **Luthero & Philippo**, aliisq; bonis & doctis conjuncti. Unde à Laudatissimo & æterna recordatione colendo Rege **CHRISTIANO III.** Vir summus **MACHABÆUS**, jam creatus Theologiæ Doctör, Viteberga Hauniam vocatus est ad docendam Theologiam an. 1542. An. 1544. die 15. Septemb. Theologiæ Baccalaureos creavit, M. Nicolaum Kragium Germanum Concionatorem Regium, M. Georgium Boëthium, Professorem Pædagogicum, M. Andream Matthiæ Provinciæ Præpositum, M. Laurentium Ripensem, Pastorem ad S. Nicolai. An. 1457. die 27. Septemb. Doctorem Theologiæ renunciavit M. Nicolaum Hemmingium Theologiæ Professore. Rectoratum gessit an. 1544. 1549. Ex uxore habuit filium **CHRISTIANUM**, qui in hac Academia etiam Professor fuit. Obiit an. 1557. die 5. Decemb. Sepultus in Choro Templi D. Virginis, Rege **CHRISTIANO III.** funus deducente. Monumentum filius Parentibus posuit, quod loco suo dejectum, & inter lignorum lapidumq; frustra repertum an. 1663. Erasmus Pauli f. Vindingius, tum Procurator D. Virginis, commodo & honesto loco pone chorum reponi curavit. Est verò Tabula lignea cum hac inscriptione, Gentilitiis insignibus utrinq; depictis: 70.

JOANNES MACHABÆUS *Alpinas* ex nobili *Macalpinorum* familia oriundus in *Scotia*, religionis causa in exilium actus, hinc vicissim *Pseudo-Pontificatum Romanum* exegit. Cumq; annis plus minus *XV.* in hac *Academia salutis doctrinam* propagasset, Et *Illustriss. Regis D. CHRISTIANI III.* & omnium bonorum favorem meruisset, in cœlestem patriam translatus est anno 1557. Decemb. die 5.

Hunc **AGNETA MACHISONA** ex generosa stirpe *Scotorum* prognata, exsiliū & thalami illius *Socia*, cum 86. annos ætatis, viduitatis verò 32. innocenter & piè admodum complevisset, ad æternæ vitæ contubernium subsequuta est anno 1589. die *Februar. 16.* In spem futuræ resurrectionis hoc gratissimi animi monumentum parentibus suis dulcissimis **CHRISTIANUS MACHABÆUS** *Alpinas.*

BERNHARDUS FRISIUS

Admissus est an. 1542. à Professoribus ad Professionem *Juris*, promissumq; illi integrum stipendium, ea tamen conditione, si *Serenissimus Rex* annueret, ut *Doctores* titulo carens docere posset. Censueruntq; *Professores* benè esse, si *Rex* ex consilio *D. Bugenhagii Pomerani* vel hoc vellent, vel etiam *Licentiatum Juris* eum creare: nam quod *Papæ, Imperatoribus & aliis Principibus* licet, creare doctos viros *Licentiatos & Doctores*, hoc etiam *Serenissimo suo Regi* licere: ita tamen ne **BERNHARDUS** alibi eundem gradum reciperet.

K

PE-

PETRUS SUA VENIUS

Natus in Pomerania, cum studiis Vitebergæ operaretur, Luthero ad Comitata Vormaciensia evocato an. 1521. comes cum Justo Jona & Amsdorfio Theologis, & Scurfio Icto. datus est. Postea FREDERICI I. filii Ducis JOHANNIS institutioni præfuit an. 1534. Rectoratum Academiae hujus gessit an. 1543. An. 1544. auctoritate Regia Doctorem Juris renunciavit M. Reimbertum Gilsheimium Juris Professore. Decanus Roëskildensis fuit, Consiliarius Regius, inter præcipuos Regni proceres habitus, doctus, facundus, & cujus opera Rex CHRISTIANUS III. in Regni negotiis magni momenti ad externos plurimum usus est, eiq; arcem Giordleviensem hæreditario jure possidendam dedit. In Matricula veteri Universitatis Vir generosus & eruditus appellatur. Obiit an. 1551.

Scriptit contra Regem CHRISTIANUM II.

NICOLAUS HEMMINGIUS

Natus est in Lollandia, in pago Embolts an. 1513. die octavo ante festum Pentecostes, parentibus quidem obscuris, sed honestis, patre Hemmingo Nicolai, matre Catharina. Puer ubi patrem amisit, à patruo Johanne, fabro ferrario, educatus est. Hic Orphanum Musis consecraturus, primum Scholæ Nystadianæ discipulis eum adscribendum curavit: ubi integrum decennium absolvit. Inde in Scholam Naxskoviensem missus, triennium ibi exegit: hinc Nycopiæ Falstrorum, ubi totidem annos vixit. Post in Sædlandiam ad Scholam Nestadiensem amandatus, itidem triennium ferè peregit. Tandem Roëskildensem veram eruditionis officinam salutavit: ubi cum inaudisset Virum insigni eruditione, & Græcæ Lingvæ,

Lingvæ, cujus rarissimus tum temporis in his oris Septentrionalibus usus, peritia præstantem M. Benedictum Scholæ Lundensi præesse, illuc profectus triennium eo Præceptore usus est. Qui hominis ingenium præclarum, industriam, assiduitatem ac modestiam intelligens, magnis illum beneficiis ornavit. Ipse inter Præceptores suos maximi fecit Nicolaum Blak, Canonicum Roëskildensem, cui suas Catechismi Qvæstiones dedicavit his verbis: *Tibi Venerande Præceptor hanc meam Catechesin dedicare volui, ut exstaret meæ erga te gratitudinis testimonium: tua enim institutione & ope ita me, dum sub tua ferula fui, ad jutum fuisse agnosco & profiteor, ut progressus, qualescunq; sequuti sunt, tibi haut immerito acceptos feram: nam me non solum in Religionis rudimentis fideliter insituiisti: verum etiam cum fortune meæ essent plus satv tenues, benignè me tuis facultatibus sublevasti. Absoluto, hisce in Scholis, ut vocant, trivio, ardens desiderio Academiam Vitebergensem, ubi tunc incomparabilis ille Philippus Melanchthon docebat, videndi: eo tenui sanè sumtu exiguoq; stipendio instructus venit. Sed ad egestatem domesticam aliud gravius accessit malum: nam in itinere juvenis pauperculus à prædonibus ita fuit spoliatus, ut nudus propemodum Vitebergam salutarit. Cum autem admodum humanos & faventes sibi populares ibi reperiret: in primis vero bonorum omnium amantiſſimum Melanchthonem, integrum ibi quinquennium mansit, operam suam ditioribus inter studiosos locando, scribendo, privatim docendo, victum & amicitiam quæritans. Domum reversurus honorifico testimonio literisq; Philippi commendatus ob excellen-*

tem ingenii & eruditionis dexteritatem est ornatus. Reversus aliquando Nobili Dano Olao Nicolai in filiabus instituendis Malmogiæ operam locavit. Hinc Divina Providentia Hauniam concessit, ac in album Universitatis an. 1542. relatus est, Rectore M. Chrysofomo. Receptus autem ab Universitate est Professor Græcæ Lingvæ an. 1543. ut illam Professionem cum integro stipendio & facultate haberet, cum tamen integrum annum jam ante docuisset. An. 1544. successit M. Johanni Synningio in Professione Dialecticæ: & constitutum est, ut etiam Grammaticam Hebræam doceret, annuo stipendio XX. thalerorum: & utrique Professioni magno cum Auditorum fructu & utilitate vacavit. Ibi tùm aureum illum de Methodo libellum prælo publicatum Regi CHRISTIANO III. obtulit, amplisq; à Rege muneribus est donatus. Decanus Facultatis Philosophicæ fuit an. 1545. creavitq; Baccalaureos XIII. & Magistros V. Rursus an. 1550. Vice-Decanus Baccalaureos IV. renunciavit. Rectoratam etiam dum in Facultate Philosophica erat, gessit eodem anno. An. 1547. indulgit Universitas, ut Pastor Ecclesiæ S. Hospit. esset ad tempus, experturus an utriusq; muneris, Lectoris Pastorisq; laboribus ferendis par esset. An. 1553. die 7. Mart. Theologiæ Baccalaureus renunciatus est à D. Machabæo, & Theologiæ Professor constitutus die 18. Mart. An. 1557. ab eodem Machabæo creatus est Theologiæ Doctor, præsentem Rege CHRISTIANO III. cum filio FREDERICO Electo Principe, Cancellario & Regni Senatu: item AUGUSTO Saxonix Electore, VILHELMO Duce Brunsvicensi, Comitibus duobus, Cancellario Saxonico, & aliis Nobilibus, ac Claris Viris. Inde Professioni Theologicæ, quanto studio, quanta

assu-

assiduitate, laboribus, vigiliis, integros XXVI. annos præfuerit, testantur tot insignes ab ipso editi libri & Commentaria, Spiritum ipsius, imo Divini in ipso Spiritus afflatum redolentia. Rectoratum interea gessit an. 1558. 1571. 1572. Atq; hoc quidem anno etiam Vice-Cancellarii munus in Academia ei est demandatum. An. 1558. 1. April. creavit Baccalaureos Theologiæ M. Johannem Alberti, M. Paulum Matthiæ, M. Johannem Saceridem, Professores Haunienses: Et an. 1557. Johannem Thomæ Pastorem Ecclesiæ D. Virginis, M. Eralmum Catholmum Professore, Christophorum Knofium Regium Concionatorem, tum quoq; Magistrum Artium renunciatum: Et an. 1474. 29. Junii, M. Andream Laurentii, Canonicum Roëskildensem, M. Jacobum Matthiæ Arhusiensem, M. Petrum Haggæum Hauniensem, Professores Haunienses. Eodem anno, die 23. Decemb. M. Andream Laurentii Theologiæ Licentiatum renunciavit. An. 1563. Theologiæ Doctorem creavit M. Johannem Albertium, Episcopum Sædlandiæ: & an. 1570. M. Paulum Matthiæ, Sædlandiæ Episcopum: & an. 1575. M. Andream Laurentii Theologiæ Professore. An. 1562. d. 15. Dec. Scholæ Trivialis Inspector cū D. Johanne Francisci constitutus est. An. 1576. Sententiam suam de Cœna Domini in Syntagmate expressam, edicto Regis, retractavit & revocavit. An. 1579. ex Academia discessit Roëskildiam, jussu Regio, idq; potissimum ob locum quendam in Syntagmate ipsius, quo Calvinii sententiam de Cœna Domini asseruerat: quem post revocationem clam etiam defendere diceretur: Eum tamen Rex liberalibus sumtibus & annuis redditibus, adeoq; Canonicatu donavit: quo ibi in pace ac quiete, quod restabat vitæ, piè absolveret.

Interea tamen haud otiosus , maxima utiliaq; ingenii monumenta edidit , partim publico prælo data , partim etiam apud bonos quosdam Viros etiamnum hærentia. An. 1590. cum Roëskildiam venisset JACOBUS Rex Scotiæ, in prandio & cœna multum cum Hemmingio de Prædestinatione disputavit, eumq; postea poculo deaurato donavit. In vita conjugali dum vixit, plurimas expertus est calamitates & difficultates domesticas : Primam enim Conjugem factò divortio repudiavit : cum altera diu beneq; vixit: Tertiam XX. propemodum annos sedulam vitæ sociam reliquit superstitem : quam divina gratia in conjugio tranquillo dilexit ac coluit, quippe quæ Seni marito verè scipio & fulcrum fuit. Filium habuit Johannem ad Professoriam dignitatem promotum, sed dehonestamentum Patris & Patriæ : Et filiam nuptam D. Nicolao Hammero Professore. Tandem bonus Vir & senex decrepitus , cum multis vigiliis visu jam aliquot annos privatus esset, plurimisq; morbis vexatus, nil magis ipse , ut ille Simeon , in votis habuit, quam ἐπιλύσει beatam. Decumbens postremo Sacrosancta Domini cœna confirmatus, Evangelii lectionibus se oblectavit , & Psalmum CIII. in astantium præsentia morti proximus, tanto fervore verborum propemodum exposuit, ut Spiritus Sancti tantam vim , tantum vigorem , tantam efficaciam, in tam extingvi & propemodum demortuo corpulculo , omnes summe fuerint admirati. Hora deniq; matutina Septima, diei Veneris, qui fuit 23. Maji, anni 1600. Filio Dei per arctissimum Spiritus S. vinculum unitus , ac per eundem, qui mortis victor & Triumphator , suum Spiritum æterno Deo reddidit. Corpus in Cathedrali Templo Roëskildensi honorificè, funus Professoribus plerisque Hauniensibus, ut extre-

mum

mum hunc honorem Viro de Academia optimè meritò, & communi Daniæ Præceptori, haberent, cum aliis deducantibus, est sepultum, cum monumento ejusmodi:

DOCTORIS NICOLAI HEMMINGII Canonici Røeskildensis cineres hic quiescunt. qui primum felici & laboriosa opera in Academia Hauniensi artium & linguarum studia multorum utilitate propagavit: Theologiæ Professioni adhibitus, eam lucem Scriptis Prophetis & Apostolicis methodi brevitate & claritate attulit, ut non solum nostris, sed cunctis Europæ doctis admirationi fuerit. Fatalibus Theologorum controversis præter expectationem involutus, innocentem servavit Numinis benignitas. Ob diuturnos in Schola labores grato feliciq; otio donatus senex, satur vitæ, mortalium curas inanes contempsit: Deo Servatori spiritum firma fide commendans moritur, Anno 1600. die 23. Maji. Vidua & hæredes benè merito posuere.

Scripta.

Commentarius in Johannis Evang. 10. pr. cap. Basil. 1590. in fol.

Commentarius in Johannis Evang. 11. post. cap. Basil. 1591. in fol.

Commentarius in Acta Apostol. Jenæ 1567.

Commentarius in omnes Epistolas Apostolorum, Pauli, Petri, Judæ, Johannis, Jacobi, & ad Hebræos. Argentor. 1586. in fol.

Commentarius in omnes Epistolas Pauli. Viteberg. apud Seelfisk. in fol. Hunc librum Auctor Academiæ

Hau-

Hauniensi dedicavit , & pro dedicatione ab Academia poculum argenteum 50 Uncialium ponderis accepit an. 1574.

Comment. in Epist. ad Corinthios. Viteberg. 1565. in 8.

Comment. in Epistol. ad Galatas. Viteberg. 1564. in 8.

Comment. in Epistol. ad Ephesios. Viteberg. 1565. in 8.

Comment. in Epistol. ad Philippenses. Viteberg. 1565. in 8.

Comment. in Epistol. ad Colossenses. Viteb. 1576. in 8.

Comment. in Epistol. ad Thessalonicenses. Viteberg. apud Seelfisk in 8.

Comment. in utramq; Epistolam Petri , & unam Judæ. Viteberg. 1570. in 8.

Comment. in Epistolam D. Johannis. Viteberg. 1570. in 8.

Comment. in Epistolam Jacobi Apostoli. Haun. 1563.

Comment. in Epistol. ad Hebræos. Viteberg. 1568. in 8.

Comment. in Psalmos. 1592. in 8. apud Sant Andream.

Comment. in Psalmum 81. Haun. 1576. & in Psalmum 84. Haun. & in Psalmum 21. Roëskild. 1592. in 8.

Argumenta & Annotationes in lib. Sapientiæ Salomonis, ejusq; libri nova è Græco versio Latina. Lipsiæ 1568. in 8.

Postilla Evangeliorum in Diebus Dominicis & Festis Sanctorum. Francof. 1580. Servest. 1584. in 8. Viteberg. apud Seelfisk in 8. Lipsiæ Voigt in 8. Et Danicè in fol. & Latinè in 8. 1561.

Syntagma Institutionum Christianarum. Lugdun. 1585. in 8.

Catechismi Quæstiones. Viteberg. 1570. in 8.

Enchiridion Theologicum, Lipsiæ 1581. Viteberg. 1568. in 8.

- De Methodis & ratione Concionandi.** Lipsiæ 1578. in 8.
- De officio Pastoris Evangelici.** Item Propositiones de legitima veri Cultus Dei ratione. Lipsiæ 1566. in 8.
- Pastor, sive Pastoris optimus vivendi, agendiq; modus.** Genev. 1579. Rostoch. & Lipsiæ 1585. in 8.
- Defensio Vocationis Ministrorum Ecclesiæ.** Viteberg. 1597. in 8.
- Historia Christi.** 1562. in 8.
- Immanuel, sive Catholica Institutio de Domino nostro Jesu Christo, vero Deo & vero Homine, in duas partes distincta.** Francof. 1615.
- Tractatus de Gratia Universalis, seu salutari omnibus hominibus.** Cui adjiciuntur vicini loci, de Libero Arbitrio, Pœnitentia, Justificatione. Haun. 1592. Francof. 1563. in 8. Giessæ 1616.
- Brevis repetitio doctrinæ de Universalis Gratia** Haun. 1595. in 12.
- Demonstratio indubitatae veritatis de Domino Jesu, vero Deo, & vero Homine ex Prophetiarum collatione ad eventum.** Haun. 1571. in 8.
- Exemplar Epistolæ Sacræ ad Theol. Acad. Viteberg. de Re Sacramentaria.** Genev. 1571. in 4.
- Via Vitæ.** Francof. 1580.
- Methodus Apodictica de Lege Naturæ.** Servest. 1577. in 8. Viteberg. apud Seelfisch.
- De Magicis Artibus.** Item 33. Propositiones adversus Magiam. Item Propositiones de Vaticiniis. Haun. in 8.
- Antidotum adversus Pestem Desperationis.** Servest. 1590 in 8. Haun. 1595. in 12.
- Libellus de Conjugio, Repudio & Divortio.** Lipsiæ. 1572. in 4. & 8.

De Conjugio expetendo, inchoando, absolvendo, prudenter, piè, quietè, Christiana Institutio. Haun. 1606. in 8.

Affertiones de Articulis Fidei propositæ in Academia Hauniensi Disputationibus 45. an. 1559. 1560. 1561. 1562. 1563. 1564. 1565. 1567. 1568. 1569. 1570. 1571. 1572. 1573. in 8.

Propositiones de Potestate Clavium ac Disciplina Ecclesiastica, ante Promot. Baccal. Theol. Haun. 1558. in 8.

Themata Theologica ante Promot. Baccal. Theolog. Haun. 1572. in 8.

Affertiones Theolog. de Justificatione, ante Promot. Doct. Theol. Haun. 1573. in 8.

Argumentum indubium, quo quilibet sui facere periculum potest, num Christiani hominis nomine dignus sit. Haun. 1573.

Oratio in Obitum CHRISTIANI III. Haun. 1559. in 8.

Concio in obitu Herlufi Trolle. Haun. 1568. Byrgeri Trolle. 1571. in 8.

Opuscula Theologica in unum volumen collecta. Genev. 1586. in. fol.

REIMPERTUS GILSHEIMIUS **Rostochiensis**

Magister Artium, in album Universitatis inscriptus an. 1544. Rectore D. Machabæo. Juris Professor, Doctor creatus est à M. Petro Svavenio, an. 1544. auctoritate Regia. Rector fuit an. 1548. Regi quoque à Secretis fuit. Obijt an. 1549. festo Johannis.

JOHANNES ALBERTIUS

83

Natus an. 1525. Baccalaureus Philosophiæ creatus est à Decano Facultatis M. Nic. Hemmingio an. 1545. Magister Artium, Professor fuit primùm Græcæ Lingvæ, deinde Dialecticæ. Decanus fuit Facultatis Philosophicæ an. 1550. unumq; Magistrum creavit. Iterum an. 1555. quo Magistros IV. renunciavit. Eodem anno Rectoratum suscepit. Theologicæ Professioni adhibitus, & Baccalaureus Theologiæ creatus est an. 1558. à D. Hemmingio. An. 1559. datus est D. Palladio in Episcopatu Coadjutor, & defuncto Successor destinatus, Episcopatum suscepit an. 1560. Et Theologiæ Doctor creatus an. 1563. à D. Hemmingio. Iterum Rectoratum gessit ab anno 1567. usq; ad obitum, qui contigit an. 1569. Vir fuit acutus ingenio, acer judicio, exactus diligentia, magnus eruditione, comis conversatione, affabilis in convictu: ideoq; facile sibi, dum vixit, bonorum amicitias conciliavit: nam cum sciret pii hominis esse, perpetuo in conspectu habere Deum, Ecclesiam, Remp. familiam, & vocationem propriam: semper in hoc incubuit, ut conscientiam puram & illæsam, cum fama casta conservaret, ne vel Deum contumacia irritaret, vel Ecclesiam scandalo offenderet, vel Reipubl. exemplo noceret, vel familiam importunitate turbaret, vel vocationem negligentia contaminaret. Nam quantum ad Religionem attinet & verbi Dei cultum, in omnibus actionibusq;, primas semper Religioni attribuit partes: Ecclesiam Christi, cujus constans & fidelis civis fuit, doctrina, pietate & exemplo ornavit: Eos, cum quibus vixit, probitate, comitate, & dexteritate sibi conciliavit: familiam ut blandus pater rexit: Uxorem, non secus, quam costam propriam, adamavit: liberos in disci-

plina & correptione Domini, castè & sanctè instituit. (Sed liberorum post obitum Patris diversa fata : Alber-
 tus, Magister Artium, per varia honorata in Schola &
 Ecclesia munia, tandem ad Episcopatum Arhusiensem
 euectus est; Andream albo Universitatis inscriptum an.
 1592. senem ego puer novi, vagabundum & nullius fru-
 gis hominem.) Et quia vocatus erat ad gubernandas
 Ecclesias Sædlandicas, cum in iudicio, tum extra iudici-
 um servavit singularem æqvitatem, gravitatem & mo-
 destiam, a recto ne pilum latum discedere sustinuit, in
 seipsum acrior, quam in alios iudex. Seniores ut Patres,
 Pares ut Fratres, Juniores tanquam Filios complexus
 est. Semper studuit, ut & doctrina, & vita, vocationem
 suam ornaret. Et, ut uno verbo dicam, pius, justus & æ-
 qvus vixit, non solum liber a crimine, quod rarum est,
 verum etiam ab omni suspitione criminis, quod plane
 divinum iudicio. Cujus profecto exemplum omnibus
 piis, præsertim Doctoribus Ecclesiæ & Gubernatoribus
 juste & merito proponi debet. Hujus optimi & piissimi
 Viri vitæ respondit exitus: nam cum compleisset annum
 ætatis suæ 44. in vera confessione & invocatione Filii
 DEI, cum gaudio & summa quiete, obdormivit in Do-
 mino, & ex hujus vitæ ærumnis & miseriis ad castissimum
 Angelorum & piarum Mentium cœtum vocatus est, an-
 no ut dixi 1569. die 25. Maij. Funus Civibus Acade-
 micis à Vice-Rectore Academiae indictum est: corpus
 conditum est in summo Choro Templi D. Virginis. Se-
 pulcrali Lapidi hoc Tetrastichon inscriptum est.

*Hunc lapidem casto posuit CATHARINA marito
 JOHANNI ALBERTO fœmina casta suo.*

Ipse

*Ipsè Scholæ Rector, Doctorq̄ & Episcopus, acris
Judicio valuit cum pietate pari.*

*Obiit autem Anno Domini 1569. die 25. Maij. ætatis
sue anno 44. fere.*

ÆTHO IOANNES SYBELLIUS Freundenburgensis

Medicinæ Doctor Bononiæ promotus, & Academiae illius illustri testimonio commendatus, in album Universitatis Hauniensis relatus an. 1544. Rectore D. Machabæo, Receptus est a Professoribus in numerum Professorum ad semestre. an. 1545. donec alium habere possent, nec interim ipsis dedecori esset. Germanus erat, & liberioris lingvæ, quæ in convitia in Collegas erumperet. Accusatus, culpam deprecabatur, data simul fide, se honorifice de Universitate loqvuturum. Postea, cum ipsum pœniteret inscriptionis in album Universitatis, constitutum est, ne esset membrum Universitatis, ob contumaciam & inobedientiam. Sed iterum culpam deprecatus est per D. Machabæum, & meliora pollicitus, in gratiam receptus est. Mox decrevit Universitas communi consensu, negandum ipsi stipendium proximo termino solvendum, quod mandato Universitatis non paruisset: neq̄; Professores velle pati eum Lectorem, ob corruptos mores & rixas. Datum tamen illi est stipendium, ut quamprimum, quo libitum esset, abiret, an. 1546. Vocatur aliàs D. Johannes Antonii Freudenburg.

PETRUS CAPITANEUS Mittel- burgensis Zeelandus

Postquam in Lovaniensi & Parisiensi Academia, magna
L 3 suæ

suæ eruditionis specimina ediderat, creatus est in Academia Valentiana Medicinæ Doctor. Postea in Academia Rostochiensi, & inde in Hauniensi Medicinæ Professor fuit, & simul Medicus Regius. Anno 1553. Medicinæ Baccalaureum creavit M. Joannem Skelderupium Professore Hauniensem. Rectoratum gessit hic an. 1547. 1551. Obiit anno 1557. Sepultus in Choro Templi D. Virginis, ubi lapis sepulcralis cernitur; sed præterea ei positum est Epitaphium, quod abjectum reperit anno 1664. Erasmus Vindingius, tum Procurator Templi, & commodo loco, in columnæ Chori Boream spectante latere, figi curavit, estq; tale:

*Natalium splendore, virtute & doctrina ornatissimi Viri,
Domini PETRI CAPITANEI Zeelandi Mittelbur-
gensis, Medicinæ Doctoris eximii & Archiatri in Dania,
numerus anni, mensis, diei & horæ obitus:*

OCCUBUIT fatalis Capitaneus, a Lta MICaret
lanl seXta Ubl LUX, horaqVe nona foret.
Non dispar Medica CAPITANEUS arte Galeno
PETRUS in hoc tumulo post sua fata cubat.
Qvi qvantus fuerit, scit Lovaniense Lyceum,
Et Schola cui Paridis nomen inesse ferunt.
Extulit hunc plenis formosa Valentia baccis,
Doctorisq; illum iussit habere decus.
Urbs quoq; Vernovio stupuit vicina docentem,
Nec non æquoreis Haunia cincta vadis.
Sæpius hic tristi morborum turbine Regem
Exanimem vitæ reddidit ille suæ.

*Octo decemq; fere cum Coniuge vixit in annos,
Viderit ut similem vix pietate sibi.*

ANTONIUS BALDERSLEBEN SANG.

C. F.

Scripta.

Prophylacticum Consilium antiPestilentiale ad Cives
Haunienses, an. 1553. edit. à D. Th. Bartholino in
Cista Medica.

De Potentiis animæ. an. 1550. 6. Martii.

**JOHANNES MONASTERIEN-
SIS**

In album Universitatis inscriptus an. 1542. Rectore
M. Chrylostomo. Magister artium à Decano M. Boë-
thio creatus an. 1545. Inde eodem anno Professor fa-
ctus, dimidium stipendii Pædagogici accepit, & docere
cœpit. Sed cum an. 1549. invitis Professoribus sponsa-
lia, neq; se, neq; Universitate digna celebrasset, decrevit
Universitas communi consensu, ut penitus a Professo-
rum Ordine esset seclusus. Postea tamen ad commenda-
tionem & mandatum Regiæ Majestatis receptus est ad
Professionem Græcæ lingvæ, an. 1554. Anno 1557.
successit D. Skelderupio in Professione Physices. Deca-
nus fuit Facultatis Philosophicæ an. 1556. quo VI. Ma-
gistros creavit. Titulo Doctoris Medicinæ ornatus, ad
docendam eam artem in Academia, morbo quodam E-
pidemio extinctus est an. 1564.

CHRI.

CHRISTIANUS MARTINI Morsianus

Hypodidasculus Scholæ Hauniensis, Philosophiæ Baccalaureus à Decano M. Fabricio an. 1544. & Magister Artium à Decano M. Nic. Hemmingio an. 1546. creatus est. Primum Pædagogicus Professor fuit. Inde in Dialecticæ Professione successit Hemmingio an. 1553. Notarius Academiæ constitutus est an. 1545. Obiit an. 1553.

HILARIUS JOHANNIS Mal- mogiensis

Jussus est à Professoribus an. 1544. Medicinæ studio incumbere. Magister Artium creatus est a Decano M. Boëthio an. 1545. Inde Pædagogicus primum, & postea Mathematicum Professor fuit. Notarius Academiæ factus est an. 1547. die 27. April. In phrenesin incidit, ideoq; Soram translatus est: ubi obiit an. 1567. die 28. Octob. Sepultus in Templo Sorensi, ubi hoc monumentum illi posuit Chr. Machabæus, loci Præses.

*Epitaphium Magistri HILARII JOHANNIS Mal-
mogiensis: qui cum proficeretur bonas Artes & Mathematica
in Academia Hauniensi, subito phrenesi corripitur, & 20.
tandem post annis moritur Soræ, anno nimirum Domini
1567. Octob. 28.*

*Scanica quo multum docto gaudebat alumno
HILARIUS fatis pressus & actus obit.
Floruit is tantum Musis, & clarior arte,
Dum mens in vegeto corpore sana fuit.*

Inge-

*Ingeniū primum, tum vitæ lumine cassus
Occidit, ablatum reddit utrumq; Deus.*

Christianus Machabæus Alpinas P.

JOHANNES LUBEKUS Pomeranus

D. Bugenhagii sororis filius, in Universitatis album re-
latus an. 1538. Magister Artium, M. Boëthio in Profes-
sione Pædagogica successit an. 1548. Decanus Facultatis
Philosophicæ fuit an. 1549. & Magistros 3. creavit. Re-
signavit Professionem an. 1552.

ALBERTUS KNOPPERUS Svollenfis

Juris utriusq; Doctor, ad Professionem Jurisprudentiæ
vocatus & receptus, albo Universitatis inscriptus est an.
1549. die 29. Octob. Rectoratum gessit an. 1552. 1557.
1562. 1563. 1564. 1569. Et quidem in Rectoratu an.
1562. functus est Legatione Regia in Livonia ad Polo-
nos. Procurator Templi D. Virginis aliquot annos fuit
usque ad an. 1570. Præfectura etiam Ringstadiensi à
Rege donatus est. Filios habuit, Henricum Rostochien-
sem, qui an. 1558. & Johannem, qui an. 1570. in album
Universitatis est relatus. Obiit an. 1577. die 16. Maji,
ex ictu globi tormentarii Lovanii in Brabantia.

Scripta.

Theses selectæ ex Tractatu de Jure Emphyteutico.
1565.

M LU.

90
LUDOLPHUS PRIGIUS Ham-
burgensis

Magister Artium, albo Universitatis inscriptus, & propter Regiam commendationem ad Prælectionem Artium & Philosophiæ receptus est an. 1549. die 8. Novem. post. expeditam legationem nomine Regiæ Majestatis. Resignavit an. 1550. Professionem, ut in patriam rediret: protestatus autem est, præsentibus omnibus Professoribus & Magistris, se neq; odio, neq; tædio, neq; ulla molestiæ causa inde discedere; sed Universitati gratias de summis in se collatis beneficiis agere. Universitas igitur ejus petitioni annuit, eumq; benignè & amicè, cum favore & benevolentia omnium dimittendum censuit.

MARCUS JORDANUS
Crempensis

Magister Artium, in album Universitatis inscriptus, & propter Regiam commendationem ad Prælectionem Mathematicarum Disciplinarum, atq; ad dimidium ejusdem Prælectionis stipendium receptus est an. 1550. die 14. Junii.

JANUS SKELDERUPIUS

Baccalaureus Philosophiæ creatus est an. 1544. à Decano M. Fabricio. Deinde Magister Artium, ad Professionem Physicæ an. 1551. receptus est. Medicinæ Baccalaureus à Decano Facultatis Medicæ D. Capitaneo an. 1553. 9. Mart. renunciatus est. Postea Doctoris titulum accepit. Inde ad Episcopatum Bergensem vocatus est an. 1557. Anno eodem has literas impetravit ab Universitate: *Nos Rector, Doctores, & Magistri Acade-*

miæ

niæ Hauniensis, his nostris patentibus literis attestatum volumus, Venerandos Viros ac Dominos Mag. Henricum & Mag. Paulum Regiæ Majestatis Concionatores, nobis in Consistorio nostro congregatis 28. die Maji, proposuisse, nomineq; Regis petiisse, ut si aliquid impedimenti obstiterit, quo minus Vir præclarus Dnus. Doct. JOANNES SKELDEROP Superintendens Bergensis jam designatus, conditiones illas, quas functio Episcopalis in Norvegia requirit, citra adversam valetudinem, aut ob alia incommoda gravia, succedente tempore, tolerare perferreq; possit: liberum ei regressum ad hanc Universitatem habere nostro favore liceat, lectionemq; una cum domo & integro stipendio recipere sit integrum. Huic petitioni ut honesta & justa, ita benevolo animo omnes & singuli consensum præbuimus, dexteritatem ingenii, singularemq; Viri probitatem, considerantes, ita ut prædictus Dnus. Doct. JOANNES semper in gratia & favore, & quasi Collega Universitatis maneat, etiamsi modo à nobis necessitate legitime vocationis id postulante, hinc abierit. In cujus rei fidem ac testimonium evidentiùs hasce literas solito Academiæ sigillo inferius appenso confirmavimus. Datum Hauniæ 28. die mensis Maji, Anno salutis nostræ 1557. Obiit an. 1582. Filium habuit M. Petrum Skelderupium, Pastorem Ecclesiæ D. Virginis Hauniensis, & postea Episcopum Nidrosiensem: nepotemq; ex eo M. Janum Skelderupium, Pastorem Ecclesiæ S. Nicolai Hauniensis, & postea Episcopum

Bergensem: Et filiam nuptam M. Georgio Erici f. Episcopo Stavangriensi.

Scripta.

Liber de Imaginibus & eorum abusu.

NICOLAUS LAURENTII SCAVENIUS

Professor fuit primum Mathematicum : postea Physicæ an. 1562. Magister Artium creatus est an. 1555. à Decano M. Johanne Albertio , cum jam Mathematicus Professor esset. Decanus fuit Facultatis Philosophicæ an. 1558. & una promotione II. altera III. Magistros creavit. Iterum an. 1562. quo Magistros IV. renunciavit, Sed & an. 1563. Vice Decani M. Sacerdis ægrotantis III. Magistros creavit. Tum an. 1571. quo uno actu VI. Magistros, altero III. pronunciavit. Item an. 1588. Rectoratum gessit an. 1566. 1584. Procurator Templi D. Virginis fuit ab an. 1570. ad an. 1584. An. 1573. designatus Oeconomus Regiæ Communitatis Studioforum à Magno Aulæ Magistro , petentibus Professoribus id munus in se suscepit , usq; ad an. 1577. Etiam Fiscarius Universitatis constitutus erat an. 1562. Obiit an. 1590. die 18. Augusti.

PAULUS MATTHIÆ

Natus est Coagii in Sædlandia an. 1527. Baccalaureus Philosophiæ creatus est an. 1545. à Decano M. Nic. Hemmingio. Et Magister an. 1554. die 1. Maji. An. 1555. in ordinem Professorium cooptatus, in Academia, primum Lingvas, Latinam, Græcam (an. 1557.) & Hebræam : deinde Dialecticam (an. 1560.) professus est. Decanus Facultatis Philosophicæ an. 1559. die Martis post Pal-

Basmarum XIV. Baccalaureos creavit, & die Martis ante Joh. Baptist. V. Magistros. An. 1558. ipse Baccalaureus Theologiæ renunciatus est à D. Hemmingio. Rectoratum gessit an. 1560. Ad Episcopatum Ripensem vocatus est an. 1562. Dum eo munere fungitur, uxorem an. 1568. duxit **CATHARINAM** Jacobi Hasebardi Chirurgi Regii filiam. Ei an. 1578. die 18. Septemb. defunctæ, & in sepulcrum Patris, extra Australe chori latus in Templo D. Virginis situm, illatæ, Frater D. Jacobus Hasebardus Medicus Regius monumentum posuit Tabellam ligneam columnæ affixam: cujus inscriptio infra exhibebitur. An. 1569. Successor datus est D. Johanni Albertio in Professione Theologica & Episcopatu Sædlandiæ, & Doctoris Theologiæ gradum à D. Hemmingio an. 1570. die 29. Junii accepit. Rectoratum iterum gessit an. 1577. 1589. Atq; hic postremus ejus Rectoratus hoc memorandum habet, quod **JACOBUS VI.** Rex Scotiæ Collegium Hauniense die 7. Mart. an. 1590. ingressus, cum ad duas fere horas continuè docentes D. Slangendorfium Theologum, & D. Andreæm Chrittiani f. Medicum audivisset, ab Rectore D. **PAULO MATTHIÆ** brevi oratione compellatus fuerit, gratulando, gratias agendo, & bene precando. Donavitq; Rêx Academiam poculo argenteo aurato. De ingressu ejusdem in hanc urbem Rector & Senatus Academicus Programma Publicum posuerunt, quod post alia, hæc verba continet: *Æquum est tales Ecclesiæ nutritios & parentes, tanquam Divinæ Majestatis Legatos in hisce terris colere, venerari, suspicere. Cum itaq; die hodierna Illustrissimus Princeps JACOBUS Scotorum ejus nominis Rex VI. hanc Civitatem ingreditur, judicavimus illum*

quovis honore afficiendum & excipiendum, totumq; ejus comitatum benignè & amicè, quam diu nobiscum manserit, tractandum. Initium facturi sumus hodie, quando ejus adventum frequentes excipiemus: quod vos (Studiosos, Cives Academiae) etiam facere, & nos extra portam comitari tempore convenienti volumus & serio mandamus. Facite itaq; Studiosi sponte vestra, quod vestrum postulat officium, & jusjurandum, pietasq; & obedientia svadet. Obiit an. 1590. die 31. Octob. Sepultus in summo choro Templi D. Virginis. Habetq; Lapis Sepulcralis hanc inscriptionem:

PAULO MATTH. Coag. Theol. Doct. Episcopo primum Ripensi an. VIII. dein XX. Roëskild. VII. olim in hac Acad. Lingv. Latin. Græc. Hebr. Artiumq; Professori optatiss. Viduarum, orphan. Pauper. fautori, Viro vere bono. Qui summo bonorum obiit desiderio prid. Kal. Novembris, anno Salutis 1590. æt. 63. Hæredi Patruo cariss. P.P. Soli Deo gloria. Prudens Simplicitas.

Inscriptio monumenti Uxoris.

Matronarum decori CATHARINÆ, patre Jacobo Hasebardo Chirurgo, & Matre Abigaele Loir, honesto loco natæ, Reverendi ac Clarissimi Viri, D. PAULI MATTHIÆ S. S. Theologiae Doctoris ac Episcopi Roëskildensis vigilantiss. Uxori dilectiss. quod legitimo thori fœdere sociata, piè ac castè, in amore Conjugali vixit annis plus minus X. atq; in hoc Patris dormitorio ad illum glorio-

*riosum diem sepositæ , JACOBUS HASEBARDUS
Medicinæ D. Sorori cariss. ne hoc honore, aut memoria,
præter meritum privaretur à Dn. Episcopi p. m. Hæredi-
bus, hanc Tabellam F. ac P. C. In invocatione Mediatoris
Filii Dei decessit anno Salvatoris 1578. 18. Septemb.*

JACOBUS BORDINGUS

Natus est Antverpiæ anno Servatoris 1511. die 11. Ju-
lii, circiter octavam pomeridianam. Parentes habuit Ni-
colaum Bordingum & Adrianam Adrianæ. Annum
agens nonum in disciplinam traditus est Scholæ Ant-
verpiensis Moderatori M. Nicolao Buskoducensi. Ab
hoc cum prima primarum artium rudimenta feliciter
percepisset, ac certiora jam indolis ingeniiq; signa de-
disset, in quibus veluti herbis quibusdam minime falla-
cibus, fructus olim capiendi apparerent, missus est Lo-
vanium, ubi cum in Castrensi Pædagogio Logica & Phy-
sica degustasset, ad Lingvarum postea studium applicuit
animum, usus opera Conradi Goclenii, Nicolai Clenar-
di, & Rutgeri Rescii, quos publicè prælegentes audiens,
tantum brevi profecit in singulis, ut quæ ætate alij in hi-
sce discendis incipiunt laborare, ipse ea ætate in iisdem
excelleret. Quamobrem Pater ita feliciter à primis inde
annis institutum, ac tam subito in lingvarum studiis pro-
gressum, ut ad lingvarum cognitionem gravius quod-
dam doctrinæ genus adjungeret, ad quod naturæ pro-
pensione maximè duceretur, ad Lyceum Lutetianum
ipsum misit annos jam natum XVIII. ubi Joannem Co-
pum & Jacobum Sylvium diligentissimè audivit, illum
quidem Aristotelis Philosophiam, hunc autem Medici-
næ artem tradentem. Cum verò à Parentibus ad ipsum
missæ

missæ pecuniæ à viarum latronibus interceptæ fuissent, patuerunt illi domus doctorum hominum, quire, consiliis, opera sua ipsum adjuverunt. Nam cum à Græcæ & Hebraicæ lingvæ cognitione haut vulgari instructus esset, instigante Joanne Sturmio, aliisque, Græcas & Hebræas literas publicè magna cum laude professus est Parisiis in Lexoviensi Collegio. Cum è vivis excessisset Pater eius Nicolaus, in clientelam & fidem Episcopi Mimatensis de Rochefault se contulit, vixitque cum eo totum fere biennium: à quo missus est deinde in urbem Galliæ, Medicinæ studiis florentissimam, Monspeffulanum, ubi impensis Episcopi Mimatensis vixit, & Joannem Scironium, Dionysium Fontanum, Antonium Saporitam audivit. Hinc Italiam cogitat. Carpentoraete itaque primum in itinere deflectens, cum ibidem aliquandiu subsisteret, ecce repente Jacobus Sadoletus Cardinalis & Episcopus, fama Romam, ubi tunc agebat ad sese de BORDINGO & ejus singulari doctrina, allata, Scholæ Carpentoraetensi ipsum præfecit liberali stipendio. Duxit tum annum natus XXVII. uxorem Virginem Franciscam Nigronam, Termini Nigroni, Civis & Patritii Genuensis, & Johannæ de Rochelle Avenionensis, filiam, novem cum eo liberorum Parenti superstitem multitudine felicem, quæ fidelis itinerum Mariti comes tandem, cum Hauniæ Danorum BORDINGUS obiisset, cum liberis superstitis Rostochiam vidua rediit. E liberis Nicolaus Antverpiensis, Jacobus & Petrus Hamburgenses, manu Patris, cum Rector Academiæ Hauniensis esset an. 1559. albo Universitatis inscripti sunt; Philippus verò Rectore D. Hemmingio an. 1558. Et Jacobus postea Juris Utriusque Doctor Principis Megalopolitani Cancellarius fuit, & an. 1578. cum Juris Li-

centiatus & Professor in Academia Rostochiensis esset, literis Professorum Hauniensium ad Professionem Juris Civilis in hac Academia invitatus est: quam functionem tamen ille abnuit, missis huc literis, quod Principi suo suam addixisset operam. Bononiam deinde BORDINGUS pater sese contulit, ut Doctoris Medicinæ insignibus ornaretur. Amplissimum testimonium communi Doctorum omnium judicio Bononiæ consequutus, Carpentora cte revertitur, annum agens XXIX. ubi cum ob veræ Religionis amorem diutius agere non posset, Antverpiam commigravit. Quinquennium ibidem mansit, ubi partim Medicina facienda, partim Chirurgiæ præceptis tradendis se exercuit. Cum verò diutius Religionem dissimulare nollet, patria hac relicta, sedem suam Hamburgum transtulit, ubi cum Senatus stipendio liberali annos propemodum V. serviisset, arcessitus est ab HENRICO Megapolensi Principe, ut ejus opera, tum in Aula, tum in Academia Rostochiensis uteretur. Vixit ibidem septennium, ac Medicinæ studia in ea Academia non mediocriter, ingenio, doctrina, disputationibus ac cæteris laboribus Scholasticis fideliter præstandis, illustravit. An. 1556. cum Rex Daniæ CHRISTIANUS & Academia Hauniensis altero Medico carerent, stipendio Regis & Scholæ eò est invitatus. Et an. 1557. die 20. Maji, Rectore D. Morliano receptus est a Professoribus in membrum Universitatis, & die eodem in Professore Facultatis Medicæ. Ubi vitæ, quod fuit reliquum ita transegit, ut apud Serenissimum Regem, & Amplissimos hujus Regni Proceres in magna esset gratia: in Schola verò magna ejus dexteritas in docendo, in disputatione acumen, in consiliis prudentia, in controversis componendis æquitas, in convictu & vitæ

consuetudine modestia & facilitas, ita ubiq; perspecta
 sunt, ut nulla vitæ ejus pars fuerit, quæ honesti ac boni
 Viri officio careret. Rectoratum etiam Academiæ ges-
 sit an. 1559. Dum verò in Professorio munere summa
 cum laude versatur, morbo corripitur, in quo pietatis ac
 patientiæ specimina edidit præclara. Postquam enim
 naturæ ne robur, an morbi magnitudo superatura esset,
 dubitaret, mentem statim ad sanctissimarum rerum co-
 gitationem convertens, usus est communionem Corporis
 & Sanguinis Domini Jesu Christi. Qua ceremonia ritè
 peracta, de testamento faciendo cœpit cogitare. Eam
 itaq; ad rem Viros quosdam delegit, quos sperabat offi-
 cium uxori & liberis præstandum, minimè neglecturos.
 Quibus comparatis, cordis quædam compressio & late-
 ris punctiones subsequutæ sunt, quibus tametsi triduo
 toto gravissimè torqueretur, animo tamen fuit præsen-
 te, neq; de tua constantia quicquam remisit. Summa ani-
 mi fiducia sententias consolatorias recitavit, seq; ipse
 iisdem in doloris magnitudine consolatus est. Uxorem
 & liberos eo die, quo obiit, hora circiter octava, ad le-
 ctum arcessivit, & orationem primum ad adstantes ha-
 buit, qua ipsos officiorum omnium à sua morte præstan-
 dorum, amanter ac paterne admonuit. Deinde Patriar-
 chæ Jacobi exemplum sequutus, manu imposita, felicia
 quæq; singulis precatus est. Postremo uxorem ample-
 xus, ac eidem fausta eadem precatus est. Postea cunctos
 dimisit, & sese ad quietem composuit. Et inter sancta su-
 spira & gemitus vitam cum morte commutavit die 5.
 Septemb. anno Christi 1560. ætatis suæ quinquagesimo
 corrente. Excelluit utriusq; generis virtutibus, non tan-
 tum illis, quæ iis prodesse magis videntur, quibus in-
 sunt, quàm aliis; sed & iis, quæ ad alios sese diffundunt,
 &

& communi societati profunt, vigilantia & diligentia, fide, animo ab assentatione alienissimo, beneficentia, constantia in servandis amicitis, Musices amore ac studio. Sepultus est in Templo D. Virginis. Epitaphium, quod hodie nusquam est, ei positum recitat Nathan Chytræus in Delic. itin. Europ. p. 448. edit. 1606.

D. O. M. S.

Dn. JACOBO BORDINGO Antverpiano, Viro in omni Philologia & Philosophia bene & eleganter versato: & præterea SADOLETI quòq; aliorumq; exterorum doctiss. monumentis publicè celebrato, primum Patriæ, deinde Ducum Megapolitanorum, & Serenissimorum Danicæ Regum CHRISTIANI III. & FREDERICI II. Archiatro: Academiarum Rostochianæ & Hauniensis ornameto: ob veræ pietatis, eruditionis, sapientiæ, & omnium virtutum laudem, memoriam perennem jam pridem adepto: gratum hoc animi memoraculum, Patri optimo, sibiq; & bonis omnibus desideratissimo in beatæ reparationis spem, JACOBUS BORDINGUS F. I. U. D. Professor & Cancellarius Megapol. P. C.

Pie obiit Hauniæ an. Christi 1560. Septemb. V. hora IV. vesp. an. æt. L.

Scripta.

Anatome, edita primo Helmstadii, postea junctim, nomine φυσιολογίας à Levino Batto, Rostochii apud Myliandrum in octavo an. 1591.

In sex Galeni libros de sanitate tuenda enarratio, quæ est

est altera Operis Bordingiani pars, seu *ύγιεινή*, edita ab eodem Batto, Rostoch. an. 1591.

Commentarius in tres libros Galeni de morborum & symptomatum differentiis & causis, qui est tertia Medicinæ pars seu Pathologia ejusdem Bordingii, edita à Batto ibidem. Reliquos tres Galeni libros abolvere non potuit, propter locorum mutationes, & molem negotiorum in Aula & Academia.

Consilia quædam Illustris. Principibus præscripta. Rostoch. an. 1605. in quarto.

Oratio in obitum Regis CHRISTIANI III. Hauniæ. an. 1559.

IVARUS BARTHOLINUS

Medelpharus

Natus est Middelfarti in Fyonia : Vitebergæ Ph. Melanchthonem studiosè audivit, ibiq; Magister Artium creatus, albo Universitatis hujus inscriptus est an. 1558. Rectore D. Nicolao Hemmingio. Professor Pædagogicus fuit. Cum Collegis Professoribus non illi benè convenit, adeo ut post causam illius sæpius & diligentius examinatum, concluderent an. 1561. d. 3. April. denunciandum illi esse, ut, intra diem Johannis Baptistæ proximum, sibi de alia conditione prospiceret. An. 1562. decreverunt illi Professores 60. Joachimicos pro lectione Virgiliana, ut, si nollet eo stipendio docere, conferret se quocunq; vellet. Lectionem Rhetoricam petiit, quæ denegata est, prælato illi Catholmio. Postea Stegensis Ecclesiæ in Insula Mona Pastor fuit: In eo munere accusatur à Regio loci Præsidente, cum ob non consummatum cum desponsa femina conjugium, tum ob exclusæ Exorcismi verba in administrando Baptismi Sacramento,

mento. Utraq; causa in Consistorio Academico, quod die dicta in Synodo Roëskildensi non comparuisset, acta, & sententia contra ipsum lata. Postea Soræ in custodiam traditus, & asperius tractatus, ut etiam veste, qua hybernorum vim frigorum defenderet, egeret, quod crebris ipse conquestus est literis, quas ad D. Hemmingium aliosq; scriptas Soræ vidi apud Stephanum Stephanium: lætiores demum sortem, Regis FREDERICI II. benignitate & clementia reperit. Cum enim Rex forte Soram venisset, ac à quodam Aulico Viri, ut meliore fortuna ac misericordia digni, facta esset mentio, eum arcessi iussit: is verò introductus, squalore ac fordibus deformis, tam eruditè ac disertè coram Rege verba fecit, ut Rex iudicaret, & venia, si quid peccasset, & meliore sorte dignum: vesteq; statim nova donatum, an. 1572. Sorensi ac Ringstadiensi Cœnobio præficeret. Fama est eundem Regem, adstantibus sibi aliquando Cancellario & Bartolino, dixisse, in Regni negotiis plurimum se fidei illius tribuere, sed in pietatis ac conscientia rebus hunc omnibus alius præferre. Uxorem habuit ELISAM MULENIAM Nobilis Viri Johannis Mule de Nisseugaard filiam: ex qua plures liberos suscepit: Johannem, Pastorem Ecclesiæ Boëslundensis: Christophorum, primarium Regii ærarii Scribam: Margaritam, M. Johanni Bangio, Pastori & Præposito Samoënsi: Annam, Hermannò Holst, Vectigalis Orefundici Præfecto, nuptam. Obiit Ringstadii an. 1583. d. 28. Septembr. Sepultus in Templo, ubi ei Epitaphium est positum, hujus inscriptionis:

*IVARO BARTHOLINO, Viro doctrina, pietate,
& omni virutum genere laudatissimo, Regio hujus loci*
N 3 *Præ-*

*Præsidi, in Domino sanctè defuncto 28. Septembris, anno
Salutis 1583. Sacrum:*

*Pone sacros veterum tumulos & funera Regum,
IVARI cineres relliquiæq; jacent.*

*Nempe velut scriptis illorum nomina fastis
Extulit, & vivum fecit habere decus.*

*Ex bustis accedit honor solennibus urnæ,
Quæ brevis exsuvias cutis, & ossa tenet.*

*Huic primos fœcunda Fionia contulit ortus,
Hic ubi contracto sunt freta pressi sinu.*

*Acrius excoluit florenti tempore Musas,
Ut studiis animi luxuriaret acer.*

*Arguto tandem satiatus melle Philippi,
Hausit doctrinæ nobilioris opus.*

*Huic artes, censura gravis, facundia lingvæ,
Huic natum sanè religionis opus.*

*Huic moderata fuit civilis vita, decusq;
Sinceri mores, ingenuusq; lepos.*

*Consortem lecti sancto complexus amore,
In sua pro Divis pignora cara fuit:*

*Officiisq; sibi Proceres devinxit honestis,
Et studuit cunctos demeruisse bonos.*

*Munere solerti studio commissa peregit,
Illæsam tenuit cum integritate fidem.*

*Sustinuit varios infraçto pectore casus,
Finiit eventu quos Deus ipse bono.*

At

*At pietas reliquas inter carissima dotes
Enituit, cæli Phœbus ut ante faces.
Hæc radiis ditata Dei, luctumq; metumq;
Abstulit, in cœlis reddidit atq; locum
Officii & æternæ memoriæ ergo M. F.*

Ἡμῶν τὸ πολίτευμα ἐν ἔθανοῖς ὑπάρχει, ἐξ ἧς καὶ σωτήρα ἀπει-
δεχόμεθα Κύριον Ἰησοῦν Χριστόν.

*Patri suo dulcissimo Liberi, extremi & debiti officii er-
go mærentes posuerunt.*

Lapis sepulcri Vernaculam habet inscriptionem.

Scripta.

Hypomnesis de extremo universali Dei judicio & præ-
paratione Christiana in instantem mundi finem. Vi-
teberg. 1565.

JOHANNES THOMÆ AURI- FABER

Natus est Husenæ in Jutia Meridionali, anno Christi
1517. Prima pietatis & artium elementa percepit in
Scholis Trivialibus, Lubecensi, Hamburgensi, Lune-
burgensi & Lovaniensi, istuc ab Illustriss. & Clementiss.
Rege CHRISTIANO III. missus: cujus illic sumti-
bus benignè sustentabatur. Hinc à dicto Rege in Ca-
meram ejus adsciscendus revocatur. In album Univer-
sitatis relatus est an 1544. Rectore D. Machabæo. An.
1554. Magister Artium creatus est. Anno Domini 1556.
ad Pædagogicam in hac Academia Professionem voca-
tur: & postea in locum Petri Parvi Professoris Rhetor-
ici an. 1562. sufficitur. Professor Dialecticæ an. 1562. fu-
isse.

isse refertur ; sed facta permutatione cum Catholmio Professionem Rhetoricæ recepisse videtur. Vixit ergo in hac Academia Bibliothecarius Regius annos 15. Professor Publicus annos 46. Decanus Facultatis Philosophicæ fuit an. 1562. 1574. 1586. 1591. 1597. Atq; interea præter multos alios Academiæ nomine exantlatos labores, etiam Rectoratus officio bis, an. 1575 1576 continuis, & an. 1588. functus est, atq; Ædilitatem Templi D. Virginis annos 9. ab an. 1584. ad an. 1593. gessit. Variis itaq; laborum & calamitatum fluctibus obrutus in hoc procelloso mundi æqvore annis prope 85. sollicitè navigavit. Emenso autem mari hoc tam vasto, tam periculoso, Patriæ suæ portum, diu multumq; ab ipso desideratum, die 29 Januar. an. 1602. lætus libensq; attigit. Uxorem an. 1577. duxit HELENAM viro superstitem. Funus publico Programmate à Rectore Academiæ D. Andrea Christiani indictum est.

JOHANNES SASCERIDES

Natus est Varmenhusii in Hollandia Septentrionali prope Alcmariam, an. Chr. 1526. ipso die Johannis Baptistæ, cui cognominem propterea voluerunt Parentes honestissimi & religiosissimi. Cum igitur in Patria educatus esset aliquandiu, mittebatur in Scholam Ultrajectinam, quæ celebris fuit in primis eo tempore: in qua quinquenni spatium, ita jecit fundamenta veræ eruditionis quam superstrueret, ut annis aliquot deinceps in celeberrima Lovaniensium Academia, ejus tempestatis Schola longè florentissima, cum magno fructu in studio optimarum artium & lingvarum versatus sit. Hinc igitur rediens ad suos, propter eruditionem & mores, vocatus est, qui doceret Ecclesiam patriæ vicinam: ac in
 isto

isto munere publico , ea cum fide & religione versatus est , ut propter professionem purioris doctrinæ , quam Lovanii hauserat ex libris Evangelicis & scriptis Theologorum , qui jam veram propagarant religionem , (ea enim studio privato revolverat , quod publicè sacra ejusmodi , isto in loco discere non liceret.) & zelum veræ religionis , quo ferebatur vehementius , cum annum unum , & plus paulo , præfuisset isti officio , migrare coactus fuerit . Ab eo igitur loco Vitebergam concessit . ubi , mortuo jam Luthero , magno illo purioris religionis vindice , & quasi altero Hercule , triennium impendit bonis literis , & Sacræ Theologiæ studio in primis : ac interea eum se probavit D. Philippo Melanchthoni , Viro doctissimo , optimo , pientissimo , ut propter literas ejus , quibus ipsum commendarat prolixè , & suam doctrinam excellentem ac mores egregios , an. 1557. ætatis 31. adici- sceretur in Collegium Professorum , qui publicè doceret Lingvam Sanctam in Regia hac Academia , attributo jam ei Professioni stipendio integro , postquam Magister Artium in Album Universitatis eodem anno inscriptus esset . Vixit in Academia , ab eo tempore annis 37 . Theologiæ Baccalaureus creatus est an. 1558 à D. Hemmingio . Uxorem duxit honestam , industriam , fœcundam , ELISABETHAM GELLII f. ex qua liberos suscepit complures , imitatores parentum cum summa laude . Ex quibus filius Gellius Medicinæ Doctor & Professor in hac Academia fuit : Filia Agatha M. Jonæ Jacobi f. Coronensi nupsit . Ita verò versatus est cum singulis , ut conatus semper fuerit prodesse , quibus potuit , & nocere nemini . Fecit officium in Academia , summo cum labore & industria , non sine insigni fructu multorum : qui non tantum didicerunt Lingvam Sanctam &

Sacras Literas, ex prælectionibus publicis, sed alias sæpè usi sunt ipsius opera privata, tum in Poëtica Latina, quam callebat egregiè, tum ipso Homero intelligendo, quem olim quibusdam etiam proposuit diligenter. Carus erat Collegis suis, propter excellentem doctrinam, morum integritatem insignem, antiquam fidem, & magnam industriam, quam adhibuit, tum alias in officio, tum in Facultatis Philosophicæ Decanatu, an. 1563. quo Baccalauros 18. & an. 1565. quo Magistros 5. & an. 1573. quo Baccalauros 25. & an. 1584. quo Baccalauros 13. & an. 1591. quo Magistros 5. creavit: tum deniq; in Academiæ summo Magistratu, quem etiam gessit an. 1570. & an. 1592. cum laude. An. 1592 d. 14. Septemb. lenta febris laborare cœpit: quæ recurrebat eadem vere anni 1594. & tertio accessit: ut tandem exhaustis viribus paulatim die 27. mensis Febr. hora quasi 11. cum jam prandere decrevisset, *ἐν ἄγαναρίας* cito, & quasi nullo cruciatu defunctus sit, cum sexto, ab eo, die filix Sponsæ, cæterisq; liberis ac amicis, hinc iturus ad nuptias istas, benedixisset: ac interea, in pia mortis meditatione, sese Deo clementissimo commendasset ex animo. Funus publico Programmate ab Academiæ Rectore D. Johanne Slangendorffio indictum est. Sepultus in Templo D. Virginis pone chorum. Lapidis Sepulcrali inscripta hæc sunt:

*ELISABETHÆ GELLII F. castæ & industriæ
fœminæ, quæ nata in hac urbe, cum vixisset annos 49. Deo
se commendans obiit, anno 1580. die 27. Octob. Conjugi
suae desideratissimæ, pluribusq; dulcissimis liberis, de nume-
ro 14. ex ea sibi natorum, etiam hic humatis, mœstissimus
JOHANNES SACERIDES memoriæ ponebat.*

Idem:

*Idem SASCERIDES hic nunc etiam ipse quiescit,
Exspectans letum Christo oriente diem.*

Obiit die 27. Februar. an. 1594. ætatis suæ 68.

Scripta.

Odarum sive Carminum sacrorum lib. 9. Carmen seculare pro Ecclesia. Basil. apud Oporin. anno 1557. in octavo.

Theses de Regno Christi, quomodo differat à Regnis mundi. 1591. in 4.

Themata de Affectibus. 1566. in 8.

JOHANNES MAGNI Hau- nienfis

In album Universitatis inscriptus an. 1544. Rectore D. Machabæo. Baccalaureus Philosophiæ an. 1545. à Decano M. Nic. Hemmingio. & Magister Artium an. 1558. à Decano M. Nicolao Scavenio creatus est : Eodemq; anno in numerum Professorum ad lectionem Virgilianam receptus. Inde Lingvæ Græcæ Professor fuit. Decanus Facultatis Philosophicæ factus an. 1566. VII. Magistros creavit : Cumq; adhuc Decanus esset an. 1567. resignavit suam Professionem Græcam die 26. Martii. An. 1578. cum Regiis literis juberentur Professores eligere idoneum & doctum Virum, qui Episcopi Nidrosiensis Coadjutor esset, eiq; postea succederet, Professores inter alios præcipuè nominarunt M. JOHANNEM MAGNI, quod esset eruditus, politicus, prudens, & expeditus & aptus ad profectioes; unum obstare visum, quod jam provectioris ætatis esset. Rex vero expenso Professorum judicio, è tribus, quos ejus Majestati stiterant,

rant, M. JOHANNEM MAGNI elegit, Episcopi
Johannis Gaas tum *συνεργόν*, mox successorem futurum.

TYCHO ASMUNDIUS

Magister Artium à Decano Facultatis Philosophicæ M.
Johanne Albertio creatus est an. 1555. cum Conciona-
tor junioris Principis FREDERICI esset. Professor Pæ-
dagogicus fuit. Inde Pastor Ecclesiæ D. Virginis Hau-
nienſis an. 1560. Episcopus Lundensis an. 1561. 23. No-
vemb. à D. Johanne Albertio Sædlandiæ Episcopo ordi-
natus est. Sponte cessit Episcopatu an. 1577. Et obiit
in Episcopali urbe an. 1586. die 25. April. Sepultus in
Templo Cathedrali, ubi monumentum habet cum hac
inſcriptione :

*V. Cl. Dn. M. TYCHO ASMUNDIUS, Diæce-
sis olim Scaniensis Superintendens, & Lundensis Ecclesiæ
Canonicus, cum exactis in Episcopatu annis XV II. &
mensibus circiter IV, totos exinde annos V III. & menses
IV. vixit. Pie tandem & placidè obiit Aprilis die 25. anno
Christi 1586. ætatis suæ 64. Cui Conjux MARINA SE-
VERINI F. Conjugi cariss. H. M. P. M.*

CIMBRIUS ERASMUS MICHA- ELIUS LÆTUS.

(ita enim nomen suum ipse in Matricula Universitatis
ſcripſit) Natus est in pago Ingvorsdorpenſi Nomarchiæ
Australis in Cimbrica Chersoneso. An. 1542. Rectore
M. Chryſoſtomo in album Universitatis inſcriptus est,
ſed cognomento Arhusianus. An. 1544. à Decano M.
Jacobo Fabricio creatus est Baccalaureus Philoſophiæ :
& Magister Artium, ſed cognomento Ingelardus an.

1546. à

1546. à Decano M. Nic. Hemmingio. Stipendio Arhusiensis Capituli vixit in Academia, decreveruntq; Professores, ut Jurisprudentiæ operam daret, & nexu Canonorum, si fieri posset, liberatus, in exteris nationibus aleretur. Ita ad exteros profectus, Galliam, Italiam, Germaniamq; perreptando omnigenæ doctriæ spicula suam penum instruere curæ habuit. Redux in patriam, Professionem Dialecticæ suscepit an. 1568. Theologiam verò anno 1560. de sententia & voluntate Regis **FREDERICI II.** cum jam Theologiæ Doctor esset, & Canonicus Roëskildensis. Rectoratum an. 1561. suscepit; sed propter ferociam, austeritatem, &c. ab officio Rectoris, jussu Cancellarii Johannis Frisii, dimotus est mense Junio an. 1562. An. 1572. indultu Regio permisum illi est proficisci in Germaniam per unius anni spatium, & nihilominus obtinere stipendium apud Universitatem, dummodo alium ex Professoribus, qui ipsius loco doceret, substitueret. In eo ærumnoso ac difficili suæ peregrinationis cursu, nullo pene librorum, nullo Historicorum præsidio, cum simul in magno luctu esset ob amissam conjugem pulcerrimam dulcissimamq;, scripta sua elaboravit, Hamburgi, Colonia, Basileæ, Francofurti, Patavii. An. 1574. ab Universitate remotus est. Virum in omni literatura summum vocat Pontanus Chorogr. Dan. Descript. p. 784.

Scripta.

Rerum Danicarum libri XI. carmine Heroico. Francofurt. an. 1574. in 4.

Margareticorum. h. e. De Conflictu Gothico, quo **MARGARITÆ** Danorum Reginae auspiciis, **ALBERTUS** Megapolensis Sveciæ Rex captus, Regnoq;

gnoq; exsutus est , libri X. Francofurt. 1574. in 4.

Cæsares Italici: Francofurt. 1574. in 4.

Colloquia Moralia. Basileæ apud Oporin. 1573. in 4.

De Re, Nautica. libr. IV. Basileæ apud Oporin. 1573. in 4.

De Republ. Norimbergensium libri. IV. Francofurt.

1574. in 4.

Gratulatorium in reditum CHRISTIANI III. in urbem Hauniensem. 1551.

Bucolica, Viteberg. 1560. in 8.

Propositiones. Haun. 1559. in 4.

JOHANNES FRANCISCI

Natus est Ripis Cimbrorum an. 1532. optimis Parentibus: quod vel ex hoc liquet, quod hunc filium suum, ad honestas artes ab ineunte ætate perdiscendas adhibitum, crescere voluerint pietate & sapientia ad gloriam Dei, & humanæ societatis salutem & commodum. Jactis in Patria primis artium fundamentis, in Germaniam missus est, ut quod hic accepisset, illic perpoliret quotidiana accessione & augmento, neq; ut hoc solum ageret, varias nationes perlustravit, sed ut varios hominum mores cognosceret, quæ res in primis prudentiam conciliat, ut fuit vir non egregiè literatus duntaxat, sed pari prudentia & candido animo, idem semper & facilis ad communicandum tum consilium, tum operam suam, cum omnibus, maximis, minimis, mediocribus, medicinam alicujus morbi petentibus. Dum autem in Germania fuit, ingenii elegantia & morum suavitate doctos & claros viros sibi conciliavit, Vitebergæ Ph. Melancthonem, Paul. Eberum, Casp. Peucerum: Francofurti ad Oderam Vilichium: Heidelbergæ Pet. Lotichium Secundum, à quo Poëtarum in Germania Principe Poëtices lauream accepit: Tubingæ Leonh. Fuchsum & Scheg-

Schegkium atq; Seccervitium : Tum in Gallia, Lutetiæ Gupillum, Duretum Equitem, Rondeletium : Lugduni Jacob. Dalechampium. Medicinæ Doctor creatus, ad integram Medicam Professionem in hac Academia an. 1561. receptus est. An. 1562. d. 15. Decemb. Scholæ Trivialis Inspector cum D. Hemmingio constitutus est. Rectoratum gessit an. 1565. 1573. 1574. Uxorem habuit MARINAM LAURENTII F. Antonii Secretarii Regii viduam, qui cum in conjugio annos XXIII. vixit. Anno autem non multo minus vixit adversa valetudine, cum qua mensibus aliquot fortiter conflictatus, neq; audiri, neq; videri à piis oculis & auribus sine lacrymis poterat. In hoc tamen acerrimo cum malo suo conflictu, Spiritu Dei confirmatus, ita toto tempore decubuit, ut non impegerit in quicquam, cum animæ suæ detrimento conjunctum. Magnum eqvidem exemplum misericordiæ Divinæ, qua in gravissima afflictione corporis, anima sese erigit, meditationibus suis ad Filium Dei directis, qui & potest, & vult suam fabricam respicere, & nostrarum ærumnarum, post modicam castigationem, salutarem finem facere. Emigravit verò ex his miseris placidè Clarissimus atq; doctissimus Vir, hujus vitæ satur, atq; illius percupidus, qua nunc cum Deo & Sanctis Angelis in omnem æternitatem, ut qua nihil suavius, perfruitur, an. 1584. die 4 Julii. Funus pro dignitate decorandum indictum est Academicis Civibus ab Academiae Rectore. Sepultus est in Templo D. Virginis. Monumentum ei positum in Columna Septentrionali choro proxima, cum hac inscriptione:

Ornatissimo Viro, doctrina, pietate, virtute atq; prudentia excellenti, Domino JOHANNI FRANCISCO Ripensi,

pensi, Facultatis Medicæ Doctori eximio, Poëtæ atq; Musico summo, dulcissimo Marito, qui ætatis 52. anno, Christi verò 1584. die 4. Julii ex hac vita migravit, Uxor mœstissima MÄRINA LAL-RENTIA, postquam cum eo in sancto ac placido conjugio 23. annos vixisset, & ipse in Academia hac annis 24. fideliter & cum Auditorum fructu docuisset, ad posteritatis memoriam monumentum hoc fieri curavit.

Habet & monumentum aliud in opposita Australi columna fixum, hujus inscriptionis:

Doctissimo & humanissimo Viro Domino JOHANNI FRANCISCO Ripensi, Medicinæ Galenicæ Doctori, Poëtæ & Musico eximio, omnibusq; bonis caro.

Si mortale nihil deceat perferre Camœnas,

Siq; Poëtarum vita perennis erit,

Arte Machaonia docuit qui primus Apollo,

Si Libitina tum jus inhibere licet,

Musica lætitiæ genitus convictus amicus,

Si cita Parcarum sistere fila queant:

Quæris in hoc tumulo cur condidit ossa JO-

HANNES

FRANCISCUS? curq; is concidit ante diem?

Quem Musa & Charites adeo coluere, quod inter

Præcipuos vates nomen habere darent.

Et

*Et cui contribuit facundi cura Galeni,
 Conspicuum Medica Doctor ut Arte foret.
 Musica mentem hilarem, facilis convictus amicos,
 Egregium mores attribuere decus.
 Ille severa tamen poterat nec flectere fata,
 Et multo lustris plus superesse decem.
 Scilicet est certi præfixus terminus ævi,
 Quem superare nequit: stat sua cuiq; dies.
 Nec Mors sæva ulli parcat, licet ipse Machaon
 Arte fiet Medica, Carminibusq; Maro.
 Orphea seu Cantu superet, seu Thesea Amore:
 Est adeo claris Mors inimica Viris.
 Ergo nihil mirum est, quod fatis cessit iniquis
 Vir qui perpetuo vivere dignus erat.
 Forsitan & mores hominum, terrasq; perosus
 Optabat superis Civis adesse Diis.
 Nec frustratus in hoc, CHRISTO duce, gaudet
 Olympo:*

Hic sine fine quies, vita, salusq; datur.

*Obiit anno 1684. ætatis suæ 52. Amico, post fa-
 ta, quod vivo addixit TYCHO BRAHE F.
 Haun. In patris vero memoriam collapsum restitui
 curavit C. P. D. an. 1624.*

Scripta.

Liber Galeni de ossibus conversus. Hauniæ an. 1567.
 Liber Carminum ad FREDERICUM II. Re-
 gem

gem Daniæ. Lugdun. apud Hæred. Seb. Gryphii
an. 1561. in 12.

De Oculorum fabrica Carmen. Viteberg. an. 1556.

Typus veri & sinceri amoris. Haun. 1575.

Hippocratis lib. de Natura Humana. Hauniæ 1571.

Galenii de Constitutione Artis Medicæ. Hauniæ 1573.

Galenii de curatione seu ratione medendi ad Glauconem
libr. 1. Hauniæ 1572.

Propositiones Medicæ de Temperamentis. 1566. Haun.
in 4.

ELIAS REIMPOLDUS Svollenfis

Medicinæ Doctor, receptus est ad Lectionem Medi-
cam an. 1561. Obiit an. 1563. nemine prætente.

ERASMUS CATHOLMIUS

Baccalaureus Philosophiæ creatus an. 1559. à Decano
M. Paulo Matthiæ. Magister Artium, Professor fuit pri-
mum Pædagogicus. Inde Dialecticæ an. 1562. Prælatus
est Ivaro Bartolino in petitione Professionis Rhetoricæ;
quam tamen suscepisse, mihi non videtur: nam Auri-
faber in eam Professionem an. 1562. susceptus est. Deca-
nus Facultatis Philosophicæ fuit an. 1567. An. 1570.
loco Episcopi, diebus Solis, Mercurii & Saturni Theo-
logiam docere iussus est, acceptis è stipendio Episcopi
LX. thaleris. An. 1572. Baccalaureus Theologiæ crea-
tus est à D. Nic. Hemmingio. M. Johanni Thomæ Pa-
stori Ecclesiæ D. Virginis defuncto an. 1573. in mune-
re Pastoralis successit. Uxorem habuit ELISABE-
THAM Hasebardam Lubecensem, Jacobi Hasebardi
Chirurgi Regii filiam, quam amisit an. 1575. 22. Febr.
Du-

Duxit postea MAGDALENAM Matthiæ f. M. Johannis Thomæ relictam viduam Ipse obiit an. 1582. Defunctæ prioris Uxoris, & conditæ in Templo D. Virginis extra Australe Chori latus, sepulcro lapidem imposuerat cum hac inscriptione:

Fœmina, pietate, modestia & humanitate præstanti, ELISABETHÆ HASEBART Lubecensi, Conjugi ERASMI CATHOLMII, hujus Ecclesiæ Pastoris, dulcissimæ, in vera Jesu Christi fide & invocatione, anno Salvatoris 1575. ætatis suæ. 24. fere, die 22. Februar. defunctæ: mœstissimus Maritus posuit. Vive ut vivas. Sicut in Adamo omnes morimur: ita in Christo omnes vivificabimur.

ANDREAS PETRI Coagius

Magister Artium creatus à Decano Facultatis M. Nicolao Scavenio an. 1558. quo tempore Rector Ludi literarii Hauniensis fuit. Inde vocatus est ad Professionem Mathematicam in Academia an. 1562. Decanus Facultatis Philosophicæ fuit an. 1570. quo Baccalaureos XXXIX. creavit. Iterum an. 1575. Abiit an. 1578. ad Canonicatum Lundensem.

Scripta.

Calendarium, Haun. 1566.

De quatuor Anni partibus. Haun. 1573.

Arbor Consanguinitatis & Affinitatis. Haun. 1567.

NICOLAUS HAMMERUS

Coronensis

Magister Artium, Professor Pædagogicus, Terentianam lectionem suscepit an. 1562. Professionem Græcæ lingvæ an. 1567. Dialecticæ an. 1573. Tum in Germaniam profectus, succedere cupiens D. Johanni Francisco in Professione Medica, inconsulto Senatu Academico, Marpurgi Hessorum gradum Doctoris Medicinæ accepit. Ubi rediit, communi Professorum consensu facta est an. 1584. amica permutatio inter ipsum & M Petrum Haggæum, Professionum: ut Haggæo Dialectica traderetur matutina, quæ cum Theologia diebus extraordinariis docenda, conjuncta est; HAMMERO verò Græca pomeridiana. Decanus factus Philosophicæ Facultatis an. 1577. Baccalaureos XVIII. an. 1578. d. 28 Feb. creavit. An. 1570. cum Sextus Philosophus esset, ætatis suæ anno 28. nominatus est Rector Academiæ; sed modestè sese excusavit, quod & juvenis esset, & res Universitatis minus notas haberet. Iterum an. 1579. electus est Rector, & quamvis vehementissimè se excusaret, tamen sequenti anno 1580. Rectoratum suscepit. In testimonio quod filius ad externos profecturus an. 1587. ab Academia accepit, dicitur, propter eruditionem & indefessum in docendo studium Collegis omnibus carum tui, sed triste desiderium reliquisse. Uxorem, D. Nicolai Hemmingii filiam, & ex ea filium habuit M. Nicolaum Hammerum, in primis annis maximæ spei & expectationis, ut patet ex testimonio ipsi an. 1587. dato; sed postea, quamvis Magistrum an. 1593. renunciatum, non magnæ frugis hominem. Obiit an. 1585. die 16. Maij, prolapsus in puteum in Scania, quo, suos invisurus, profectus erat.

scri-

Scripta.

Themata Philosophica, Propositionum naturas & divisiones exprimentia. Haun. 1582.

PETRUS SEVERINI

Natus est Ripis Cimbrorum an. 1542. Parentibus honestissimis, Patre quidem Severino Jessæo, Civitatis illius Senatore, Matre Bothilda Severini: qui filium hunc suum à teneris, ad humanitatem, virtutem & sanctitatem admodum sollicitè in Patria Schola institui curarunt. Succrescente verò ætate & judicio in Academiam Hauniensem ab iisdem transmissus est. Ubi brevi temporis spatio tantum in liberalibus disciplinis profecit, ut vel ante annum ætatis 20. dignus judicatus sit, cui publicè in hac Academia docendi munus concrederetur. Docuit siquidem tunc temporis aliquandiu Poëticam. An. 1563. à Vice-Decano M. Nicolao Scavenio Magister Artium creatus est. Hinc in Galliam profectus est anno eodem. Qua peragrata Hauniam rediit an. 1565. ubi doctrinam de Meteoris magna cum admiratione & Auditorum commodo professus est. Sed cum ad Rei Naturalis & Medicinæ studium singulari quodam naturæ impetu propenderet, hinc in Italiam, adjuncto sibi fidelissimo Achate Dn. D. Johanne Pratense, qui in Academia hac postea Professor fuit, concessit. Ubi cum singularem in Arte Medica progressum fecisset, in patriam rediit, operam suam eidem elocaturus. Cui intentioni aliquandiu, non levi industria deditus, cum adhuc penitiori rerum naturalium experientia acqvirenda summopere teneretur, Italiam, haut longè antea relictam, rursus repetit, praxeos Medicæ illic exercendæ gratia. Quam non

illicitantum, & potissimum Venetiis, sed & in celeberrimis Germaniæ urbibus postea ita feliciter exercuit, ut magnam sui admirationem & amorem in omnium animis concitarit. Quæ excellentis ingenii fama, cum Serenissimo Regi **FREDERICO II.** Principi æterna memoria dignissimo, innotuisset, in patriam ipsum revocari curavit an. 1570. cujus mandato arcessitus, Patriam omnibus aliis locis, cui operam suam locaret, præferendam censuit, In itinere domum versus, dum Galliam transiret, Gradu Doctoratus an. 1571. ornatus est. Eodem anno Ideam Medicinæ Philosophicæ, medullam, seu sanguinem & spiritum totius Doctrinæ Hippocraticæ, Galenicæ & Paracelsicæ continentem, Basileæ in publicam lucem edi curavit. Ex quo vel unico scripto, quanti judicii, quantæ eloquentiæ, vel eo tempore extiterit, omnes Cordati Censores facilè æstimabunt. Eodem anno in patriam rediens, Regiæ Majestati se addixit : cujus ab eo tempore Archiater fuit, atq; ob summam industriam & fidelitatem in tam arduo munere, ipsius Majestatis gratioso favore & clementia semper usus est. Cæterum an. 1581. nuptias celebravit cum honestissima & lectissima fœmina **DRUDA THORSMEDEN**, Rheinholdi Thor Smeden Civitatis Flensburgensis Senatoris primarii ac prudentissimi, & Giesæ Langiæ, matronæ lectissimæ, filia : cum qua in fœcundo 19. annorum matrimonio filias quatuor & totidem filios progenuit. Filiarum Giesæ Matthiæ Johannis f. hujus urbis Consuli, Annæ Jonæ Charisio J. U. & Med. Doctori, Regi **CHRISTIANO IV.** à Consiliis & Canonico Roëskildensi, nuptui data. E filiis Fredericus Medicinæ Doctor, Medicus Hauniensis fuit. Vir erat admirandæ eruditionis & experientiæ : imo ingens Naturæ

ræ bonum: κεραιὸν ἀγαθόν, & rarum Patriæ κειμήλιον, cui nihil
 magis in votis fuit, quàm bonis omnibus prodesse, nocere
 nemini. In ipso nihil fictum, nihil simulatum. Nulla
 in ipso præterquam temporis observata est avaritia: ipsi
 vita studia erant, delitiæ meditatio, divitiæ scientia, vo-
 luptas summa placere Deo, & prodesse bonis omnibus.
 Commemoratione dignum est, quod ipse paucis ante-
 quam exspiraret horis, dixit: Animam bene habere,
 quam Spiritus sustentat & vivificat, non secus ac cor-
 pus, quando, qui in illo est Spiritus, suo modo officium
 facit in corde, cerebro, epate, & cæteris partibus. Aca-
 demix huic magno semper adjumento fuit in multis re-
 bus gravissimis, ut sperarint & exoptaverint Professores
 ipsum aliquando Collegam sibi, si fata benigniora volu-
 issent, adscitum & conjunctum iri: quanquam ipse qui-
 dem Ordini huic re & consilio semper fuerit conjunctis-
 simus. Obiit peste an. 1602. 28. Julii. Funus Civibus
 Academicis à Rectore Academiae programme publi-
 co indictum est. Sepultus in Templo D. Virginis Hau-
 niensis, in Sacello S. Rochi, ubi Monumentum interius
 spectans hanc inscriptionem exhibet:

*Clarissimo, Præstantissimo Viro, PETRO SE-
 VERINI Ripensi, Phil. & Medic. Doct. Sereniss.
 Reg. Dan. Divi FREDERICI II. & CHRI-
 STIANI IV. Archiatro, clementissime caro, Ca-
 nonico Roëskildensi, Universitatis Hauniensis in
 juventute Professore, & in senectute destinato, &
 Honoratæ Matronæ DRUDÆ THOR SME-
 DE Conjugi & V. liberis sepulturæ commissis, qui-
 ete hic una fruuntibus.*

Con

G. P. P. G. E. F.

Condita sub placido senserunt funera recto
 Heu nimium immitis tetrica jura necis:
 Perpetua dignum vitali sustulit aura,
 Artis Apollinea, gloria summa, virum,
 Pieridumq; jubar nulli hac ætate secundum,
 Ut monumenta dabunt, utq; dedere fidem.
 Fœmineæ virtutis honos, pietatis ocellus
 Conjux, fata sequi dura coacta fuit.
 Æmula pars stirpis quoq; proles quina, Parentum
 Spes magna occubuit, sorte subacta pari.
 Quid meritos luctus solabitur? inclyta cœli
 Gaudia, quæ meritis sunt data, CHRISTE, tuis.
 Exsurgias etenim quas hospita continet urna
 Sacratas, Vita reddet aperta nova.

Piiss. obiit

D. PETRUS SEVERINI 1602. Jul. 29. An. 62.

DRUDA THOR SMEDE 1610. Sept. 21. An.

43. M. 5. D. 2.

Liberi defuncti.

Sophia anno Domini 1594. Sept. 3. An. 3. M. 3. D. 5.

Bothilda anno Domini 1596. Sept. 22. Æt. M. 7.

D. 3.

Reinholdus anno Domini 1597. Octob. 21. Ætat.

M. 9. D. 13.

Severinus anno Domini 1602. Sept. 11. Æt. 3. M. 3.

Jo-

Johannes anno Domini 1603. Jan. 3. Æt. 3. M. 2.

D. 5.

Filia Giesæ nupta M. I. in Æde S. Sp. sepultura data,
in puerp. ob. anno 1603. Jul. 2. anno æt. 18.
Mens. 8. D. 2.

Monumentum exterius spectans hanc habet inscriptionem:

D. O. M. A.

Celebritatis splendore & immortalis memoria
Viro longè dignissimo Dn. PETRO SEVERINI
Rip. Philos. ac Medic. mira excellentia, aliarumq;
scientiarum & virtutum præstantia, omnibus Or-
dinibus summe caro: Duorum potentiss. Regum
Dan. Patris & Filii Archiatro, Canon. Roëskil-
densi, qui in sacello postico cum lectiss. conjugæ &
liberis sepulcro & Epitaphio honoratur, tabella in
hanc perpetui sui desiderii testem

GR. P. GEN. I. CH.

Occidit heu! toties tua qui victricibus armis
Mors celeri docuit cedere tela fuga.
Invicto ast animo virtus mortalia morti
Liquit, & æthereis haut perit urna choris.
Prælia sic victo victrices dura tropæos
Et cælo atq; solo constituere decus.
Illic Astrigeras inter victuræ cohortes
Perpetuam hic vivo nomine PETRE clues.

Q

Quæ

*Quæ vita interit, fuit hæc melioris origo,
Grataq; Supremo est reddita præda Deo.
P. Anno 1615. Mens. Novemb.*

Scripta.

Idea Medicinæ Philosophicæ, fundamenta continens totius doctrinæ Paracelsicæ, Hippocraticæ, & Galenicæ. Basil. 1571. in 4. Et Erfurti apud Joan. Episcop. 1616. in 8. Commentarius illustravit M. Ambrosius Rhodius, edit. Hauniæ 1643. in 4. Prodromum Commentariorum edidit Davissonius Hagæ Comit. 1660. in 4.

Epistola scripta Theophrasto Paracelso, in qua ratio ordinis & nominum totiusq; Philosophiæ adeptæ methodus ostenditur. Basil. 1552. in 8.

Epistola una ad Bongarsium: altera ad Pistorium, edit. à D. Th. Bartolino in Cista Medica p. 125. seqq.

Cætera, quorum Catalogum texit D. Th. Bartolinus in Cista Medica p. 130. seqq. quod nec luci donata, nec prælo sine ulteriori lima committi possunt, hic omitto. Interim iudicium D. Paludani de D. Petro Severini vide ibidem p. 127. seqq.

SEVERINUS CHILIANI Randrusiensis

Magister Artium creatus an. 1562. à Decano Facultatis M. Nicolao Scavenio, Professor Pædagogicus & Notarius Academiæ fuit.

HADRIANUS JUNIUS

Natus Hornæ an. 1512. patre Consulari. Adolefcens, ut nobiliores animæ solent, peregrinationem instituit in
Hispa-

Hispaniam, Angliam, Galliam, Germaniam, Italiam: ubi etiam Medicinæ Doctor creatus. Tandem in patriam reversus, varia usus fortuna, Harlemi ludum literarium quibusdam aperuit. Inde Regius in Dania Medicus fuit, & ad Professionem Medicam in Academia an. 1564. receptus ad annum unum. Postea varia fortuna jactatus, demum Middelburgum in Zelandiam se transtulit, & mox Arnemudam, ubi ex gravi lateris ulcere decumbens, vitam cum morte commutavit, an. Christi 1575. ætatis 63. mensis cognominis die 16. Sub mortis tempus Academiae Leidensi nascenti inter primos Professores destinatus; sed inter ipsa initia morte abreptus, inchoare munus non potuit. Medicus, Historicus & Poëta doctissimus, alterum ab Erasmo Hollandiæ lumen dici meretur. Vir, in quo omnia excellere: Medicinæ, Historiæ, Antiquitatis peritia: ingenium ad Poëticen, factum. Lingvas præter Vernaculam, septem tenuit, Græcam, Latinam, Italicam, Gallicam, Hispanicam, Germanicam, Anglicam.

Epitaphium ejus & Scripta vide in Cista Medica D. Th. Bartholini p. 52. seqq.

JACOBUS MATTHIÆ Vellejus

Natus Vedelæ in Jutia, an. 1538. d. 24. Julii, Patre, Matthia Nicolai f. Urbis Consule: Matre, Helena, Christiani Nicolai Consulis Vardensis filia. Prima doctrinæ semina Vedelæ hausit: sed an. 1548. die 24. Jun. in Ripensem Scholam missus, sub Rectore Jano Petræo Grundit: inde an. 1551. d. 6. Januar. in Orhienensem, sub Rectore M. Laurentio Coldingio: demum an. 1553. in Viburgensem, sub Rectore Dn. Olao

Skót: ita in bonarum artium studiis profecit, ut ab hujus Successore Dn. Rembolto cum Testimonio dimissus, an 1555. Civitatem Academicam impetraret, Rectore D. Palladio Episcopo: in cujus ædibus, præsentibus omnibus Regni Episcopis, Sacris Academicis inauguratus est, d. 8. Maji, à Decano Facult. Philos. M. Johanne Alberti, quem Privatum sibi Præceptorem elegit: Vixitq; inde in hac Academia annos circiter septem: tres & ultrà, in ædibus M. Nicolai Hemmingii, & in annum quartum apud M. Casparum Brokmannum Regium Secretarium. Primam Philosophicam lauream interea consecutus est an. 1559. Decano M. Paulo Matthiæ. An. 1561. in Martio in exteras Academias concessit, Lovaniensem in primis, Parisiensem & Vitebergensem: & in hac quidem suprema laurea Philosophica ornatus est an. 1563. d. 10. August. Quo anno, mense Novembri reversus in patriam, & Hauniæ M. Johannis Thomæi, Pastoris Ecclesiæ D. Virginis, hospitio usus, cœpit privatim hic docere; sed an. 1565. circa tempus Quadragesimæ, ad Professionem Pædagogicam receptus est, Copias Verborum publicè doceturus, constituto in primum annum stipendio 60. thalerorum. Sed cum Ripensi Scholæ, ejusq; Episcopo, M. Paulo Matthiæ suam operam addixisset, (quamvis interea ad Rectoratum Scholæ Hauniensis ab Episcopo D. Johanne Albertio invitatus esset,) Ripas abiit, illiq; Scholæ, feria quinta Paschatos ejusdem anni, solenniter præfectus est. Eodem anno, d. 4 Julii, ab Abbate Sorensi M. Martino Petro ad docendam ibi Theologiam invitatus, svasu amicorum id munus recusavit. Sequenti anno. 1566. d. 13. Octob. uxorem duxit CATHARINAM Baggæi Jani Senatoris Ripensis filiam, cum qua annos 40. vixit pio

ac concordī conjugio : suscepitq; interea ex ea liberos
 XI. utriusq; sexus : Filios, Matthiam, Medicinæ Do-
 ctorem, Archiatrum CHRISTIANI IV. & Prælatum
 Arhusientem : Olaum, Medicinæ Doctorem : Janum
 Ecclesiæ Skoulengensis in Lollandia Pastorem : Baggæ-
 um Ecclesiæ Skerningensis in Lollandia Pastorem : Pe-
 trum, Civem Othinensem : Filias, honestissimis conju-
 gis elocatas, Helenam, Johanni Laurentii, Medicinæ
 Doctori & Canonico Ripensi : Mariam, Æschylo Chri-
 stiani, Medicinæ Doctori, Practico Fyonensi & Vica-
 rio Roëskildensi : Medeam, primum, Laurentio Johan-
 nis f. Mule, Canonico Asloënsi & Vicario Lundensi, qui
 annos XI. in Cancellaria Regia servierat : & deinde M.
 Petro Christiani, Pastori Ecclesiæ Vedelensis. An. 1567.
 d. 6. Mart. Ecclesiæ Cathedralis Ripensis Pastor consti-
 tutus est. An. 1588. à Præpositis & Pastoribus Ecclesia-
 rum Fyonensium Episcopus electus, & confirmante Se-
 renissimo Rege electionem, muneris d. 25. Febr. Othi-
 niæ inauguratus, illud annos XIX. singulari pietate ac
 sollicitudine administravit, quod ex commentariis, in
 quos omnia sui Episcopatus acta diligentissimè retulit,
 manifestum est : Bonus Pater, bonus maritus, bonus
 Episcopus. Obiit an. 1605. d. 24. Septemb. ætat. 68.
 mens. 4. Sepultus Othinæ in Æde D. Canuti, ad Au-
 strale Chorilatus, sicut ipse Testamento, die 16. Jun. an.
 1602. scripto jusserat : funus deducentibus, præter ma-
 gnam Ecclesiastici ac Civilis Ordinis numerum, etiam
 ex Nobilitate circiter LX. cui Ordini per omnem vitam
 gratus valdè acceptusq; fuerat. Uxor obiit an. 1614.
 ætat. 66.

CHRISTIANUS MACHABÆUS

Doctoris Johannis Machabæi & Agnetæ Machisonæ fi-

lius, Vitebergæ natus, an. 1541. d. 3. Decemb. in album Universitatis inscriptus an. 1554. Rectore D. Palladio. Baccalaureus Philosophiæ creatus an. 1559. à Decano M. Paulo Matthiæ. Magister Artium, Professor Pædagogicus fuit. Inde Præses Regiæ Scholæ Sorensis tum recens fundatæ an. 1586. constitutus est. Qua administratione submotus Calend. Maji. an. 1597 Lundiam Scanorum concessit, ubi Canonicus & Archidiaconus Capitulierat. Obiit ibidem an. 1598. d. 10. Septemb. Sepultus in Templo Cathedrali, ubi hoc monumentum habet:

M. S.

CHRISTIANO MACHABÆO Alpinate, Domino hereditario de Bisþboo, Collegii olim hujus Archidiacono & Canonico, Viro, virtute, doctrina, genere præstantissimo. Parentibus Johanne Machabæo Alpinate, Theologo quondam in Academia Havnensi Professore publico, & Agneta Machisona Scotis, apud suos familia & loco illustribus, oriundo: Qui postquam Suetici belli tempestate longinquas & periculosas peregrinationes auspici. FREDERICI II. Daniæ &c. Regis Sc. M. M. cui eximie semper carus, ad Tyrannum Moschorum IUAN. BASILIUM legatus bis obierat, Regisq; aliquot Præfecturis fuerat ornatus, Declinante D. M. cum ætate, valetudine, honesti otii desiderio, annos non multos vixit privatus, re, ut nomine, vere Christianus, nulli gravis, queis potuit, com-

*commodus. Placidiss. exitu vita ætæ extremum,
non sine acerbo familie amicorumq; luctu cludit. Lun-
diæ IV. Eid. Septemb. Anno Domini 1598. Vixit
annos 56. M. 9. D. 7. Marito & Patri desidera-
tissimo Conjux Filiq; mærentes hoc Monumento pa-
rentarunt.*

*Quam vivens potui tantum sperare, quiete
Mortuus in solida nunc statione fruor.*

*Cura, labor, morbi, mors deniq; & ipsa recessit,
Libera nunc tandem Mens, quod ardebat, habet.
Livor res tuas tibi habe.*

Scripta.

Oratio funebris (erudita ac pia. Pontan. in Chorogr.
Dan. Descript.) de vita & obitu D. Herlusi Trolle
Scholæ Herlovianæ Fundatoris.

JOHANNES BLOK Cimber

In album Universitatis inscriptus an. 1559. Rectore D.
Hemmingio. Baccalaureus eodem anno creatus à Deca-
no M. Paulo Matthiæ. Magister Artium, Professor Pæ-
dagogicus fuit.

JACOBUS SVENONIS

Magister Artium, Professor Pædagogicus fuit, & Aca-
demix Notarius. Et quidem utraq; Lectio Pædagogi-
ca ei assignata est an 1567.

JOHANNES HEMMINGIUS

Natus Hauniæ an. 1550. Patre Nicolao Hemmingio,
tum Dialecticæ, & postea Theologiæ Professore & Do-
ctore.

ctore : In album Universitatis inscriptus , Rectore D. Morfiano an 1537. Dominica Trinitatis, quo die complevit annum suæ ætatis septimum. An 1570. die 12. April ætatis 20. jam Magister Artium admissus est ad publicam Professionem Terentianam. Inde Professor Græcæ Lingvæ fuit an. 1573. Sed cum & Patri, & Academia dedecori esset, successorem accepit an. 1575. M. Jacobum Marthiæ Arh. Vixit postea diu, & post obitum Patris, in egestate, sublevatus interdum ex Academiae fisco.

JOHANNES PRATENSIS

Natus est Arhusiæ Cimbrorum, an. 1543. Patre Philippo Gallo. Inscriptus in album Universitatis, Rectore D. Bordingo an. 1560 Baccalaureus Philosophiæ, à Decano M. Johanne Saceride, an. 1563. & eodem anno, à Vice-Decano M. Nicolao Scavenio, Magister creatus est, una cum Petro Severini, ejus fidelissimus Achates & Italici itineris comes mox fuit. Medicinæ Doctor creatus, ad Artis illius Professionē in hac Academia receptus est an. 1571. cum Professoribus testimonium suæ promotionis ostendisset, & ex recepta Academiae consuetudine juramentum præstitisset. Laborabat catharro satis periculoso annos aliquot, unde ipse aliquoties paulo ante obitum periculum sibi fore præsenferat. An. 1576. die 1. Junii accessit, firmo, ut sibi videbatur corpore, hora post meridiem tertia, consuetum docendi locum, atq; Auditorium ingressus proponere jam quædam Auditoribus cœpit, cum tussis vehementior, quæ alias semper domi forisq. ei erat infesta, subito eum corripere. Admonitus autem fuerat ab amico quodam suo, ut ea hora se domi potius contineret, quod facies solito pallidior valetudinem

dinem promitteret minus firmam. Sed ut erat infractō
 ad omnes eventus, paratōq; etiam ad moriendum ani-
 mo, quodq; nihil haberet prius, quam si suo semper loco
 & tempore, cum res pateretur, in Schola doceret: quan-
 dā ille tunc ad eas operas peragendas declaravit alacri-
 tatem, atq; ita in proposito perstitit. Ac erant initia
 quidem satis læta, sed exitus multo tristissimus. Nam
 cum tussī ea, quæ sub initium fere prælectionis ei mole-
 sta esse cœperat, exspiratione vehementiore expedire
 se conaretur, rupta fortassis vena aliqua, magnam sang-
 uinis copiam excreatione profudit. Quo animadverso,
 ut erat natura pudoris & modestiæ plenus, faciem ab
 Auditoribus avertit: moxq; obvelato toga capite, in
 medio subsellio, ad pedes, majore copia, quam antea
 cruentam exspuitionem rejecit. Ita igitur cum dolore
 urgeretur, opem Auditorum imploravit: juvate, ferte o-
 pem, inqviens. Atq; denuo in maxima copia sanguinem
 evomit. Interea allatum aquam jussu & petitione ejus
 excurret quispiam, cum ille mortem præfagiens, has vo-
 ces ingeminaret: Ego morior, Ego morior. Quin &
 cum adstantium unus omen illud rejiceret, melioraq;
 speranda juberet, ille eum intuens, morior, inquit, tan-
 quam moniturus se jam vitæ hujus fabulam peregisse,
 neq; aliud expectare, quam paratam sibi in cœlo quie-
 tem. Jam aqua afferebatur, quam cum ipse ambabus
 manibus ori admoveret, nec sanguinis tamen fluxus ces-
 saret, sed majore etiam copia efflueret, bis in verba hæc
 erupit: Domine Jesu esto mihi propitius: Domine Jesu
 suscipe Spiritum meum. Mox sublatis manibus, & facie
 cœlum versus conversa, inter Auditorum manus, tribus
 vel quatuor editis singultibus, animam DEO commen-
 davit. Ita Viri Ornatissimi & immortalitate dignissimi,

non vita quidem, quæ nunc fruitur in cœlo, beatorumq; cœtu, multo meliore, sed certe mortalitas finita est, omnibus bonis & piis tristi & luctuoso, Collegis vero gravi relicto sui desiderio. Quis enim non doleret tam Divinum ingenium, tantisq; tamq; variis ornatum dotibus, sapientia & eruditione multiplici, rerum Philosophicarum Medicarumq; scientia admirabili, humanitate, gratia & elegantia incredibili, post tam longinquas in Italia, Gallia, Germania, peregrinationes, tam præpropere, in illo ætatis consistentis flore, ereptum esse? Fuit præclara ac Divina ejus in facienda Medicina utraq; Galenica & Paracelsica, dexteritas, solertia, felicitas & industria, eoq; nomine apud summos quosq; Viros erat imprimis gratiofus. Jam cum amicis, adeoq; cum omnibus vivebat tam benevole, suaviter, jucunde & amice, ut nihil eo ne fingi quidem posset humanius & jucundius. Funus programmate publico a Rectore Academia Civibus Academicis indictum est. Sepultus est in Templo D. Virginis in Sacello S. Rochi. Et quidem lapidi sepulchrali hæc inscripta sunt:

JOHANNIS PHILIPPI PRATENENSIS Medici & Philosophi Clarissimi ossa hic quiescunt. Mens cœlo fruitur. Ad tubæ Angelicæ clamorem tumulus hic depositum bona fide reddet. Moritur anno 1576. die 1. Junii, Hora 3. P. S. A. S. P.

Monumentum verò in pariete fixum hanc exhibet inscriptionem:

Advenæ hic estis, patriam quærite, o fallaces hominum spes. Ne festina Viator, Vitæ & viæ meæ modum accipe. Sic abi. JOHANNES ego Pratenfis, Philippo Patre Gallo,

Gallo, Regibus olim ab officiis caro, Arhusiæ Cimbrorum natus fui: Ingenii dotes & morum, quæ multos mihi peperit amicos, formam commendent, si velint, amici posteritatis: mihi vitæ fontem cognovisse & amasse lucrum fuit. Quinquennium in hac Schola Medica & Philosophica proposui: at verò dum publico fungor docendi munere, non improviso, sed subito, morte occupor. Sic debui, sic decuit. Nexus corporeos celeri solutione linquens, quantum potui languida lingua dixi Christo Deo, spiritum ut susciperet. reliqua corpore pergit, & indissolubili fœdere æternum peraget. Si lacrymis, si mœrore, acerbum flecti potuisset fatum, triste hoc jam caræ memoriæ obsequium incomparabili amico non dedulisset **PETRUS SEVERINUS** Med. Doct. *Vixit annos 32. menses 6. Dies 3. Obiit an. Sal. 1576. Kal. Junii. hora 3.*

Scripta.

Poëma ad D. Petrum Severinum, in calce Ideæ Philosophicæ.

Carmen gratulatorium.

Ecloga Daphnis.

Prognosticon Astrologicum super Revolutiones Planetarum Syzygias ad an. 1566. Hauniæ 1567.

De ortu, progressu, subjectis & partibus Artis Medicæ. Hauniæ 1572.

JACOBUS MATTHIÆ Arhusius

Natus est Arhusiæ Cimbrorum an 1532. In album Univers-

versitatis inscriptus an. 1559. Rectore D. Hemmingio. Post exactum in hac Academia annis compluribus studiorum cursum felicissimum, cum interea an. 1563. à Decano Facultatis Philosophicæ M. Johanne Sasceride, Philosophiæ Baccalaureus creatus esset : deinceps per annum & amplius in Schola Arhusiensi, magna cum laude Rectoratus officium administravit : Cum verò non uno & altero Auctore legendo esset contentus, sed omnibus, in quibus aliquid saltem utilitatis relucebat, cognoscendis, singularem & raram eruditionem sibi comparandam semper judicaret : & hanc eruditionis cupiditatem sitimq; maximam explere cuperet, an. 1566. in Germaniam se contulit, & primùm proprio sumtu vivens, deinde Serenis. Regiæ Majestatis stipendio liberalis. in celeberrimis Germaniæ Academiis, Vitebergæ, Lipsiæ, Heidelbergæ sustentatus, Virisq; Præstantissimis ac doctissimis audiendis, & tum ibi, tum alibi quoq; Eruditissimis quibusq; conferendo, totum septennium & amplius ita se in exteris Germaniæ locis gessit, ut magnam de se multorum opinionem & expectationem commoveret, fore, ut ex tanta studiorum contentione, ad Scholas & Ecclesias maxima aliquando utilitas dimanaret. Quæ ne quempiam spes falleret, non solum Philosophica & Historica, universamq; pene Philologiam variis studiorum vigiliis sectatus est : sed Medica etiam & Juridica, in primis Theologica rimari, & in multa, pro judicio suo gravissimo, inquirere cœpit. Linguarum verò doctarum studio ita fuit deditus, ut nihil in iis ita reconditum & abstrusum putarit, quod non laboribus & meditatione assidua homini sagaci inquirendum & erudiendum judicaret. In hoc studio dum esset sæpe occupatissimus, facilè fiebat, ut multa ab aliis non animad-

mad-

madversa inveniret, quæ deinde meditando indies ad-
 augeret. Cumq; omnes linguas admiraretur, & in ple-
 risq;, quæ aliquid eloquentiæ haberent, multum ope-
 ræ & studii poneret: præcipuè tamen linguam sanctam
 penitus addiscere ei placuit, non solum quod Theolo-
 go futuro ea lingua esset pernecessaria, sed quod cætera-
 rum quoq; linguarum esset fons, ex quo rectè sumi &
 facilè de cæteris iudicium posset. In hac lingua sancta eos
 fecit progressus, ut de Grammatica Hebræa, etiam post
 tot editos Auctores, absolutius & limatius edenda co-
 gitaret, & tempus etiam illius elaborationi impenderet,
 adeoq; ante mortem absolveret. An. 1573. Heidelber-
 ga, ubi tum studiorum gratia vivebat, literis hujus Aca-
 demix revocatus fuit, ad suscipiendum, sive in Ecclesia,
 sive in Academia, functionem aliquam honestam, pro
 Academia iudicio, cui se studiaq; sua universa semper
 subjecerat. Ex Germania reversus an. 1574 iam Magi-
 ster Artium, oblatam Lingvæ Latinæ Professionem, ut
 tenuem & vilem nequaquam repudiavit; sed vel Teren-
 tio & Linacro, similibusq; Latinæ Lingvæ Auctoribus,
 in Academia cœtu frequentissimo, doctè exponendis,
 aliisq; commentationibus eruditis, quæ ad Lingvæ co-
 piam & elegantiam pertinebant, juventuti tradendis, su-
 am industriam, eruditionem & in docendo dexterita-
 tem Academia toti ita probavit, ut non multo post tem-
 pore, cum res mutationem exposceret, ad Græcæ Ling-
 væ Professionem omnium consensu adhiberetur. In qua
 etiam Professione, non solum quæ ad Græcam linguam
 aliqua facilitate addiscendam permultum facerent, quo-
 tidie investigabat, quæ etiam cum Auditoribus commu-
 nicabat; sed plurima quoque, quæ ad Artes Sermonis &
 Rationis maximo cum fructu juventuti tradendas, in-

signem viderentur allatura utilitatem , secum medita-
 batur : quorum quædam limatiora & acuratioꝛa reddi-
 turus , proximis annis ad Theologiam sacrasq; literas
 dexterius explicandas in primis accommodavit. Eodem
 vero anno quo primum ad Professionem accessit, die
 29. Junii, Theologiæ Baccalaureus à D. Hemmingio re-
 nunciatus est. Decanus fuit Facultatis Philosophicæ
 1578. An. 1580. de voluntate Magnifici Domini Can-
 cellarii, & consensu Academiæ totius, demandata est ei
 Professio Theologica in Academia : quam quanta cum
 laude administravit, judicia Auditorum de ipso hone-
 stissima, & scripta, quæ partim affecta, partim elaborata
 post se reliquit optima, testimonium perhibuerunt lu-
 culentum. Interpretatus est Scripturam Sacram piè &
 eruditè, methodo facili, & oratione pura, nervosa, mi-
 nimeq; affectata : semperq; id operam dedit, ut doctri-
 nam utilem Auditoribus proponeret, & quæstiones ori-
 osas vitaret, nec ullam contentionum occasionem cui-
 quam daret. An. 1582. die 31. Maji; Theologiæ Doctör
 à D. Andrea Laurentii creatus est. Rectoratum Acade-
 miæ administrandum suscepit an. 1585. Vita fuit hone-
 stissima, pietati, virtuti, & morum gravitati unicè inten-
 ta : victus & vestitus temperantissimus: conversatio ho-
 noratissima & æquissima. Obiit an. 1586. die 15. Julii.
 Funus Clarissimi Viri, tanta pietate, eruditione, sapi-
 entia, prudentia & gravitate præstantis, indictum est
 programme publico Civibus Academicis à Rectore
 Academiæ D. Andrea Lymvico. Sepultus est in templo
 D. Virginis extra Septentrionale Chori latus. Epita-
 phium hoc ei & Lymvico simul posuit sua soror, hujus
 uxor.

D.O.M.Re-

D. O. M.

Reverendis & Clarissimis Viris, animorum candore, integritate, pietatis studio, doctrina, prudentia, modestia, & multo rerum usu præstantibus, JACOBO MATTHIÆ Arhusiensi, & ANDREÆ LIMVICO Cimbro, viam universæ carnis ingressis. Quorum ille Latinam, Græcam & Hebræam linguas, & S. S. Theologiam publicè in Academia hujus oppidi fideliter & feliciter docuit: Hic medendi artem in hoc regno exercuit, eandemq; in Regio Gymnasio annis ferè XXVI. professus, Uterq; Doctorea laurea ornatus, Sanctissimis moribus præditus, de re literaria & studiis adolescentiæ benè meritus, munus sacrum magna cum nominis & famæ gloria sustinuit. DOROTHEA uxor Viri amantissima, & Soror Fratris carissima Monumentum hoc pro tempore multis cum lacrymis posuit.

Scripta.

Ad Linguam Græcam discendam Adhortatio. Haun. 1577. in 8.

De Literis libri duo. Basileæ apud Conrad. Valdkirk 1586 in 8. Hunc Commentarium Pontanus Chorogr. Dan. Descri. p. 786 doctissimum vocat, quiq; primam nominis claritatem Auctori addiderit.

Theses de Doctrinæ Cœlestis & S. Scripturæ origine & auctoritate. Haun. 1584. in 8.

Grammatica, Rhetorica, Dialectica Sacra, seu de Tropis S. S. vel Introductio ad S. S. Haun. in. 4.

Præ.

Prælectiones in Ioëlem : Ecclesiasten, Haun. in 4.

De Methodo Concionandi, in 4.

De ratione docendi.

Catechismus Danicus. Haun. in 12.

TYCHO BRAHE

Nobilis ac generosus Vir, virtute & eruditione præstans, Tabulas Prutenicas Studiosis in Academia, magno cum Auditorum fructu, publicè proponere incepit, an. 1574. 23. Septemb. Ei Rectoratus oblatus est an. 1577. sed se excusavit. Hæc ex Actis Academ. Cæterum ejus Vitam & Scripta vide apud Gassendum.

ANDREAS LAURENTII

Magister Artium, Canonicus Roëskildensis, & Lector Theologiæ, in album Universitatis inscriptus an. 1572. Rectore D. Hemmingio. An. 1574. die 29. Junii Theologiæ Baccalaureus : & die 23. Decemb. Theologiæ Licentiatus à D. Hemmingio creatus est. Quo ipso anno in hanc Academiam ad Professionem Theologicam vocatus est, & an. 1575. Theologiæ Doctor à D. Hemmingio renunciatus est. Ipse Doctorem Theologiæ M. Jacobum Matthiæ creavit an. 1582. vestemq; honorariam à Rege FREDERICO II. accepit Promotor. Rectoratum gessit an. 1581. Uxorem habuit. E liberis Barbara primùm Johanni Laurentio, Canonico Roëskildensi, deinde D. Johanni Pauli Resenio nupsit. Filii Laurentius & Johannes in album Universitatis inscripti sunt an. 1580.

Scripta.

Theses de Gratuita justificatione hominis coram Deo.
De Vita hominis &c, Hauniæ an. 1582. &c.

The.

**Theses summam doctrinæ coelestis de Novi & Veteris
Testamenti consensione atq; diversitate continentes.**
1582.

Oratio de vita & morte FREDERICI II. Haun. 1588.
in 4.

ANDREAS LYMVICUS

Natus est anno 1538. 18. Octobris Lymvici in Cherso-
neso Cimbrica Septentrionali. Pater ipsius erat Vir Cla-
riss. & Doctiss. Dn. Mag. Janus Andreæ f. Minister Eu-
angelii in illo loco: & Mater Helle Sim. femina hone-
stissima. Pater filium hunc suum unicum ANDREAM,
in veritate Evangelii, quam ipse à Luthero & Philippo
Vitebergæ didicerat, ab ipsa pueritia curabat accuratè
informari: ut cum primum posset institui in Schola Pa-
tria, rationem ipsi redderet quavis Septimana totius
Catecheseos & Evangelii Dominicalis: præter exerci-
tia precationum, quæ ipsi voluit esse frequentissima. Mi-
sit etiam ipsum in Scholam Alburgensem, & deinde
cum natus esset annos 12. in celebriorem Ripensem: ne
quid intermitteret, quod ad institutionem illius ætatis
faceret accuratissimã Cum autè jam esset adultior pau-
lo, & à bonis literis instructior, Patre mortuo an. 1554.
Patriæ Scholæ præficitur: in qua aliquandiu laboravit fi-
deliter. Inde venit in hanc Academiam Regiam anno
1561. in qua talem se probavit Professoribus, & tantum
profecit, tum in Poësi, tum Artibus liberalibus, ut bien-
nio post ornaretur an. 1563. à Decano M. Johanne Sa-
sceride, primis in Philosophia honoribus, quibus à Lau-
rea Baccata nomen est: ac ita magis innotesceret non
hujus Ordinis tantum hominibus: sed Proceribus eti-
am Regni, ac Regi ipsi tandem, magno suo commodo.
Cum enim heic aliquantisper fuisset Pædagogus Puero-
rum

rum Symphoniacorum apud Musicum Regium, Regio stipendio instructus in Germaniam missus est an. 1565. Vixit igitur primum Vitebergæ magna cum laude modestiæ & diligentix: ut ibidem etiam Magister Philosophiæ an. 1568. publicè promotus sit. Excurrebat priore anno cum aliis aliquot ex sua patria, in Italiam, ac pedibus emensus erat iter illud magnum per Alpes & alia loca difficilima, ut Romam etiam videret, impulsus cogitatione eorum, quæ Pater prius se ibidem vidisse sæpius commemoraverat. Postquam hæc ita facta erant, se tradidit penitus studio Medico: in quo versabatur annos complures, in Germania: & tandem an. 1574. in Galliam quoq; profectus est: & cogitarat etiam revisere Italiam, licet propter certa impedimenta id non successerit. Tandem an. 1576. 3. Cal. Sept. rediit in patriam: & receptus est in hanc Academiam statim anno proximo, & labores officii in ea auspicatus est 6. Maji, quo eodem ipsi mortuo funus factum est. An. 1578. nuptias celebravit cum honestissima sua Sponsa DOROTHEA filia Venerandi Viri Petri Nicolai Senatoris Arhusiensis: cum qua placidissimè vixit toto conjugii tempore: sicut in conversatione cum cæteris omnibus semper fuit moderatissimus. Gessit an. 1578. 1579. 1586. 1587. 1597. summum Magistratum in hac Academia: & ita quidem, ut utraq; vice priore, officium ipsi, propter certas causas ad biennium prorogatum sit. Fecit interea omnia, magna cum sedulitate, tum in Prælectionibus, tum curatione infirmorum. Ac præfuit etiam Communitati Regiæ Centum Studiosorum annos 5. ab an. 1590. usq; ad an. 1595. non sine magna molestia: & delectus, qui curaret exstructionem Novi Auditorii, suam omnibus probavit fidelitatem & industriam. Quod autem *citatus* esset

& propter varias infirmitates, mortem non longè abesse præfagiret animus: ita egit cum Hæredibus, ut bona non pauca, in perpetuum sui *μνημόσυνον*, ad gloriam Dei, alio conferre posset. Dedit igitur Academiae totam Bibliothecam suam, insigni copia librorum Theologicorum, Medicorum & Philosophicorum instructissimam. Legavit Templo Academiae 200. Imperiales thaleros, & Pauperibus, tum Scholasticis, tum aliis, summam non exiguam, quam ipsis voluit esse perpetuam. Cumq; jam tandem inter morbos varios se præparasset ad promovendos alios, quos post se relinqueret Reipubl. in Facultate Medica: ipse in Academiam cælestem promotus est. Cum enim aliquot diebus continuis ferme singultibus cum febricula & catharro graviter conflictatus fuisset, exspiravit piè & placidè die 3. Maji, hora 2. p. m. an. 1603. postquam excessisset nonum Climactericum, ut ultimus ille actus, vitæ priori responderit convenientissimè. Funus à Rectore Academiae D. Johanne Pauli Resenio indictum est. Sepultus est in Templo D. Virginis extra Septentrionale chori latus apud Uxoris fratrem D. Jacobum Matthiæ, ubi utriq; commune Epitaphium positum est: quod vide supra in Vita D. Jacobi Matthiæ. Monumentum soli juxta positum est cum hac inscriptione:

ANDREÆ LYMVICI Medicinae Doctoris & Professoris, qui excessit è vita anno Salutis Humanae 1603. die Maji 3. cum vixisset annos 67. Epitaphium.

Pæonia celebris LYMVICUS in Arte Magister

ANDREAS aegris cura salusq; viris:

Qui potuit varios aliorum tollere morbos,

latrica multos qui benè juvit ope:

Non potuit proprium Medicus depellere morbum,
 Proditus insidiis Parca maligna tuis.
 Occidit in viridi vitæ satur ipse senecta,
 Et fractum curis mors violenta tulit.
 Cimbria natales huic patria præbuit ortus,
 Ad maris occiduas subsilientis aquas.
 Hic Christum teneris cognoscere cæpit ab annis,
 Et Latio didicit parvulus ore loqui.
 Ad nostras major factus di venit Athenas,
 Hic ubi stant Clariæ Regia tecta Scholæ.
 Præbuit attentas ubi Præceptoribus aures,
 Quos coluit studio, religione, fide.
 Ingressus Latium, Trojani Antenoris urbem,
 Quæq; natant mediis Mœnia vidit aquis.
 Eelsina visa huic est urbs, visaq; Roma superba,
 Et quicquid tota claret in Italia.
 Doctoris titulum Phæbo Basilea monente
 Contulit, ad Rheni præterfluentis aquas.
 Tractantem audivit multas Schola Publica messes,
 Hippocratis libros, Pergameiq; Senis.
 Defunctum lugent Pietas, Probitasq;, Pudorq;,
 Et quos sæpe sua fovit amicus ope.
 Corporis exsudat tumulo conduntur & ossa,
 Spiritus in Christi vivit agitq; sinu.
 Amico incomparabili & Collegæ, ob animi integritatem,
 morum & singularis doctrinæ elegantiam addicti-

mo **NICOLAUS THEOPHILUS** *amicus & Collega memoriae causa dolens faciebat.*

Effigies ejus in Bibliotheca Academica dedicata est, in memoriam legatae Academiae suae Bibliothecae.

• Scripta.

Carmen de exitio Navis sine pari, Magelós. Haun. 1564.

GEORGIUS CHRISTOPHORI DYBVADIUS

Docuit Vitebergæ Theologiam: Epistolam D. Ignatii, Epistolam ad Philippenses &c. Magister Artium cœpit extraordinariè docere Theologica in hac Academia an. 1575. Ex mandato Regis constitutus est Mathematicum Professor an. 1578. loco Magistri Andreæ Coægii. Decanus fuit Facultatis Philosophicæ an. 1580. quo Magistros quinque: Iterum an. 1585. quo sex Magistros creavit. Ad Professionem Theologicam receptus an. 1590. & die 15. Septemb. Theologiæ Doctor renunciatus est à D. Slangendorffio. Ipse Decanus Facultatis Theologicæ & Senior Doctorem Theologiæ creavit an. 1597. 23. Jun. M. Johannem Pauli Resenium. Rectoratum gessit an. 1596. 1605. Anno 1607. die 11. April. lata à Professoribus sententia, Professorio munere privatus est, ob editas disputatasq; an. 1607. 28. Januar. licet id vetuisset Senatus Academicus an. 1605. 23. Junii, theses de Sanctificando Sabbatho, in quibus in summum Magistratum, aliosq; Regni Ordines invectus esset, & extra officii limites egressus: eratq; illius causæ cognitio & dijudicatio specialibus Reg. Majestat. literis, Academiae Professoribus demandata, acculante nomine Re-

gis Jano Bielkio. Sententiæ addiderant Professores, nisi Rex ei gratiam facere vellet. At ea impetrari non potuit. Uxorem habuit Christinam, ut fama fert, alterã Xantippen. E filiis, Georgio Pater in Disputationibus pro Respondente utebatur, qui post Magister Artium fuit, sed non magni ingenit. Christophorum verò Medicinæ Doctorem & Mathematicum excellentem liberior lingua & calamus perdidit, & in carcerem, sententia prius à Professoribus lata damnatum & ordine motum cum ignominia, accusante nomine Reg. Majestatis Axelio Arenfeld, præcipitavit.

Scripta.

Oratio de Humanitate Domini Jesu Christi habita Vitebergæ ante Prælectionem Epistolæ D. Ignatii. Viteberg. 1572. in 4.

Theses de Ratione investigandi veram Decalogi sententiam, deq̄ ejus partitione. Hauniæ 1602.

Theses de Primo Præcepto Decalogi. Hauniæ 1603.

Theses de Appendice Primi Præcepti, quæ aliis est secundum Præcept. Haun. 1604.

Theses de Tertio Præcepto Decalogi. Haun. 1604.

Theses de Quarto Præcepto Decalogi, quod vulgo Tertium est. Haun. 1606.

Theses quibus exponitur Præceptum de Sanctificando Sabbatho. Haun. 1607.

Theses quibus Magicæ superstitionis vanitas & scelus detegitur. Haun. 1605.

Theses, quibus repetitur summa veræ & incorruptæ doctrinæ, quam nostræ Ecclesiæ profitentur de bonis Operibus. Hauniæ 1597.

Commonefactio de Disciplina, quæ Legibus Academicis

cis præscribitur, earum recitationi præmissa. Haun.
1597. in 8.

Oratio de Dicto Pauli Rom. 12. 1. Sistite &c. præmissa re-
citationi Legum Acad. Haun. d 5. Sept. 1605. in 8.

Speculum Sacerdotii seu Commentarius in 1. Epist. ad
Timoth. Hanov. 1598. in 8.

Commentarius in Psalm. 1. 2. 72. 73. Haun. 1603. in 8.

Enarratio Psalmi 122. Haun. 1602. in 4. & 133. Haun.
1596. in 12.

LAURENTIUS ALBURGENSIS

Magister Artium, Professor Pædagogicus fuit. Obiit an.
1577.

NICOLAUS LAURENTII

Ripensis

Magister Artium, Professor fuit Pædagogicus. Obiit
an. 1579.

PETRUS HAGGÆUS

Natus est in hac urbe Haunia, an. 1546. ex optimis Pa-
rentibus, Patre Haggæo Canuto, Cive & Negotiatore
Hauniensi, Matre Dorothea Johannis f. honestissima
matrona: quicum pietatis honestatisq; amantes essent,
hunc suum filium non tantum à primis cunabulis, Chri-
stianæ Religionis prima Elementa domi docuerunt, & ad
pietatem honestatemq; assuefecerunt, sed & eundem,
cum in ipso alacritas ingenii major conspiceretur, & ea
indoles, quæ addiscendis literis apta solet esse: cumq;
jam attigisset eam ætatem, quæ pueritiæ media est, Mu-
sis consecratum, Magistris tradiderunt, qui ipsum lite-
ris instituerent & iis artibus, quibus ætas ista prima in-
strui & informari solet. Atq; res benè successit: nam cum

natu.

naturali teneretur cupiditate omnium doctrinarum, quibus Ecclesia Dei & Resp. Christiana carere non possunt: & cum celeriter disceret quibus intentus esset, & quæ didicisset, memoria teneret, cumq; ætate tandem auferetur, & iudicio magis magisque maturelceret: cum deniq; modestiam eam præ se ferret, quæ ætas ista commendatur plurimum, brevi multis bonis viris, & in his etiam Reverendo & Clarissimo viro Dn. Doctore Nicolao Hemmingio innotuit & carus factus est. Hic cum in ipso animadvertisset vigorem ingenii, diligentiam in studiis, & in moribus modestiam, confestim eum amare cœpit, & dignum iudicare, quem eadem benevolentia, quæ jam ante plurimos promoverat, complecteretur. Tandem cum Amplis. & Nobilis. Dns. Petrus Oxæ de Gisselfeld, Magister Aulæ, liberalitate & munificentia sua, deputasset stipendium dandum aliquot bonæ spei Adolescentibus, ut eo in exteris regionibus & Scholis viverent, facile prædictus Nic. Hemmingius ab ipso impetravit & obtinuit, ut stipendium quoq; suo PÉTRO HAGGÆO daretur. Ita adit exteras Scholas, & tantum profecit, ut tandem in Academia Viteberg. laurea Magistrali ornatus, Magister Artium & Philosophiæ domum redierit. Redeunte prædictus Nic. Hemmingio benignè excepit & Professioni extraordinariæ præfecit, cui cum aliquandiu, cum magna laude & discipulorum utilitate præfuisse, consentientibus Amplissimi Academiae Senatus suffragiis, Professor Ordinarius factus, primum Linguam Latinam, dehinc Græcam an. 1582. tum Dialecticam, facta permutatione cum D Nicolao Hammero an. 1584. & Initia doctrinæ Christianæ, multos annos ita docuit, ut Antecessorum suorum doctissimis diligentissimisque par fuerit, reliquos autem longè superarit. Antequam
autem

autem Græcam Professionem attigit, tale ediderat specimen ingenii pietatisq; suæ, ut prædictus Amplissimus Academiae Senatus, ipsi per prædictum Reverend & Clarissimum Virum Doct. Nic. Hemmingium, an. 1574. d. 29. Jun. gradum & honores in Theologia primos, a baccis Lauri cognominatos, publico & solenni actu contulerit, & si diutius supervixisset, Deoq; sic visum fuisset, summos insuper istos in eadem Facultate collaturus fuisset. Decanus Facultatis Philosophicæ fuit an. 1581. quo Baccalaureos XVII creavit. Iterum an. 1591. quo in morbum incidit, qui nisi morte finire non potuit. Is autem erat capitis occultus quidam abscessus, contra quem hoc incommodi accessit, ut serius deprehenderetur, cum scilicet symptomata omnia jam gravius urgerent, viresq; prorsus prostratæ essent. Hic, inquam, morbus prædicto Reverendo & Clarissimo Viro M. P E T R O H A G G Æ O vitæ finem attulit, annos jam nato plus minus 45. anno Christi 1591. die 16. Septemb. Funus Civibus Academicis a Rectore Academiae D. Andrea Christiani programme publico indictum est. Sepultus est in Templo D. Virginis.

Scripta.

Themata Grammatica, Rhetorica, Logica &c. Haun. 1581.

Theses Dialecticæ. 1585. De causa discrepantiæ & fundamento conformitatis inter Dialecticos, deq; Dialecticæ definitione & divisione. Haun. 1589.

Disputatio de Sermone, ornamento Hominis nobilissimo & præstantissimarum Actionum administro. Haun. 1582.

T

CHRISTIANI

CHRISTIANUS MICHAELIUS

Natus est Coägii, an. 1549. Senatore Patre Michaële Matthia, viro optimo & prudentissimo, Matre Dorothea Magni f. femina lectissima: ac primis illis annis utebatur domestica familiaritate cum Patre suo, viro Clarissimo, D. Doctore Paulo Matthia, & aliis viris præstantibus: quorum consuetudine & exemplo in literis & moribus profecit quamplurimum. Vixit deinde in Academicis Germaniæ VII. annos: quo tempore intercessit ipsi notitia cum viris summis, tum alibi, tum vel in primis in celeberrima Academia Vitebergensi, ubi etiam Magistri titulo ornatus est: ut dignus propterea habitus fuerit, qui adscisceretur Collega in hanc Scholam Regiam anno ætatis XXIX. Cum enim de Professore, qui succederet in locum M. Nicolai Laurentii Ripensis an. 1579. ageretur, & Rector nominaret M. CHRISTIANUM MICHAELIUM Coagianum, quod is esset doctus, & aleretur Regio stipendio, & esset placidis moribus, Professores consenserunt libenter omnes. Ergo literæ scriptæ sunt Rostochium ad M. CHRISTIANUM, ut rediret domum ad lectionem Terentianam, & similium Lingvæ Latinæ Auctorum. Postquam autem in Academia docuisset annos XIV. Lingvam primo Latinam, ac deinde Græcam, summa cum laude sua, & juventutis Scholasticæ emolumento quam maximo, lue contagiosa pestilentiali correptus an. 1592. nocte, quæ antecessit diem XXI Septemb. cum precibus ardentissimis, animo æquissimo in Scholam cœlestem concessit. Uxorem habuit MARGARITAM JOHANNEAM, M. Johannis Thomæi Pastoris Ecclesiæ D. Virginis Hauniensis, filiam, & ex illa filium, Michaëlem, qui post
Medi.

Medicinæ Doctor fuit. Funus Civibus Academicis a Rectore Academiæ M. Johanne Saceride publico programme indictum est. Sepultus est in Templo D. Virginis, extra australe Chori latus, & in lapide Sepulcrali hoc ei Epitaphium scriptum :

M. CHRISTIANO MICHAELIS F. Roagiensi, viro optimo & doctissimo. qui cum aliquos annos in hac Academia Linguam Latinam, tandem Græcam docuisset, obiit an. 1592. die 21. Septemb. ætatis suæ 43. Marito suo dulcissimo MARGARETA JOHANNIS F. posuit.

NICOLAUS THEOPHILUS

Natus est in oppido Ducatus Slesvicensis Flensburgo, an. J. Chr. 1541. honestis & piis Parentibus, Patre Dn. Nicolao Johannis f. Ministro Verbi Dei ad D. Virginem, & Ecclesiarum etiam vicinarum Præposito: Matre Anna Laurentii f. qui hunc filiolum in Schola patriæ primum, sicut & domi suæ in pietate & literis curarunt educari diligenter. Cumq; jam attigisset annum ætatis XIV. missus est ad celebriorem Scholam Lubecensem: in qua triennium, vel plus eo, esse commoratus: donec cum Rectore, qui Vitebergam erat vocatus, inde exiret, & paulo post proficisceretur Rostochium, commendatus Clarissimis Viris, D. Arnolfo Burenno, & D. Davidi Chytræo: apud quos vixit totum quinquennium, & profecit plurimum, tum in Philosophia, tum Medicina. Amisit eo tempore Patrem, qui 34. annos Flensburgen- ses docuerat veram doctrinam Evangelicam: & propterea animum adjunxit potius ad studium Juris Civilis: in quo ibi Præceptoris invenerat eximios. Inde Jenam

profectus est an. ætatis 23. & post Ingolstadtium, ubi Jura etiam docuit aliquandiu cum laude & admiratione. Quod autem à puero se exercuisset in Poësi, atq; eo etiam propenderet ingenium feliciter, impellebatur ab amicis, ut Lauream Poëticam acciperet à **MAXIMILIANO II.** in arce Regia Posonio, an. 1567. Et testantur etiamnum ipsius Epigrammata, quæ edita sunt, & alia quæ post se reliquit carmina, quæni felix fuerit in illo genere. Vocatus erat in Sveciam à **MAGNO GUSTAVI** Regis filio; sed cum videret omnia spectare ad motus graves, secessit in Poloniam: inde in Italiam & Galliam, donec Rostochium redierit: ubi promotus est Doctor Utriusq; Juris per honorificè, anno 1569. 26. Septemb. Vocatus est paulo post ab Illustrissimo Principe **VILHELMO** Landtgravio Hassiæ, qui illum per benigne habuit, ut vixerit in Aula ejus, primum Notarius, & deinde Secretarius, donec ipsum tandem propter industriam & dexteritatem in Ordinem Consiliariorum Princeps cooptaverit honorificentissime. Duxit ibidem relictam Cunradi Neid, stabuli Illustriss. Principis **PHILIPPI** Hassiæ Landtgravii Subpræfecti, Viduam honestissimam, **ANNAM ZAAN** an. 1571. cum qua post exegit annos 28. sine liberis placidissime. Utebatur Landtgravius ipsius opera frequenter in Illustribus Legationibus, tum ad Electores & alios Principes, tum imprimis ad Serenissimos Reges Daniæ, **FREDERICUM II.** & Poloniæ **STEPHANUM BATTORIUM**, de rebus gravissimis. Verum hoc commode accidit, ut cum ita adiret ad Comitiam Othoniensem an. 1581. de voluntate Serenissimi Regis **FREDERICI II.** ipsum vocarit Generosissimus **D. NICOLAUS KAAS**, tunc Cancellarius Regiæ Majestatis prudentis-

tissimus, & Academiae Conservator Supremus, qui consultiss. D. Knoppero succederet, & Jura publice doceret in hac Regia Universitate. Impetravit igitur dimissionem, sed difficulter, a Principe suo Landtgravio: atq; ita cum uxore & familia inde huc profectus est. Vixit igitur in hac Academia, ut Collega doctissimus & optatissimus annis 23. Officium fecit, quam potuit, fidelissime: An. 1603. 30. Junii, Doctorem Juris creavit Jonam Charisium Medicinae Doctorem. Ter gessit summum Magistratum Scholasticum, an. 1582. 1583. continuatum: an. 1594. & 1603. Atq; interea interfuit magnis Legationibus ad Imperatorem, Electores, in Angliam item & Scotiam, cum summa sua laude, & Regiae Majestatis gratia singulari. Conflictabatur interea saepe calculo & morbo articulari, una cum aliis ex capite destillationibus gravioribus: ex quibus etiam non sine aliqua ta-be tandem suffocatus est, ut die 2. Novemb. an. 1604. placide exspiravit, in vera Filii DEI invocatione, anno Climacterico 63. Cumq; paulo ante mortem admone-retur, ut patienter ferret exiguas, quae adhuc restarent, extremi agonis molestias, respondit infracto animo: Veniens veniet, & non tardabit. Funus Civibus Academi-cis programmate publico à Rectore Academiae D. Jo-hanne Paulo Resenio indictum est.

Scripta.

Disputatio de Testibus Forensibus. Haun. 1591. De Homicidio. De Homicidio legitimo. Haun. 1599. De Tutela. Haun. 1603. praemissa Doctorali pro-motioni Jonæ Charisii. De diversis Regulis Juris an-tiqvi. Haun. 1584. in 8.

De Privilegiis Studiosorum. Haun. 1603.

Epigrammata.

T. 3

DESI.

DESIDERIUS JOHANNES FOSSIUS.

In album Universitatis inscriptus an. 1561. Rectore M. Paulo Matthiæ. Magister Artium, Rector Scholæ Roëskildensis, oblatam sibi aliquoties Professionem Pædagogicam in Academia recusavit; tandem tamen suscepit an. 1580. An. 1582. Pastor Ecclesiæ D. Virginis, successor M. Erasmi Catholmii, constitutus est. Uxorem habuit DOROTHEAM Jacobi Hasebardi Chirurghi Regii filiam, quam amisit, an. 1590. 3. Novemb. defunctam. Cum autem postea memoria & judicio labi cœpisset, adeo ut sine fructu doceret, Cancellarius Regius CHRISTIANUS FRIS de Borreby, præfente Magistro Palatii, in mandatis dedit Episcopo D. Vinstrupio an. 1598. ut Academia pro suo jure cogitaret mature de aliquo in locum illius sufficiendo. Itaq; cum munere Pastoralis se abdicasset, accepto Successore M. Christiano Jani f. paulo post Hauniæ mortuus est. Sepultus in Templo D. Virginis extra Australe Chori læus, apud defunctam uxorem, cujus sepulcro vivus lapidem imposuerat, cum hac inscriptione.

Honestæ, sanctæ, prudenti, & in re œconomica industriæ femina DOROTHEÆ HASEBARD, honestiss. Parentibus, Jacobo Hasebard, Regis CHRISTIANI III. Chirurgo peritiss. & Abigæle Bonifacii f. natæ, piæ liberorum 8. Matri, Uxori multo cariss. Maritus mœsissimus P. ES. JOHANNES FOSSIUS, hujus Ecclesiæ Pastor, monumentum hoc posuit. Vivere morrens cœpit 3. Novemb. Anno Christi 1590. ætatis vero suæ 34. Spes est recu-

recuperanda olim dulcissima DOROTHEÆ, n. m.

Δῶρα Θεὸς præbens, repetit si præbita δῶρα,

Haut repetita aufert, sed repetita refert.

JOHANNES ERASMI SKOMAGERUS

Magister Artium, Professor Pædagogicus factus est an. 1582. & Mathematicus an. 1602. post Th. Finkium. Mox Physicus an. 1603. post Jonam Venusinum. Inspector primus fuit Stipendiariorum Frisianorum an. 1586. Decanus Facultatis Philosophicæ an. 1604. Magistros VII. creavit. Iterum an. 1608. Magistros V. & Baccalau- reos XXXIII. renunciavit. Rectoratum gessit an. 1610. Obiit an. 1614. die 19. Julii.

Scripta.

Commentarius in Ciceronis Orat. pro Archia. edit. Hauniæ an. 1590. apud Laurent. Benedictum: qui li- tem Auctori intendit damni ex impressione libri ac- cepti, quod edicto postea cautum fuerit, ne liber di- vulgaretur.

Theses de Graduce animæ. 1608.

Theses de Divinationibus. 1604.

Brevis Introductio ad discendam Linguam Latinam.

Haun. 1608. in 4.

Disquisitio Physica de Calore. 1615. De Pulmone. 1611.

De Materia & Qualitatibus Cœli. 1612. De Corde.

1510. in 4.

AN-

ANDREAS CHRISTIANI Ripensis

Natus est Ripis Cimbrorum, Patre Christiano Severino, Matre Catharina Andreae f. Consumtis in Schola Patria magno cum fructu annis 16. studia sua ad Academiam Hauniensem transtulit. in qua annos 8. transegit, Clarissimis ibidem Viris D. Knoppero, D. Hemmingio, D. Pratenfi, D. Johanni Francisco, aliisque; notus & dilectus. Interea Philosophiae Baccalaureum meruit, & Communitatis Regiae Praepositus constitutus. Exinde Regio stipendio impetrato exteras regiones invisit. Vitebergae primum per biennium substitit, & titulo Magisterii exornatus fuit. Studii vero Medici gratia Jenam adiit, opera D. Schröteri per biennium usus. Iterum illum Viteberga revocavit propter Anatomica exercitia, quae ibidem per biennium quoque; fervide urfit, aliosque; publice docuit magna nominis celebritate. Italiam deinde petiturus, Francofurti ad Moenum pleuresi detentus, opera D. Mouseti Angli convaluit. Post moram in Patavino Gymnasio celeberrimo, Basileae Doctoris Medici titulum obtinuit. Editis ibidem variis in re Medica opusculis, post decennale iter in patriam revocatur Professorum literis, jussu & voluntate Cancellarii Regii D. NICOLAI KAAS destinatus Successor D. Johannis Francisci in Cathedra Medica Hauniensi: quam deinde magna cum laude ornavit annos 17. Nec praetereundum hic est, quod Sereniss. Rex Scotiae JACOBUS VI Collegium Hauniense ingressus ipsum docentem audiverit an. 1590. Interea uxorem duxit ABIGAELEM JOHANNIS SVANINGIAM, & Communitatis Oeconomiam ab an. 1595. usque; ad an.

1602.

1602. magna prudentia administravit. Magistratum Academicum continuatum an. 1590. 1591. gessit: iterum an. 1600. An. 1602. Calend. Maji, ad Præfecturam Sorensensem, Sereniss. Regia Majestate jubente, admotus est. Soræ vixit magno Scholæ commodo per quatuor annos cum dimidio, & dies 27. donec dolore lateris placidè exspiraret 27. Novemb. 1606. ætatis 55. Vir experientia inclytus, doctrina celebris, morum facilitate omnibus gratus, prudentia civili spectatus, & in Artis Medicæ usu felix: quodq; illo ævo rarum, Anatomicis exercitiis deditissimus, quæ cum aliquando in hac Academia, in corporis virilis dissectione, in usum juventutis & Academiæ splendorem repetere vellet, eo fere rem perduxisset, nisi manum retraxisset, ut à conviviis honestiorum huic minus assuetorum, abstinere oportuerit: adeò nauseabant tum nostrorum hominum mores ab utilissima hac Medicinæ parte. Sepultus est in Templo Sorensi: ubi hoc ei Monumentum positum est.

Mors mihi vita fuit.

P. Memoria ergo, beato in Domino D. Doctori **ANDREÆ CHRISTIANÆ**. Ripensi, Philosopho quondam & Medico Hauniæ excellenti, ac demum Præfecturæ Sorensis per quinquennium Administratori integerrimo, Marito suo longè desideratissimo **ABIGÆL SVANINGLÆ** Monumentum hoc M. P. Obiit Pleuresi 26. Novemb. Anno Domini 1606. ætatis 55. Conjugii 21. N. Quinquennii administratio hic ei tribuitur, quod Viduæ usq; ad Calend. Maji an. 1607. ea prorogata fuerit.

V

scri-

Scripta.

Enchiridion Medicum de cognoscendis curandisq;
tam externis, quàm internis humani corporis morbis,
ex Victoris Trincavellii Prælectionibus concinna-
tum. Basileæ 1607. in 8.

Disputationes duæ. 1. De Somno & Vigilia. 2. De Co-
mate seu Cataphora, cum adjuncta quæstione, sit ne
Pestis morbus Contagiosus. Basil. 1583. in 8.

Theses de Medicina. 1588. De Sanitate. 1590.

ANDREAS KRAGIUS

Natus est Ripis Cimbrorum Anno Domini 1558. Patre
Viro bono, Petro Kragio, Matre verò Catharina Cli-
nia, utrisq; ejusdem oppidi Civibus honestissimis: à
quibus puer literis humanioribus destinatus, & doctis in
Schola Patria Viris in disciplinam traditus est, donec
optimi quicq; ejus ingenio, quod vividum erat, & ad li-
terarum studia in primis proclive, delectati lubenter
fecerunt, ut amisso Patre ejus studia benignitate sua ad-
frugem bonam proveherent. Atq; ita primo altus &
educatus est apud Casparum Mullenium, Ripensis Ca-
pituli tum Præpositum dignissimum. Postea etiam apud
Paulum Matthiæ, ejusdem Diœceseos Superintenden-
tem vigilantissimum, qui orphanum & è paternis bonis
ferè ejectum, in suam familiam recepit, & quasi pro fi-
lio adoptavit, cujus etiam familiæ affinitatis quædam ne-
cessitudine conjunctus erat. Unde & factum est, quod
cum isto ad munus Episcopi, simul & Professoris inde à
Ser. Maj. Regia huc vocato, tandem ad hanc Scholam
& Academiam accesserit. Ubi quoq; continuo ejusdem
Dn. Epi-

Dn. Episcopi domesticus vixit, donec ad instituendam juventutem in Schola hujus Urbis triviali, eodem procurante, adhibitus sit. Quo labore & molestia functus feliciter per biennium & eo amplius, postea ad Academiam Vitebergensem se contulit, ibiq; Præceptoribus ita ingenium & in bonis literis profectum probavit, ut Veneranda illic Facultas Philosophica ipsi una cum aliis quoq; honestis ac doctis Viris Magisterii gradum libenter tribuerit. Sicq; in Patriam denuo commeans, cum Nobilibus Discipulis quibusdam, qui, procurante Episcopo, ipsius fidei commissi erant, hinc ad studia rediit, ac doctissimos quosq; viros audire docentes instituit: postquam idem Episcopus ipsi per Regios Consiliarios, honestos in studiis sumtus à Majestate Regia confecerat. Philosophicis & Medicis studiis se totum insinuavit & dedidit. Atq; ita plerisq;, quos tum habuit Academia Vitebergensis, Tubingensis, Argentinenfis, Basileensis, Genevensis & Monspeffulana doctos viros, innotuit, apud cunctos insignis eruditionis laudem reportans. Ac potissimum in Academia Monspeffulana honos ejus eruditioni habitus, ubi Philosophiæ & Medicinæ Doctores publicè ac solenniter, summo omnium assensu, declaratus est an. 1585. Calend. Augusti. Tandem absoluto feliciter studiorum curriculo, consentientibus Professorum suffragiis, auctoritate magni illius & laudatissimi Domini, Dn. NICOLAI KAASII Cancellarii, cujus patrocinio Academia fulciebatur, ad docendum in hac Academia vocatus est, an. 1585. Professionem ita Pædagogicam adiit an. 1587. Mathematicam vero an. 1589. & demum Physicam an. 1590. In omnibus in annum tertium decimum, legendo, disputando, Studiosis publicè privatimq; consulendo, aliaq; boni Doctores munera

obeundo, fidem & industriam præstitit. Interea Decanus Facultatis Philosophicæ fuit an. 1592. quo 5. Magistros creavit. Iterum an. 1598. Rectoratum an. 1595. Ædilitatem & curam Templi D. Virginis annos 5. ab an. 1595. ad an. 1600. magna cum laude gessit. Aulicum jugum, quibus poterat, modis & mediis, fugit & evita- vit, quamvis sæpius in Aulam invitus vocaretur, & Amici in aula præter stipendium Professorium 300. thalero- rum, ipsi à Rege FREDERICO II. 120. thaleros im- petraffent. Magnam autem temporis partem suis stu- diis tribuebat: unam tamen partem Chymicis præpa- rationibus Medicamentorum Septentrionalibus homi- nibus inservientium, dabat. Uxorem habuit HELE- NAM MARTINI F. quæ viro binos liberos, sed mor- te ante Patrem præreptos, peperit, & viro superstes, postea M. Johanni Alano Professori nupsit. Cæterum cœperat ab aliquo tempore obnoxius admodum esse de- stillationibus periculosis, quæ ubi per initia anni 1600. gravius in pectus incubuere, usq; adeo corpus ejus invaletudine afflictum reddidere, ut hæc fontica causa ipsum amplius superesse negotiis officii non sive- rit. Interim tamen, dum tamdiu cum morbo gravissimo conflictaretur, jam decumbens, jam sese in pedes eri- gens, indulgente misericordia Divina, pro sua benigni- tate, resipiscendi gratiam, præstitit summam, per adver- sitatem, patientiam, meditatus serio, quæ ad benè mo- riendum homini Christiano sunt necessaria. Atq; ita die 8. Junii an. 1600. implevit fato novissimum hujus lu- cis momentum, postquam producta ei fuisset istius vitæ fabula in annum ætatis 47. non sine labore & dolore, læ- ta tamen catastrophe. Funus publico programme ab Academia Rectore D. Andrea Christiani indictum est. Sepultus est in Templo D. Virginis. Scri:

Scripta.

Rameæ Scholæ, & Defensio P. Rami, contra G. Liebleri calumnias, in Epitomen octo librorum Acroaticôn asperfas. Basil. apud Henric Petr. 1582. in 8.

Laurea Apollinea Mospeliensis, Quæstionibus difficilimis 13. Problematibus, Paradoxis variis 66. Consultatione & Curatione morborum 2. Orationibus 4. Prælectionibus 2. contexta & conferta. Basil. apud Henric. Petr. 1586. in 4.

Aristotelica & Ramea, de insidiosis Sophistarum simulationibus, Institutiones breves. quibus additur Disceptatio, in qua utramq; institutionem ad Catholicas materia & forma artium leges referri posse, demonstratur. Basil. apud Henric. Petr. 1584. in. 4.

Analysis Epistolæ Horatii ad Pison.

De Elenchis Sophisticis Aristotelis.

Epistola ad D. Sigismundum Schnitzerum, de Chymicis, quibusdam remediis. edita à D. Th. Bartholino in Cista Med. p. 109. seqq.

Theses de Artium principiis & legitima conformatione. 1593. Haun.

Theses Physicæ de Angelis & Anima humana. Haun. 1598.

JOHANNES OLAI SLANGENDORFIUS

Theologiæ Doctor, potestatem sibi publice docendi à Professoribus dari petiit an. 1584. Permissumq; id illi consensu Cancellarii. Mortuo verò D. Jacobo Matthiæ in Professione Theologica successit an. 1589. Doctorem

Theologiæ creavit M. Georgium Dybvadium Theologiæ Professore an. 1590. 15. Septemb. & M. Petrum Vinstrupium Sædlandiæ Episcopum an. 1591. 9. Sept. Docentem in Collegio Academico audivit JACOBUS VI. Rex Scotiæ, an. 1590. 7. Mart. & offerentem Commentarium in Ecclesiasten XXX. thaleris donavit. Filium habuit Olaum, qui post peregrinationem in exteris obiit. Obiit an. 1596. 27. Decemb.

Scripta.

- Commentarius in Ecclesiasten. Hauniæ 1590. in 8.
- Analytica Expositio V. priorum cap. Epistol. ad Roman. Haun. 1585.
- Falsæ perfectionis destructio & veræ Dei in verbo mandatæ exstructio. Hauniæ 1594.
- Oratio de Vita & morte Nicolai Kaas. Haun. 1594. in 8.
- De initiis Doctrinæ, Religionis propagatione & incrementis Daniæ, cum Epicedio Petri Hegelundi Ripensis. Haun. 1591. in 8.
- Commentarius in secundum Tractatum primi libri Analyt. Aristotelis. Haun. 1585. in 8.
- Oratio funebris in obitum Regis FREDERICI II. Haun. 1588. in 8.

IVARUS STUBÆUS

Magister Artium, Rector Scholæ Hauniensis, graves inimicitias cum M. Desiderio Fosio Pastore Ecclesiæ D. Virginis suscepit, adeo ut ab illo a S. Cœnæ Communionem arceretur: eam ob causam acerbo scripto in Consistorio proposito Fosium impetit. Quæ res ad turbandam Reipubl. Professoribus visa est spectare: ideoq;

ideoq; ea communicata cum Regio Quæstore Valkendorffio, eam in herba supprimendam judicarunt, facta inter illos reconciliatione, maximè in honorem læti Fossii. Vocatus est Professionem Pædagogicam an. 1589. & Hebræam an. 1549. Decanus Facultatis Philosophicæ fuit an. 1595. quo XXII. Baccalaureos creavit. Iterum an. 1601. Item an. 1607. quo Magistros IV. renunciavit. Rectoratum gessit an. 1604. An. 1605. Regno excessit, damnatus sententia Cancellarii Regni, quod debitum non solvisset: Stipendium tamen Professorium, indulgentia Regia, integrum ei servatum est, quod nullius inhonesti criminis damnatus esset, pollicentibus Collegis M. Aslaco & M. Christiano Johannis f. ejus se vices in docendo interea suppleturos. Redit ad Professionem an. 1607. Sed an. 1609. die 5. Aug. ea excidit, accusatus à D. Johanne Pauli Resenio, & Professorum sententia damnatus, I. quod Fundationis & officii limites transgrediens Theses Theologicas iis, quibus debebat, censendas non exhibuisset, & admonitus nihil de sententia mutare voluisset: II. quod Versionem Biblicam à Regia Majestate in Academia comprobata, ita corrigere, & contra diploma Regium, suam duorum capitum Jobi versionem prælo committere non dubitasset: III. quoniam ejus confessio de Calvinii dogmatibus facere videbatur ad perturbationem pacis & tranquillitatis Danicarum Ecclesiarum. In sententia additum fuit, Salva tamen illi Sereniss. Regiæ Majestatis gratia & Clementia. Successorem sic accepit 11. Aug. M. Hermannum Nicolai f. Obiit vero sequenti anno 1610.

Scri-

Scripta.

Disputationes 7. de Doctrina Christiana, ejusq; libris, eorumq; legitima interpretatione. Hauniæ.

Disputationes ex libro Jobi. Hauniæ, 1605. &c.

Disputatio de dicto Pauli Coloss. 2. 8. Hauniæ 1608.

Disputatio de Orthographia Orationis eruditæ & Latine. Haun. 1592.

Theses Dialecticæ & Rhetoricæ. Haun. 1604.

THOMAS FINKIUS

Ortus est in Cimbria Meridionali seu Ducatu Slesvicensi, in oppido Flensburg, anno 1561. die Januarii 6. Patre Jacobo Finkio, Avo Jacobo, Senatorii ordinis, Matre Anna Thor-Smeden, Thomæ Thor-Smeden, Senatoris itidem Flensburgensis filia. Hisce ille parentibus feliciter natus, à Sacris, quibus initiatus est, vitam auspiciatur, adscribiturq; Christianorum contubernio. Quamquam verò Matrem aliquot à partu diebus amiserat, in patris tamen sinu indulgentiaq; educatus est, ne quid sibi permitteret contra bonum morem magna pietas. Audiverat quidem is in Academia Vitebergensi Philippum Melanchthonem, ut vel ejus eruditio sola sufficeret institutioni filii, maluit tamen prudentiæ Patru Thomæ Finkii civitatis Flensburgensis Consulis, ut & Avunculi Reinholdi Thor-Smeden ejusdem urbis Senatoris, optimam indolem tradere. In ædibus itaq; Avunculi aliquot annos non sine fructu fuit: Nam quantum in moribus, conversatione quotidiana, quantumq; in studiis M. Sebastiano Schrodero, M. Thoma Scatterbergio, diligentibus ac moderatis Doctoribus, aliisq; præsterit, ex eo liquet, quod annos natus 16. sedem ac
magi-

magistram studiorum Argentinam elegerit, locum comitate ac parcimonia mistum ac bene compositum. Ita quinquennium Academiae Argentinensi impendit, Virisq; Clarissimis & Doctissimis, Johanne Sturmio, Melchiore Junio, Michaële Beutero, Oberto Giphanio, Theophilo Golio, Cunrado Dasypodio, Davide Volkensteinio, Johanne Bentzio, Johanne Ludovico Havenreutero, aliisque dudum coelitem numero adscriptis, velut Praeceptoribus usus, eorumq; dictionibus ita deditus, ut non tantum Philosophiae, Matheseos & Eloquentiae mediocria posuerit fundamenta, verum etiam diligentiam, vitae morumq; integritatem singulis ita probaverit, ut Academiae illius Rector, Vir elegantissimus, D. Melchior Junius Eloquentiae Professor, honestam ac recentem illius ac patriae pariter civitatis memoriam in publico Programmate anno 1600. 17. Kal. Febr. tanto ab habitu intervallo, exstare voluerit. Quamquam autem elapso quinquennio ab Avunculo in patriam revocatus esset, qui cura oneribusq; tutelae, ob sororem jam ante elocatam, liberari vellet, noluit tamen petitioni satisfacere, antequam annum ferme Academiis Germaniae aliquot celebrioribus perlustrandis, Jenensi, Vitebergensi, Heidelbergensi verò potissimum ac Lipsiensi tribueret, non ut otiosus Spectator, sed auditor industrius, qui, quae imbiberat Matheseos ac Philosophiae prima initia, ea Doctorum Virorum colloquiis & conversatione, ubere quasi rore ad aliquem maturitatis fructum assequendum irrigaret. Rebus domi expeditis, maturiorem in Germaniam reditum Pestis passim saevientis inclementia menses ferè quinque morata est. Interim novae cum Cl. & Doctissimo Viro D. Petro Severino, orbi literato jam satis noto, affinitatis tum ineundae occasio,

casio, cum aliis, tum in primis Illustribus ac Magn. Dn. Nicolao Kaasio Regis Daniæ Cancellario magno, & Dn. Christiano Frisio, ejusdem postea in tanto officio Successori dignissimo, studia illius atq; conatus ita commendavit, ut amorem ac favorem uterq; cum vita exstare voluerit. Ejus quoq; famæ celebritate motus Vir Illustris ac strenuus Dn. Henricus Rantzovius, Sereniss. Reg. Majest. in Ducatibus Cimbricis Vicarius, ob insignē Mathematicam peritiam, ita eum amare cœpit, ut & Bredenbergam ad se vocaret honorificè, & reliquo deinceps vitæ tempore ejusdem honoribus atq; conatibus quam maximè faverit. Cum primum autem & pestis de sævientis & comitatus Francofurtensis opportunitate licuit, Basileam concessit, in Monspeffulanam Academiam, Medicinæ studiis, amplissimoq; Medicorum Collegio claram, iturus. Verum cum passim Viri docti sollicitis eum precibus urgerent, ut quas Triangulorum Analyfes, solidas illas ac expeditas delinearat, partimq; ex Albategnii, Joh. Regiomontani, Erasmi Reinholdi, Francisci Maurolyci particularibus præceptis, partim privata industria & attentione in regularum generalitatem redegerat, eas publici Juris faceret, & commodam Basileæ offerri sibi videret commoditatem, studia ac curas in Medicinæ deinceps ac Philosophiæ attentionem majorem commutaturus, eam negligere noluit. Itaq; semestris temporis spatium ibi commoratus, Geometriam Rotundi edidit, quæ, ut juvenilis quidem fervoris ac peregrinationis festinatione potius effusa quam elaborata censeripotest; Viris tamen doctis ac præstantibus artificibus, Christophoro Clavio, Joh. Antonio Magino, Adriano Romano, Mich. Mæstlino, Snellio utriq; Patri & Filio, Bartolomæo Pitisco, Philippo Lansbergio, Ni-

Nicolao Urso Dithmarso, Danieli Miverio, aliisque; pluribus ita placuit, ut alii privatis ad eum literis, alii in publicis & lectionibus suis & Scriptis ac monumentis, illius cum honore meminerint. Cum autem consilio Medicorum Basileensium præstantissimorum, Plateri, Erasti, Zvingeri, Stupani, Bauhini, quos honoris causa, ut amicos & præceptores & nominabat sæpe, & perpetuo exosculabatur, Gallia Italiam prætulisset, sine mora illi se itineri accinxit, Medicinæ ac Philosophiæ operam daturus. Audivit autem in Academia celeberrima Patavina Medicos Præstantissimos, Bernardinum Paternum, Hieron. Mercurialem, Capivaccium, Albertinum Bottonum, Melchiorem Guilandinum, Hier. Fabricium ab Aqvapendente, Herculem Saxoniam, aliosque; Viros nominatissimos, Franciscum Piccolomincum, Archangelum Mercenarium, Jac. Zabarellam, Malerium Mathematicum &c. Interim ita sese apud Nationis Germanicæ confortes gessit, ut & Procurator eligeretur, & post in Academia Consiliarius constitueretur, monumento inibi in Templo D. Sophiæ Nationis Germanicæ Studiosis Medicis erecto, & Bibliotheca tum primum instituta, quam in amplissimum literatæ eruditionis thesaurum utili ac honesta æmulatione Successores auxerunt. In Academia Pisana cum alios, tum in primis Cæsalpinum & Bonamicum elegit, quorum consuetudine familiariter usus plurimum profecit, ut privatis uterque; literis deinceps cum eo amicitiam coluerit, & Bonamicus in publica suorum de Motu Commentariorum præfatione honestam illius mentionem injecerit. In urbe Florentina liberalissimum Mariæ Nosocomium aliquot mensium spatium illum detinuit: potissimum quod illic liberum ac quotidianum offenderet accessum, & in Pharmaco-

copolium instructissimum, & ad complures variis ægri-
 tudinibus correptos. Italia, quadriennio paulo minus
 jam confecto, prius exire noluit, quam Ferraniam, Bo-
 noniam, Senas, Romam, Capuam, Neapolin, Puteolos,
 Vicentiam, Veronam, Mediolanum, Taurinum, Ve-
 netias cum primis, reliquasq; & Academias & Urbes
 nobiliores adiisset, & quæ à peregrinantibus in itinere
 æstimari debent, diligenter attendisset. Demum studiis
 suis consulturus Basileam rediit, inibiq; Præceptorum
 suorum se Censuræ subiecit, dignus judicatus, qui à
 Celeberrimo Medico & Philosopho Theodoro Zvinge-
 ro, Medicinæ Doctor, die Bartolomæi, An. 1587. re-
 nunciaretur. Prius verò quam in Patriam rediret, cele-
 brioribus Germaniæ partes & Academias perlustravit,
 Franciam, Sveviam, Bavariam, Austriam, totumq; tra-
 ctum Danubianum: item Posonium, Jaurinum ac Co-
 morram Hungariæ: ita tamen ut singulis Academiis,
 Friburgensi, Vitzburgensi, Altorfinæ, Tubingensi, In-
 golstadianæ, Lavinganæ, Dillinganæ, Viennensi, tem-
 poris justam moram tribueret: donec per Moraviam,
 Bohemiam, Misniam, Marchiamq; ad suos domum red-
 iret. Reversum ac rebus Medicis aliquandiu Flens-
 burgi incumbentem Illustriss. Princeps PHILIPPUS,
 Dux Slesvici ac Holsatiæ, Gottorpium evocavit, Me-
 dicumq; suum constituit. Tum ex Hesiodi præcepto,
 constituta domo, de ducenda uxore cogitans, invocato
 Divini Numinis auxilio, maturo consilio, lectissimam
 ac pudicissimam sibi elegit virginem SOSTRATAM
 IVARIAM, primario loco honestisq; Parentibus in
 Frisia Eidorensi prognatam, iis sexus feminei ornatam
 dotibus, ut in felici ac læto 24. ferme annorum conju-
 gio, marito demum Viduo ab an. 1614. 25. Junii, infa-
 tia-

tiabile sui desiderium reliquerit. Cum in arte Principis Toringæ nuptias d. 30. August. an. 1590. celebrasset, inq; ipsa nuptiarum solennitate ab Academia hujus Professoribus literæ allatæ essent, quibus Illustris ac Magnifici Viri Dn. NICOLAI KAASII R. M. Cancellarii & Academiae Conservatoris Summi consilio, Mathematica ei deferebatur Professio, & Mense mox subsequente Octobr. Illustrissimus Princeps PHILIPPUS vitam cum morte commutasset, ipse quoq; vitam Aulicam cum otio Academico commutare decrevit. Itaq; à Reverendissimo ac Illustrissimo Principe Dn. JOHANNÉ ADOLPHO Archiepiscopo Bremensi ac Lubecensi, Cimbrorum Duce, Principis sui Laudatissimæ memoriæ Fratris ac Successoris, petita humilima dimissione, eam clementissimè obtinuit, & Anno 1590. in Augusto sibi delatam Mathematicam Professionem, anno demum 1591. in Julio, postquam Horoscopographiam suam paulo ante edidisset, adiit, eiq; præfuit donec An. 1602. Eloquentiæ Professioni de Perillustris ac Magn. Dn. CHRISTIANI FRISII de Borreby Cancellarii voluntate præficeretur. Cumq; non longo post tempore Cl. Vir D. Andreas Christiani, & Medicus in Academia Secundus, & Oeconomus bonorum Communitatis Regiæ, Sorensis Scholæ administrationi destinaretur, Oeconomiam & Communitatis Regiæ bona protinus administranda suscepit. Quanquam verò Professio Medica Cl. Viro; D. Petro Severino Reg. Majest. Medico Magn. Dn. Cancellarii consilio decreta esset: tamen cum ille immaturo fato Academiae eriperetur, & paulo post Cl. Vir D. Andreas Lymvicus Medicus Senior in vivis esse desisset, Illustris Cancellarii favore factum est, ut, priusquam ab illo relictam Medici Secundi

stationem adiret, hujus locum an. 1603. consequeretur. Interea dum Professiones Philosophicas obibat, Decanus Facultatis Philosophicæ fuit an. 1593. quo exeunte Sex Artium Magistros creavit. Iterum an. 1599. Et Rectoratum gessit an. 1598. Postquam verò Professionem Medicam suscepit, Vilhadum Adamium an. 1603. 30. Jun. & an. 1611. 30. April. Christianum Bordingium Electi Principis Medicum, Medicinæ Doctores creavit. Et an. 1606. 1615. 1624. 1633. summum in Academia Magistratum gessit: redeuntem ad se an. 1642. ob ætatem recusavit. Serenissimi verò Regis CHRISTIANI IV. in primis in itinere Norvegico, tum Reginae utriusq; SOPHIÆ & ANNÆ CATHARINÆ, ac PRINCIPUM liberorum, aliorumq; Magnatum valetudini curandæ sæpius est adhibitus. Interim lætum & felix Conjugium D. O. M. filius tribus & sex filiabus auxit. Primus natus Vir Clarissimus, Academiae hujus post Patris obitum Senior, M. Jacobus Finkius, Physices P. P. cum conjugè Margarita Tetens, avum fecit duorum filiorum Thomæ & Johannis, totidemq; filiarum, Sostratæ & Margaritæ, Proavum verò duorum filiorum, totidemq; filiarum. Filia natus major Anna; quæ nupsit D. Casparo Barrolino S.S. Theologiæ Professore, sex nepotes, unamq; neptem Seni FINKIO genuit, novem pronepotes, totidemq; proneptes, duas abnepres. Altera Margarita, quam duxit D. Georgius Fiuren, tres nepotes, duasq; neptes, pronepote unum, & tres proneptes: Tertia Dorothea, Conjux D. Olai Vormii Medici P. P. sex neptes, quinque pronepotes & sex proneptes: Quarta Druda uxor D. Johannis Brokmanni S.S. Theologiæ P. P. duos nepotes, quatuorq; neptes, & duos pronepotes: quos si numerato mavis, erunt 79. qui vi-

vente ipso in hanc lucem sunt editi. Summa verò fide ac
 industria & Academicis prælectionibus & disputationi-
 bus, aliisq; Academiæ negotiis spatio 65. annorum va-
 cavit: & bonorum Regiæ Communitatis administrati-
 oni aq. 52. ab an. 1602. usq; ad an. 1654. præfuit. Cœ-
 pit autem Divinæ benedictionis uberrimus proventus
 sub ipsius fideli & prudenti administratione, in Com-
 munitatis Regiæ commoda quotidie augeri; unde fa-
 ctum est, ut & Oeconomi priores ædes, & aream dupla
 accessione locupletaverit, novo insuper Cœnaculo pro
 Studiosis alumnis exstructo: Elegansq; & splendidum
 illud, habitationibus Alumnorum Regionum destina-
 tum ædificium, quod Regentiam vocant, erexit: Et
 cum, Cimbria à milite Cæsareano occupata, magnus es-
 set hic Studiosorum exfulum numerus, ex Summi Ma-
 gistratus voluntate, plusquam quadraginta, ultra nume-
 rum, quibus libera mensa ex fundatione Regia decreta
 est, receperit: Et cum omnes Oeconomix officinæ in-
 genti incendio conflagrassent, ad istam, qua nunc
 in platea Septentrionali visuntur, magnificentiam,
 eas instauravit. Cætera, Pacis & Concordiæ sem-
 per fuit amans, omnibus bonis carus & amicus: libera-
 lis in Medicinæ & Philosophiæ Studiosos, quibus 3000.
 Imperiales: & in pauperes ac egenos beneficus, quibus
 1500. Imperiales legavit. Postquam autem Venerandus
 hic senex, laborum, honorum & annorum (utpote agens
 95. ætatis, Professionis 66. annum: adeoq; plures annos
 Professor fuisset, quàm quisquam Collegarum, qui tum
 erant, vixisset) satur, quotidie magis magisque vires de-
 bilitari animadverteret, totus in precibus, & quotidiana-
 nis pietatis detinebatur exercitiis, usq; dum 10. April.
 an. 1656, febricula corriperetur, quæ accedentibus gra-
 vissi-

vissimis ex calculo , aliisq; pectoris doloribus , emacia-
tum & senio confectum corpusculum lancinavit , ut de-
cimo quarto à decubitu die 24. April. animam Creatori
suo placidissimè redderet. Funus Civibus Academicis
à Rectore M. Petro Spormanno publico Programmate
indictum est : Et oratione Latina in Auditorio Acade-
mico ei parentavit D. Christianus Ostenfeldius. Sepul-
tus est in Templo D. Virginis in Sacello D. Rochi , ubi
monumentum hoc habet :

D. O. M. S.

*THOMAS FINKIUS Flensburg. Philos. & Me-
dicinæ Doctor, Illustriss. Holsatiae Ducis PHILIPPI Me-
dicus quondam Aulicus : Academ. postea Hauniensis Ma-
themat. & Eloquentiæ per 13. Medicinæ verò 53. Pro-
fessor Public. Facultatis Decanus & Senior : Canonicus
Roëskildensis, Reg. Stud. Oeconom. 52. annos Præfectus,
dum vixit, Pater, Avus, Proavus, Abavus, 79. lib. Vi-
duitat. 42. ætatis 96. VI. Kal. Maji an. 1656. placidè
defunctus, ex dormitorio suo gloriosam resurrectionem ex-
spectat.*

Uxori defunctæ an. 1514. vivus ipse aliud monumen-
tum posuerat cum hac inscriptione:

D. O. M. S.

*SOSTRATÆ IVARIÆ Eidorensi, Postquam
Virgo an. 16. THOMÆ FINKIO Flensb. Illustriss.
Sles. ac Hols. Ducis PHILIPPI L. M. Medico : Mox
Haun. Acad. Professori nupsisset, Conjugi, ut reliq. an.
23. ac dies 300. amicissimæ: 3. Filior. & 6. Filar. Ma-
tri*

*tri fideli piensiff. Cætero prisca virtute Matronæ honorat.ß.
Ita vita hac virtutis in illam gloriæ 25. Junii, 1614. in
Christo Redemptore commutata, desideratiffimæ, Mari-
tus in acerbo officio gratus, cum 6. Libb. 3. Gen. Med.
DDD. & 4. Nep. Superstes, in perennem amoris me-
moriam B. merenti mærens P.*

*Mens generosa ultra polos In manibus Domini sortes nostras
inquiri.*

Scripta.

Geometriæ Rotundi libri 14. Basil. 1583. in 4.

Horoscopographia, sive de inveniendis Stellarum situ
Astrologia. Slesvici, 1591. in 4.

Tabulæ multiplicationis & divisionis, seorsum etiam
Danicæ monetæ accommodatæ. Hauniæ 1604.

Tres Tabulæ quotidianæ numerandi necessitati accom-
modatæ. Hauniæ in 4.

Ephemerides variæ. Hauniæ in 4.

Theses Logicæ. Hauniæ 1594. Aliæ Philosophicæ.
Haun. 1594.

De Constitutione Philosophiæ Mathematicæ. Hauniæ
1591.

De Hypothesibus Astronomicis, dimensionis mundi ac
primi motus circulis. Haun. 1592.

De ortu & occasu syderum, de Diebus & Noctibus, de
Mensibus & Annis. Hauniæ 1595. 1601. 1602.

Disp. Med. de Peste. Haun. 1603. De Hydrope. Haun.
1611.

Disputationes 17. de Medicinæ constitutione. Hauniæ.

Appendix de Canonis Triangulorum usu etiam in Cyclometricis. Haun. 1627. in 4.

PETRUS JOHANNIS VINSTRUPIUS

Natus est Hauniæ 18. Martii, an. 1549. honestissimis ac optimis Parentibus : Patre quidem M. Johanne Vinstrupio, Pastore Ecclesiæ S. Nicolai Hauniensis : Matre vero femina honestissima ac optima Anna Nicolai Hofvet, civis & Mercatoris Hauniensis filia. Hisce ortus Parentibus, ab anno ætatis septimo, in Schola Patria artibus liberalibus ac moribus ingenuis animum per quadriennium excoluit : donec in Scholam Slaglosiensem fidelioris inspectionis gratia ablegaretur. Cui cum diligentiam ac studium suum itidem per quadriennium ita declarasset, ut ad altiora non sine eximia spe & expectatione admitti posset, Roëskildiam melioris profectus gratia se contulit. Quo in loco reliquis modestia, pietate, & in primis diligentia per quatuor integros ita prælucebat annos, ut à præceptoribus dignissimus judicaretur, qui nomen daret altioribus ac severioribus disciplinis. Quorū judiciis haud invitus stetit. Anno enim Christi 1558. qui ætatis erat decimus nonus completus, mentem inferioribus artibus probe subactam ac præparatam, Clarissimis hujus Academiæ Professoribus, Philosophicis præceptis exornandam & poliendam tradidit : atq; in album civium Academicorum relatus est, Rectore Doct. Johanne Albertio, Episcopo Roëskildensi. Quantos vero hic fecerit in studiis progressus, quantaq; cum diligentia spei amicorum de se conceptæ respondere studuerit, ex eo colligere licet, quod vix biennio elapso ingenium Adolescentis admirati Professores. prima

Arti-

Artium & Philosophiæ laurea, quam ultro ipsi obtulerunt, magna cum laude, per Clarissimum Virum M. Andream Petreium Koägiensem, Facultatis Philosophicæ Decanum, die 22. Decemb. an. 1570. eum condecoraverint. Verum virtus latere nescia, etiam in hoc Adolescente, pomœriis Academicis contineri haud potuit, sed fama ad Aulicos quoq; propagata, eo usq; pervenit, ut Nobiliss. Virum Biornonem Andream, Regni hujus Senatorem amplissimum, ac arcis Hauniensis Præsidem æqvissimum moverit, ut hunc solum ex reliquis omnibus eligendum duxerit, cui filiorum instituendorum cura committeretur. Per biennium igitur ejus fide & industria in liberis educandis explorata: eodem Ephoro tuto eos exterorum Regionibus committi posse existimabat. Quocirca Lipsiam cum ejusdem anno Christi 1572. primum ablegatur, deinde Vitebergam. Quibus in locis quanta industria munus concreditum expediverit, eventus docuit. Annis enim quatuor elapsis, in patriam vocatus, solenni Magisterii titulo ante abitum condecoratur. Postmodum verò an. 1576. Nobiliss. Biornone Andream Arhusiensi Præfecto procurante, Sacrarum literarum Interpretatio ac publica Professio in Capitulo Arhusiensi ipsi demandatur. Quod munus tanta dexteritate ac animi alacritate obire cœpit, ut Clariss. Vir M. Esbernus Petrejus Pastor ac Canonicus Arhusiensis dignissimus filiam suam virginem honestissimam MARRINAM matrimonii fœdere an. 1577. die 16. Octob. ei jungere haud dubitaverit: Quæ sex Filiarum pulcherrimarum, divina benedictione, eum parentem optatissima reddidit. Quarum Helena M. Nicolao Claudio Superintendenti Asloënsi: Anna M. Johanni Stephano Professore hujus Academiæ & post Præsidi Sorensi nupsit.

nupsit. Cæterum Viri industriam, pietatem, ac in docendo Verbo Divino ardorem, Senatus ac Cives primarii inclytæ hujus urbis resciscentes, in Pastorem Ecclesiæ S. Hospitum unanimi consensu eum electum evocarunt. Ubi concredito sibi gregi Christiano, vita, moribus & doctrina ita præluxit, ut M. Laurentio Bartolino, Diœceus Arhusiensis Episcopo, senio jam prope confecto, *συνεργός* an. 1587. circa festum Paschatos adjungeretur primum, & paulo post ipsi defuncto in officio surrogaretur. Infatiabile sui desiderium ibidem bonis omnibus post se reliquit an. 1591. cum ab Illustrissimis IV-viris, Regni Gubernatoribus Hauniam revocaretur, & Episcopus Diœceus Roëskildensis, ac Professor S. S. Theologiæ in alma hac Academia, loco Clarissimi Viri D. Pauli Matthiæ piè defuncti, constitueretur. Eodem verò anno, quo ipsi Sædlandicarum Ecclesiarum inspectio, ac Sacrarum literarum commendata esset Professio, à Clarissimo Viro Dn. Doct. Johanne Olao Slangendorffio titulo ac honoribus in S. S. Theologia supremis, maximo cum applausu, non sine insigni Ecclesiæ in hisce oris commodo & utilitate die 9. Septembr. insignitus est. Porro ut reliquis omnibus, ita hisce ipsi mandatis, quæ non sine eximia virtute & eruditione obiri poterât, muneribus, tanta dexteritate, tantaq; cum laude fungebatur, ut fama & existimatione ex antecessoribus nemo ei præferendus. Sacratissimæ namq; Regiæ Majestatis CHRISTIANI IV. capiti, amplissimi hujus Regni diadema an. 1596. maxima cum solennitate imposuit. An. 1598. in solenni inauguratione Illustriss. Reginæ ANNÆ CATHARINÆ, Ordinatoris partes sustinuit, & cum laude administravit. An. 1603. Sereniss. Reg. Majest. recens natum Filiolum, Illustriss. Principem & Re-

Regem designatum CHRISTIANUM sacro Baptismatis fonte conspersum, numero fidelium adjunxit, & è lavacro suis manibus levavit. An. 1607. 22. Octobr. Theologiæ Doctorem creavit M. Cunradum Aflacum Theologiæ Professore. Rectoratum Academiae an. 1599. & 1608. gessit. An. 1598. die 6. Septemb. lectissimam tori fociam MARINAM ESBERNI F. ætatis suæ 44. Conjugii verò 21. ferè completo, amisit. Quem moerorem ac luctum Deus Opt. Max. diuturnum esse haud passus, anno sequente, die 5. Augusti viduum torum, Virgine pudicissima ANNA, præstantissimi viri Dn. Eliæ Eisenbergii, Secretarii Regii, & Capituli Røskildensis Præpositi filia, supplere cum fœnore voluit. Ex ea enim dulcissimæ propaginis liberos vidit VII. Ex filiis Petrus postea Professor in hac Academia fuit, & deinde Concionator Regius, & demum Lundensis Episcopus: Elias è peregrinatione in patriam reversus, Hæuniæ obiit. Filiarum Marina Claudio Plumio J. U. Doctori & Professore: Thalia Johanni Joh. Resenio Theologiæ Doctori & Professore: Anna M. Olao Vindio Concionatori Regio: Medea Nicolao Petræo Theologiæ Doctori & Professore, nupserunt. Porro toto illo tempore, quo integra frui licebat valetudine, in tanto tamq; arduo constitutus loco, magna prudentia ad clavum Ecclesiarum hujus Regni sedit: magno studio pacem ac tranquillitatem Ecclesiæ affectavit: magno fervore nova ac inusitata præcavit. Pietatis, lenitatis, sobrietatis, continentia, aliarumq; virtutum specimina palam & in oculis fuere omnium. An. 1608. Hemiplecti-
cis quibusdam ita infestari cœpit *παθήματα*, ut lingvæ ac sermonis facultas impedita penitus redderetur, non sine insigni virium ac roboris detrimento. Quos tamen

corporeis langviores, tanto animi robore ac constantia tulit, ut officii sui, quamvis gravissimi, munera tanta felicitate, industria ac vigilantia, quamdiu licuit, ita obiret, ut vix quicquam tanti morbi difficultatem animo impedimenti attulisse jurares. Denique cum jam morbi violentia animi alacritatem paululum sopiri in negotiis externis persentisceret, ei alia ratione obviam eundum, flamma pietatis ac munificentiae, assidue adhuc in pectore gliscens dictitabat. Liberali igitur ac larga manu an. 1613. hoc sibi adhuc viventi erexit Mausoleum, quod nulla ætas insequens, nulla temporis injuria abolere aut destruere unquam potis est. Mille namque probioris ac integrioris monetae thalerorum Imperialium Academiae legavit summam: ex qua Studioso paupertatis onere depresso, honestè tamen nato, ac ita in literis enutrito ac educato, ut dignus censeatur, qui Laurea Magisterii Philosophici hic insigniatur, quiq; præter mores honestissimos, ad docendum in Ecclesia apud nos, donis necessariis sit instructus, annuatim thaleri 60. sunt persolvendi. Qui tamen VINSTRUPIANUS alumnus non tantum ad studium Theologicum, & puræ Religionis juxta Confessionem Augustanam, & doctrinam Lutheri & Philippi se sciat obligatum; sed etiam eandem in patria, beneficii haut immemorem, fideliter se propagaturum polliceatur. Obiit an. 1614. die 24. Junii: postquam ipse ætatis 66. attigisset annum, ac in priore conjugio per annos 21. in posteriore verò 15. amicè & castè vitam traduxisset. Funus Civibus Academicis à Rectore D. Cunrado Aflaco, publico programme indictum est. Sepultus est in summo Choro Templi D. Virginis. Monumentum habet ad Australe Chori latus in columna fixum, cum hac inscriptione:

In nomine D. J.

D. PETRO JAN. VINSTRUP. *Hauniens. olim
Mag. Lectori S. S. Theolog. Arhus. an. 2. Post Pastori
ad S. Hospital. Haun. an. 9. Hinc Episcopo, tum illic vi-
cissim an. 4. tum heic rursus, sicut tunc simul Doctori The-
olog. in Reg. Academ. & Canonico Roëskildens. an. 23.
P. ANNA EISENB. C. L.*

*Qvinatus an. 1549. 18. Mart. Exspiravit in D. 24. Ju-
nii an. 1614.*

Scripta.

Conciones in publicis Supplicationibus proponendæ.
Ex Psalm. 51. Haun. 1595. in 8. Ex Oratione Prophe-
tæ Danielis. Haun. 1610. Ex Psalm. 78. Haun. 1611.
Et aliæ an. 1596. 1597. 1598. 1599. 1608. 1612.
Synodalia an. 1610. Et Antiqua Admonitio *πολλενικη*.
Haun. 1610. in 8.

JOHANNES PAULI RESE- NIUS

Natus est in Cimbricæ Provincia Harfalia in Parochia
Releniana, Nomarchiæ Skodborgensis, an. 1561. d. 2.
Febr. Patre Viro Reverendo & Doctissimo, Dn. Paulo
Johannide, Pastore Ecclesiarum in Resen & Homme-
lum, viro integro & honestæ famæ: Matre Johanna Bar-
tolini f. pia & sedula matrona. Hanc suam prolem sa-
cro baptismatis lavacro tinctum, Optimi Parentes pie-
tate ab ultimæ infantie annis erudiendam censuerunt:
ad pias itaq; preces, ad cantiones sacras, ad doctrinam
Catechetica, ad verbum Dei sedulo audiendum, ad
psal-

psalmos ediscendos, ad omnia deniq; quantum quidem undecennis tulit filii ætas, religiosæ pietatis exercitia assuefactus, die 23. Junii an. 1572. ad Scholam Holsato-Pontanam mittitur. Quo etiam in loco integrum quadriennium sub præstanti Duce Tychone Nicolao prima stipendia fecit. Cum autem excitati probæ indolis igniculi quotidie in flammam erumperent, ad altiora tubscella occupanda, Ripas an. 1576. ablegatus est. Quo simul ac venisset, in familiam Viri admodum Rev. & Excell. Dn. M. Petri Hegelundii, ista ætate Scholæ Ripensis Rectoris felicissimi, tandemq; Dioceseos ejusdem Episcopi Vigilantissimi, adscitus est. Qui tantum sibi, de præclara Discipuli sui, cum foret adhuc inter Ephebos, indole sponndit, ut nullum unquam reliquerit studium, nullam curam, qua non sit eum complexus, ejusq; annos adhuc teneros formaverit. In hoc autem celebri pietatis literarumq; phrontisterio cum trienne emensus esset spatium, amissa matre d. 1. April. an. 1578. & noverca à Patre inducta, Viburgum divertit: Ibi tenax pii propositi, in contubernium Viri Rev. & Clariss. Dn. M. Jacobi Holmii ista tempestate Gymnasii istius Moderatoris primarii, deinceps verò Alburgensis districtus Superintendentis fidelissimi, an. 1579. 7. Julii, recepto, brevi tēpore adeo profecit, ut reliquos commilitones, tam in Latinis, quàm Græcis literis, doctrina non minus quàm ingenio facile superaret. Positis hoc pacto in inferioribus literarū officinis laudabilibus Artium Lingvarumq; initiis, in hanc Academiam 18. Maii, an. 1581. concessit. Cujus sacris cum solenni ritu 20. ejusdem mensis initiatus esset, Rostochium 1. Augusti se contulit. In qua urbe cum visendæ in primis Academiæ gratia, conciliato sibi optimorum plerorumq; favore ad 22. ejusdem mensis

sis diem substitisset, hanc Regiam repetiit. Quo verò calore deinceps & Lingvis & melioribus Scientiis sit operatus, testantur erudita profectus & ingenii specimina, quæ tanto applausu excepit Senatus Academicus, ut eodem anno prima Philosophiæ laurea eum honestarit. Hanc ipsam Spartam decenti & vita & industria ornavit, atq; sequentis anni 28. Octobris publica in Pædagogio Disputatione habita, exornavit. An. 1583. circa festum Pentecostes patrios revisere lares dira eum impulit Pestilentia contagio, sed non sine dextro omine. Illuc enim cum appulisset, vicariam ipsius in juventute informanda operam (Con-Recturam vocant) postulavit, à cujus nutu paucis retro annis computatis Tyro penderat. Jamq; eò processerat eruditio ipsius, ut angustis amplius limitibus circumscribi non pateretur. Didita enim per provincias, per sanctiorem aulam fama, egregium Musarum decus RESENIUM, patriæ nihil non magni, nihil non fructuosi spondere, arcessitus ab Illustri Regio Cancellario D. NICOLAO KAASIO Dn. de Torupgaard, Generosissimo Dn. Frederico Rosenkrantz, Artium & vitæ Dux atq; Magister præficitur. Nobile hoc itaq; comitum par 25. Augusti die solventes ad Rhodopolin applicant. Ubi hospitio Dn. D. Lucæ Bakmeisteri, Senioris, & Theologi eximii, excepti, in annum 1586. fixas sedes habuere. Reversi in patriam 11. Novemb. Parentes amicosq; salutandi gratia, non diu substitere, sed Vitebergam discedentes in annum 1589. ibidem loci vixere. Et tanto fervore ab utroq; Philosophicis & Humanioribus literis litatum est, ut alter Philosophiæ Magister è 38. primus ordine renunciaretur: alter eodem honore, quippe dignus, mandandus esset, nisi Equestris ortus ratio habenda fuisset. Qua enim

diligentia præfuerit studiis Generosi hujus juvenis, argumento sunt longè luculentissimo, non tantum Scholia in Arithmeticam Gemmæ Frisii conscripta, ut & initia Geometrica, publicis literis exscripta, sed & reliqua monumenta, quæ in instructissima RESENIÆ Bibliotheca, partim Nobiliss. Discipuli, partim propria manu exarata, visa sunt. Quæ ipsa amplissima Eruditionis testimonia a deo accepta Patriæ Proceribus fuere, ut Regi stipendii liberalitate ipsum ultro decorarint. Reversus itaq; Bolleram 16. Martii, anni prædicti, officii sui memores 29. Julii iter accelerant, atq; Francofurtum 7. Sept. appulsi, 12. Octob. Patavii confederunt. Inde Romam 15. April. 1590. ventum est. Lustratis autem ibi potioribus & ruderibus & monumentis, quæ priscis, quæ recentibus, 27. Maji Siciliam petunt. Inde vicissim die 3. Junii infesto ob Turcicos Piratas itinere in Meliten Insulam contendunt, atq; incolumes 15. ejusdem mensis die littus contingunt. Hanc cum suo more, voce, oculis, auribus, & mente perreptassent, ea relicta, vela ventis explicantes, Italiæ orę puppim applicant, atq; 26. Augusti Patavium revertuntur. Quicquid interea effluxit temporis, non minus feriis, ubi licuit studiis, atq; exercitiis equestribus, quam aliis lingvis, cum primis Italicæ, addiscendis impenderunt. Hujus autem in primis amore captum fuisse RESENIUM judicio est eximia cultura, quæ adeo familiarem sibi eam reddiderat, ut singulari & facundia & promptitudine omnia animi sensa exprimere potuerit. Athenas tandem Antenoreas 2. April. 1591. linquentes per Venetias initio, deinde verò terrestri itinere per Lombardos, Rhoetos, Helvetos, Sabaudos, Allobrogas, Burgundos, Alsatos, instituto, 22. Sept.

22. Sept. Francofurtum salvi pervenere, sedesq; paternas grati Cives 18. Octob. contigere. Tandem RESENIUS postquam in Germania, Italia, aliisque longè plurimis regionibus integros VII. annos cum Generosissimo suo comite, inter pietatis & humanitatis exercitia, transmisisset, ab inclyto literati ordinis Patrono, Perillustri Viro Dn. NICOLAO KAASIO Regio Cancellario & Reip. gubernandæ IV-viro, vocatur non tantum ad honestam in hac Academia Professionem, sed geminam quoq; , Logicam videlicet atq; Theologicam Extraordinariam, duplo ipsi pariter stipendio assignato. Professorio itaq; juramento postquam sese Academiae 4. Decemb. obligasset, 16. ejusdem die publicarum lectionum initium fecit, diebus Mercurii & Saturni Theologicis, reliquis quatuor Philosophicis Prælectionibus impensis. Cui officio cum sextum annum ad 3. April. an. 1597. præfuisset, & Philosophicæ Facultatis Decanus an. 1594. designatus, iterata vice, XVII. eruditos juvenes prima, & IX. Summa Philosophiæ laurea selectioris notæ viros donasset: ab Illustriss. Viro Dn. CHRISFIANO FRISIO de Borreby, Cancellario magno, ordinarius Facultatis Theologiæ Professor pronunciat. Cujus non minus ardui quam sacri muneris telam 28. orsus est. Instituta porrò 11. Junii, pro consequendis in eadem Facultate honoribus Doctoralibus, Præside Rever. & Excellentiss. Viro Dn. D. Georgio Dybvadio, Facult. Theolog. Decano & Seniore, Disputatione, eaq; masculè propugnata, tandem ab eodem 23. ejusdem Mensis die, solenniritu in Templo Academico S. S. Theologiæ Doctor proclamatur. Die certè & fausta & memorabili, quippe qua ante annos 25. primum ipsi literarum elementis tingendus, Scholastica limina salu-

taverat. An. 1594. 14. Julii uxorem duxit D. Andreae Laurentii quondam Professoris Theologi filiam, BARBARAM, feminam varia dote laudatissimam, Rev. & Prudentiss. Viri D. Johannis Laurentii, Canonici quondam Roëskildensis relictam viduam. Ea, gravem ubiq; luem spargente peste, an. 1601. 29. Octob. Roëskildiaè à vita excessit, relictis quatuor liberis, septennis connubii pignoribus. E quibus, filius Johannes postea Theologiae Doctor & Professor in hac Academia, & Episcopus Sædlandiaè fuit. Johanna M. Christiano Glob Pastori Koägiensi & Præposito: Anna primum Erico Clementino J. U. Doctore, Secretario Regio & Canonico Lundensi: ac deinde Nicolao Paschasio Theologiae Doctore & Episcopo Bergensi nupsit. Cum verò pio zelo RESENIUS versaretur in exponendis sacrarum literarum monumentis, Serenissimus Rex CHRISTIANUS IV. versionem utriusq; Testamenti vernaculam ipsi imperavit. Quam quoq; tanta felicitate & pernecitate adornavit, ut integræ Novi Fœderis Tabulæ, Censura Theologica approbatæ, an. 1505. forma minori excuderentur. Nec abfuisset, quin toti operi summam statim imposuisset manum, nisi cum Rege Potentissimo in Angliam an. 1606. Regii Theologi munere functurus, eundem ipsi fuisset. Reversus tamen, paucis elapsis Mensibus, tanto fervore sacrum illud acceleravit opus, ut omnes utriusq; Testamenti libri uno volumine in forma quarta, ut vocant, an. 1607. publicis typis exscriberentur. Quantum laborè huic & sacro & abstruso operi impenderit, ipsum intuentes exemplar edocebit, quippe quod æternæ memoriæ in Regia Academia Bibliotheca asservatur: quam etiam universam in suas classes, suos ordines, suosq; forulos, ut visebatur, antequam im-

men-

menſum aucta in Auguſtum ſupra Templum Trinitatis palatium transferretur, Vir inexhauſti laboris, olim redegit. Et licet peculiari & acumine & industria conſcripta hæc verſio, adeo eſſet amuſſitata, ut nec tantillum, vel quod addendum, vel reſecandum, vel mutandum, deſiderari videretur; igneus tamen Interpretis ΦΙΛΟΛΟΓΩΤΑΤΗΣ ſpiritus nequaquam acquievit, priuſquam ſecondas curas relegendæ verſioni tribuiſſet. Quas juſſu pientiſſimo Sereniſſimi Regis CHRISTIANI IV. elegantiſſimiſt typis deſcriptas an. 1647. Eccleſiæ noſtræ magno cum fructu nunc habent. Cum autem eo proceſſiſſet RESENIi eruditio pariter atq; felicitas, ut acceſſionis capax non ultro judicaretur, effrons & maligno Adverſario M. Olaus Cocci, Paſtor Eccleſiæ S. Nicolai Haun. mota de Religione controverſia, Boni Viri innocentiam lædere, famamq; imminuere omni niſu conabatur. Licet autem, ſaſtidiolo contemptu, & conſtanti ſilentio ab hoc Obtrectatore ſeſe vindicare ſtatuſſet, tamen quia Rex Sereniſſ. de hac cauſa cognoſcenda ſollicitus, Senatorum Regni, Academiae hujus Reſtoris atq; Epiſcoporum comitia hunc in finem Coldingæ gerenda indixiſſet, Coldingæ an. 1614. die 21. Februar. comparuit, fidemq; ſuam Chriſto ſuperſtructam ita tutatus eſt, ut cauſam RESENIANAM omnes tandem approbarent, mutatiſq; animis, cujus laudi plurimi prius invidebant, cum innocentiam, tum animi conſtantiam admirarentur atq; amarent. Adeo læta hanc Tragœdiam excepit catastrophe, ipſo Rege juſtiſſimo ſententias & exquirente & ferente: abſolvendum RESENIUM, Adverſarium vero Patriæ finibus, capitis discrimine, exterminandum. Atq; ut omnibus RESENIANA conſeſſio innoteſceret, Apologiam Latina & Vernacula lingua eodem an-

no ab ipso conscribi, & à Senatu Academico approbatam, typis describi, totiq; Orbi exhiberi Rex Potentissimus iussit. Postquam autem annos 18. sacras literas in hac Academia docuisset, Regia vocatione, in locum D. Petri Vinstrupii, Sædlandiæ Episcopi, an. 1615. die 29. April. surrogatur. Sacramento autem Episcopali Fredericiburgi dicto, in Templo Academico 21. Maji Præsul Ecclesiarum Scholarumq; Sædlandicarum à Viro admodum Rev. & Clariss. Dn. M. Paulo Martini Ostrupio Scaniæ Episcopo, felicissimo auspicio creatur. Cum autem integros 15. annos viduos cum liberis suavissimis, inq; domesticis exemplis educatos, transmisisset, solitario toro discessurus, Matronam, non minus morum integritate, quàm pietate & prudentia nobilem, ANNAM ELIÆ EISENBERGII filiam, Antecessoris sui præclarissimi Viduam, vitæ suæ consortem accivit: quam celebratis hac in urbe 24. Sept. sponsalibus, 12. Nov. an. 1615. solenni matrimonii lege, piisq; intervenientibus ritibus fidam fortunæ vitæq; suæ sociam junxit. Monumenta verò, 18. Theologi, atq; deinceps unà 23. annos, menses 4. fere, Episcopi munus obiens, condidit plurima, & plurimas lucubrationes usui & emolumento Ecclesiarum atq; Scholarum variis temporibus dicavit. Ut autem honesta refectioe graviora studia leniret, Musicam impense æstimabat. Ipse enim voce & fidibus ad numeros canere doctus, piisq; cantiones & odas modulatus, fervidi animi devotionem non tam ostendit, quàm excitavit. Quin etiam librum Sacrarum Cantionum M. Johannis Thomæi ad numeros & Musicos & Poëticos, ubi lapsus esset, plurimis locis emendavit. In Politicis Academiae negotiis conficiendis prudentiam cum sinceritate conjunxit. Quater, an. 1602. 1611. 1617. 1626. re-

1626. repetita vice Rectori designato Academiae fasces sunt praelati. Sed cum quintum an. 1625. Senatus Academicus eosdem Seni honoratissimo honores detulisset, ob ætatem & valetudinem se excusavit. An. 1608. 23. Januar. Dn. Andream Michaëlium Coldingensem, designatum Episcopum Bergensem, Philosophiæ Magistrum, & Theologiæ Baccalaureum simul renunciavit. An. 1615. M. Casparum Brokmanum, Theologiæ Professore: an. 1616. M. Johannem Michaëlium, Concionatorem Aulicum, & M. Nicolaum Paschasium, Episcopum Bergensem: an. 1620. M. Ivarum Hemmetæum, Episcopum Ripensem, M. Johannem Vandalinum, Episcopum Viburgensem, M. Matthiam Jani, Episcopum Lundensem, & M. Petrum Stureum, Concionatorem Aulicum: an. 1626. D. Casparum Bartolinum, Theologiæ Professore Haun. & M. Johannem Cluverum, Theologiæ Professore Sorensem: an. 1630. M. Janum Dionysium Jerfinum, Episcopum Ripensem, M. Christianum Jani, Concionatorem Aulicum, & M. Nicolaum Petræum, Theologiæ Professore, Theologiæ Doctores creavit. Ecclesiarum Antistites Episcopali purpura, more patriæ recepto ornavit etiam XII. quorum VI. Norvagicarum, III. Danicarum, II. Islandicarum, I. Gotlandicarum Ecclesiarum inspectionem commendavit. Propriæ Diœceseos Pastores 406. officio Ecclesiastico consecravit: omniumq; Provinciarum Præpositos constituit, unico Rev. Viro Dn. Petro, Præposito Ringstadiensi exento. Incredibilis ejus diligentia fuit, & labores in utroq; officio inexhausti. Præterquam enim quod quavis annua vilitatione omnium Scholarum conditiones exploraret, atq; triennio quovis singulas suæ diœceseos Ecclesias, earundemq; Pastores inviseret, eos do-

docendo, monendo, instruendo, vitamq̄ verbo Divino, istiq̄; ordini conformem imperando & exigendo, illud ne utiq̄am silentio damnandum, quod adeo anxia cura pueriles atq̄; teneros annos pietate & doctrina Catechetica in primis imbuendos curaverit, ut pueri vix septennes fidei suæ rationem ad stuporem usq̄; reddere nosset. Cum autem parsimonia, sanctaq̄; frugalitate, benedicente Domino, auctiores sibi redderet facultates, divini præcepti memor, plurimis quoq̄; sua liberalitate opitulatus est, legatis in pios usus 5500. Imperialibus. Præterquam enim quod Generosissimorum Nobilis Scholæ Herlovianæ Conditorum honori, Dn. Hermolai Trolle & Dn. Birgittæ Góe, geminum monumentum dedicasset, binos è Scholastica pube Alumnos, annuo 1000. thalerorum fænore distributo, isthic loci sustentari voluit: cujus etiam Præfecto 1000. alios unciales credidit, quorum usuram 50. Joachimorum, ad festum Pentecostes Theologicæ Facultatis Inspectori numerari præcepit: ut hac liberalitate RESENIANA, VINSTRUPIANA donatio aucta, modo stipendium VINSTRUPIO-RESENIANUM clienti suo annuatim 110. Joachimicos elargiatur. Suburbano etiam ægrotorum hospicio, Nosocomio vulgò dicto, 1000. ejusdem monetæ Imperiales assignavit, quorum annuos semisses duobus sterner. dis lectis, totidemq̄; pauperrimis alendis impendendos Testamento vocavit. In primis Scholam Marianam hujus Urbis summa 2000. Uncialium, quorum proventu Alumni inopia oppressi alerentur, liberalissima manu donavit. Qvin & stipem 300. ejusdem monetæ nummos, cum pietatis literarumq̄; consecratis, cum inferiorum subfelliorum alumnis, tum quoq̄; utriusq̄; sexus ægris, omnibus egestate atq̄; valetudine

con-

confectis, aliquot ante mortem placidissimam annis conferendam destinavit. Nec ingrato animo Holsato-Pontanæ Scholæ, in qua puer educatus fuerat, benignitatem agnovit, sed potius privati beneficii gratiam publica 200. imperialium munificentia pauperibus Scholasticis alendis infumendorum, reponendam statuit. Privatis præterea erogationibus exsules, mendicos, pauper-tinos, & viritim misericordiæ munus implorantes, liberaliter honestavit. Sed ex omni virtutum censu, quibus innocentissimus Antistes ad miraculum usq; suspiciendus fuit, nulla laus est comparanda cum pietate & Religioso Numinis cultu. Religioni enim sinceræ Christiano-Lutheranæ erat addictissimus: tantumq; à Rege Serenissimo ab an. 1617. impetravit, ut singulis annis Omnium Sanctorum die in Ecclesiis, pridie verò ejusdem in Academiis, memoria Divinorum beneficiorum in Ecclesiam, centesimo, à quovis, anno collatorum grata enarratione celebrari debeat. Porrò cum veræ pietatis studio, veritatis amorem conjunxit. Errores publicos & scandala lamentabatur. Nec magis in votis habebat, quam ut collapsa Ecclesiæ disciplina restitui posset, quo sinceræ doctrinæ & ab erroribus repurgatæ, morum & vitæ reformatio quoq; congrueret. Veneres & festivitates comitatæ sunt eum ad extremum usq; vitæ decursum. Magna corporis infirmitate plusculos annos laboravit: quamvis enim animo esset infractò, sæpius tamen arthritidis, podagræ, calculiq; doloribus, in primis Vordingburgi & Nestadii, succumbere cogebatur. Tandem verò cum febre epidemia correptum se sensisset, continuo mens futuri præscia, ultimum ævi terminum sibi instare augurata est, idq; sermone & vultu ad firmitatem erecto, adstantibus denunciavit. Conscripse-

rat superioribus aliquot ante mortem diebus, jussu Magistratus, publicas conciones in Ecclesiis propediem proponendas, cumq; vires ipsi amplius non suppetere, domestico suo geminum tractatum calamo excipiendum, dictitavit, alterum quidem de Fundatione & Conditione Ecclesie veræ Catholico-Apostolicæ, alterum de Christo unico, eoq; vero Ecclesie capite. Cum autem paucarum septimanarum intervallo die 10. Aug. an. 1638. virum Rev. & Excellentiss. Dn. M. Jacobum Matthiam Arhusium, Sacræ Reg. Majest. a Concionibus Aulicis, sacro ordini inaugurasset, (qui & omnium postremus erat, quos officio Ecclesiastico hætenus præful Sanctissimè initiaverat) altius recruduit malû. Arcessito itaq; 14. Sept. Rev. & Clariss. Viro Dn. M. Nicolao Scandorfio, Templi Mariani Pastore & Præposito, è verbo Divino se solari, unaq; animæ suæ fidem corpore & sanguine J. Christi obsignari petiit. Ingruente tandem novissimo certamine, tanto animi robore, tantaq; constantia munitum pectus habuit, ut nullo mortis metu sese perumpi pateretur. Compositis itaq; ad quietem, & animo & corpore, placidè animam exhalavit, eadem nocte d. 14. Septemb. an. 1638. inter 10. & 11. horas, ut mors somno similima videretur, & ad cœlestem patriam emigravit, unde originem sumserat: Ætatis suæ anno 77. 7. mense. 2. hebdomade, denatus. Funus Civibus Academicis Programmate Publico à Rectore D. Johanne Erasmi Brokmanno indictum est. Concio in sacra æde habita à M. Nicolao Scandorfio Pastore & Præposito, lingua vernacula, typis publicis descripta est, sub titulo *Pontificis Fojadæ vita & gesta*. Corpus in summo choro Templi D. Virginis in sepulcro D. Palladii compositum: novo imposito cippo, cum hac inscriptione:

Hu.

Ejus tam patuli recubat sub tegmine busti,
 Non modo PALLADIUS sed quoque RESENIUS:
 Sicut utriusque fuit spiranti Spiritus unus,
 Unica sic ambos nunc tegit urna viros.
 RESENIUS post PALLADIUM dum vixit in orbe
 Claruit, ut lumen, perstitit ut columen.
 Præclarus patrii Doctor fuit ille Lycei,
 Sæpius ejusdem Rector & ille fuit.
 Multos ille fuit Præsul Sædlandicus annos,
 Zelo pro cælo præditus eximio.
 Lutheri fuit ille sui sincerus amator,
 Ejus sincerus quin imitator erat.
 Numine quàm plenus fuerit, quàm lumine plenus,
 Enthea scripta docent, Enthea facta probant.
 Christus eum cælo redivivum sistet, ut illic,
 Qui fuit hic lumen, stella sit usque micans.

P. W. D.

Monumentum aliud ei positum inter duas columnas in
 Septentrionali chori latere, quod hæc exhibet:

Job. 14. v. 6. Ego sum via, veritas & vita. Symbo-
 lum Ora & spera. יהוה יראא In nomine D. J. C.

Venerabili Viro D. JOHANNI PAUL. RESE-
 NIO C. in Regia Academia olim Magist. Profess. Public.
 Logic. annis 6. Hinc Doctor. Profess. S. S. Theolog. ibi-
 dem annis 6. Tandem Episcopo simul Sædland. & Canoni-
 co Roëskildensi una annis 23. & mensibus 2. Qui natus

Aa 2

2. Feb.

2. Februar. An. 1561. obdormivit in Domino An. 1638.
 14. Septemb. Bis Marito, & ex prima conjugē BARBARA Andr. Laurentii f. 4. liberorum Patris: Postrema Conjux ANNA ELIÆ EISENBERGII F. cum Superstite filio D. D. JOHANNES RESENIO & Filia ANNA D. D. Nicolai Paschasii, Mæstis. posuit.

Etiam Monumentum habet in Templo Scholæ Herlovianæ, hujus inscriptionis in marmore Dlandico parietis infixio.

Memoriæ Viri Incomparabilis D. D. JOHANNIS PAULI RESENI, Ecclesiarum Sædlandiarum Episcopi, & Regiæ Academiae Hauniensis Professoris Theologi. Is Herlovianæ pietatis admirator, Scholam hanc an. 1627. binis Alumnis argento gravi redemptis locupletavit, pondereq; pari stipendiū V INSTRUPIANUM, Studioso Dano in exteris Academiis se exercenti hinc erogandum, auxit. Evergeta eximius & Illustribus meritò adnumerandus, cætera quoq; maximus: ingenio felicissimo, judicio acerrimo, memoria firmissima, doctrina omnis generis stupendâ, facundia expedita, animo in adversis infracto, in sententiis incorruptissimo, laboribus officii indefesso, Zelo pietatis ardentissimo, innocentia vitæ sanctissimo, cum pari in literatos & orphanos munificentia, octuagenario propior, Hauniæ anno 1638. animam Servatori reddidit, relictis ibidem Templo Academico exsuvias mortalibus, Orbi fama & exemplo, ac Scholis & Ecclesiis summo sui desiderio, hic
 etiam

etiam honorarium meruit, exspectans solidiorem operum
mercedem in Resurrectione Justorum. P.P. Ecclesiastes ac
Præpositus PAULUS JANI COLDING. 1639.

Uxori priori Roëskildiaë defundæ, & in Templo
Cathedrali sepultæ, ipse Monumentum hoc posuit.

D. M. E. P. S.

Conjug. pientiss. dulciss. beatiss. BARBARÆ D. An-
dr. Laur. F. quæ, ut nata erat Roëskildiaë 8. Mart. an.
J. CH. 1578. ita ibidem placidè exspiravit 29. Octobr.
an. 1601. Vid. longè mæstissimus JOHANNES
PAUL. RESENIUS.

BARBARA cara nihil minus at quàm BARBARA
conjug

Dic age, te careo? vel magè non careo?

Civis sum Christi, non BARBARA, care marite,
Spiritus ante Deum est, corpore forte cares.

Corpore forte cares mortali hoc: ast, ego quæ sum
Corpus cum Christo, corpore forte cares?

Ergo quæ talis, seu quatenus intima Christi
Sponsa es: te totam jam tenere teneo.

Nam te Christus habet, tu Christum, me quòq; Christus,
Christum ego: per Christum nos sumus ergo simul.

Cum Christo juncti sincerè animoq; fideq; ,

Ex carne illius nos sumus una caro.

Quos junxit Christus, qui vita est certa, beatos

Dividere hoc unquam mors neq; se va potest.

*Mirandum fœdus, miranda hæc vincula cunctis;
Corpus mirandum maxime Christe tuum.*

BARBARA RESENI, magis & post fata, Mariti

RESENIUS magis est BARBARA cura tuus.

Maxima sed restat conjunctio tempore, quo post

Tecū erit æternum BARBARA RESENIUS.

Scripta.

Disputationes Logicæ variæ. Haun. in 4.

Grammatica, Logica, Rhetorica, Nomenclator, pro Scholis puerilibus. Haun. in 8.

Scholia succincta & facilia in Arithmeticam Gemmæ Frisii. edita à Petro Gelstrupio. Viteberg. apud Sam. Seelfisk 1611. in. 8. & ibidem apud Zach. Schurer.

Initia Geometrica, seu in Euclidem Isagoge Compendiosa. Viteberg. apud Schurer. 1612. in 8. edit. à Johanne Knofio.

Biblia in vernaculam linguam translata. Hauniæ 1607. & cum Notis marginalibus Hauniæ 1647. in 4.

Commentarius in Novum Testamentum totum, excepta Apocalypsi.

Commentarius in Epistolas Pauli & Canonicas, geminus, diffusus pariter & substrictus, in usum Apparatus Evangelici, pro ut eo ordine nonnullis scriptæ censeantur.

Catechesis Lutheri, ex unis ferè Lutheri explicationibus polita.

Jubilæus Christianus. Haun. 1617. in 4.

Lutherus Triumphans in annum 1645. productus. Hauniæ 1617. in 8.

Partitiones Evangelicæ, in quibus compendio subjiciuntur.

untur oculis *Ἀγρυπώσεις* rerum seu historiarum, & harmoniæ verborum seu textuum ex IV. Evangelistis, prorsus per omnia, in locis suis. Hauniæ apud Sartor. 1626. in fol.

De sancta fide in Verum Deum, & quem ille misit Jesum Christum, cum veri Catechismi Lutheri vindiciis simul, contra quasdam calumnias Nestorianicas &c. libellus Apologeticus. Haun. apud Sartor. 1614. in 8.

Disputationes quinque de Gratia Universalis pro D. Nic. Hemmingio, contra Joh. Piscatorem Theologum Herborensem. Haun. in 4. ab an. 1615. ad an. 1620.

Disputationes duæ de Verbo Domini quod manet in æternum. Hauniæ 1626. 1630. in 4.

Disputatio de Agapis, quarum mentionem facit Judas v. 12. Haun. 1600. in 4.

Disputationes 4. de illustr. Gratia Dei ex Epist. ad Tit. c. 2. an. 1601. 1603. 1604. 1605. Haun. in 4.

Disputatio de Deo Triuno. 1609. in Haun.

Disputationes 2. de uno Mediatore Dei & hominum. 1611. 1612. Hauniæ in 4.

Conciones in publicis supplicationibus proponendæ. an. 1617. 1619. 1621. 1625. 1629. 1631. 1639. Item Funebres.

Catechismi Lutheri minoris Visitatio, Lingva Danica. Haun. 1628. in 8.

Concio de vita Laudatissimæ Reginae ANNÆ CATHARINÆ versa in Lingvam Latinam à Professore M. Hermanno Nicolai. Francofurt. 1614. in 4.

De Locis Communibus Theologicis Philippi, & eorum diversis formis seu ætatibus, vera narratio necessari- aq; Haun. 1620. in 4.

De officiis Studiosorum Reg. Acad. Hauniensis. Haun. 1611. in 8.

Exe-

Exegetis Aphoristica Paradoxi, quod Christus pro nobis factus execratio. Gal. 3. 13 Haun. 1608. in 4.

NICOLAUS KRAGIUS Ripensis

In album Universitatis inscriptus an. 1567. Rectore D. Johanne Albertio. Magister Artium, Rector Ludii literarii Hauniensis constitutus est an. 1577. ab Academia Professoribus, quibus id injunxerat Rex Serenissimus an. 1576. d. 31. Decemb. Vacaverat enim aliquandiu Rectoratus Ludii literarii: binis interim Academiae Professoribus per vices quotidie in illo docentibus. Inde J. U. Doctor, Regius Historicus, & ad Professionem Graecam receptus est an. 1592. Uxorem habuit Kionnam, cum qua divortium fecit, natis sibi ex ea filiis duobus: quorum unus in Hispaniam cum commendatione Jesuitarum missus est an. 1604. Alteram postea duxit uxorem ELISAM MULENIAM viduam M. Ivari Bartolini, è qua liberos suscepit aliquot: ex quibus Ivarus albo Universitatis inscriptus à Patre Rectore, postea Ecclesiae Rusticanae in Fyonia pastor fuit: & filia Maria M. Jacobo Jacobæo Lectori Theologiae in Gymnasio Othiniensi nupsit. Decanus Facultatis Philosophicae designatus est an. 1596. Rectoratum gessit an. 1601. Creationi Rectoris interfuit Rex CHRISTIANUS IV. cum fratre HULDARICO, Cancellario & aliis Aulicis. Rector novae Collegii domui tum absolutae, solenni oratione encænia fecit, solennitate illa publico programme pridie indicta. Inde, variis Regio nomine obitis Legationibus, ex ipso Rectoratu, Praeses Scholæ Soranae factus est an. 1602. Calend. Januar. ut in illo secessu Historiam Danicam ad colophonem perduceret. Sed obiit eodem anno 1602. die 14. Maij. Scri-

Scripta.

De Republ. Lacedæmoniorum libr. 4. apud Petr. Santandreamum, 1593. in 4. De quibus hoc est judicium Pontani Chorogr. Dan. descript. p. 786. *Nic. Cra-
gius Legum ac Juris Consultus clarissimus, nec minus
Lingvarum, & Græcæ præsertim, haut proletariè pe-
ritus, eam Hauniæ non modò publicè docuit; sed ejus
quòq; egregium specimen edidit, publicando atq; omnium
usui judicioq; exhibendo 4. de Rep. Lacedæmoniorum li-
bros multiplici ut lectione, ita eruditione refertos &c.*

Heraclidæ Pontici de Politis libellus Latinitate dona-
tus.

Excerpta Johannis Stobæi, seu Collectanea ex Nicolai
Damasceni de Moribus Gentium Universalis Histo-
ria.

Historia CHRISTIANI III. Regis Daniæ. M.S.

Theses Physicæ. 1592.

Titi Livii sententiosè dicta. Haun. 1582. in 16.

Panegyricus CHRISTIANO IV. Regi dictus in de-
dicatione Novi Auditorii Academici. Haun. 1601.
in 4.

JOHANNES STEPHANIUS Lollandus

Magister Artium, Rector Scholæ Sorensis factus anno
1588. die 3. Junii. Discessit inde an. 1597. die 8. Maij,
vocatus ad Professionem Logicæ in Academia Hauni-
ensi, successurus M. Johanni Resenio, Theologiæ Pro-
fessori constituto, Decanus Facultatis Philosophicæ de-

signatus an. 1603. Baccalaureos 29. renunciavit. Recto-
 ratum gessit an. 1607. Procurator Templi D. Virginis
 fuit ab an. 1604. usq; ad an. 1608. Uxorem habuit AN-
 NAM D. Petri Vinstrupii Episcopi filiam; è qua illi na-
 tus Stephanus Stephanius, qvi postea Historicus Regius
 & Professor Eloqventiæ in Academia Sorensi fuit. Illa
 mortua duxit an. 1614. CECILIAM Jonæ f. An. 1608.
 ex Rectoratu Præses Scholæ Sorensis ad Calend. Maji
 constitutus est. Cessit illa administratione an 1623. cum
 jam in eum locum introducta esset Academia Regia &
 Eqvestris, quæ Præsidentem ex Eqvestri Ordine requirere ju-
 dicabatur. Vixit igitur postea Roëskildæ, cujus ac Ri-
 pensis Capituli Canonicus erat. Obiit Roëskildæ.

Scripta.

Disputationes Logicæ variæ, Hauniæ in 4. habitæ 1602.
 1603. 1605. 1606. 1607.

Theses de materia formaq; Artium communi. 1603.

Plurima de Arte Musica, cujus haud mediocriter gnarus
 erat, quæ M. S. filio M. Stephano reliquit, necdum
 publici juris facta.

LAURENTIUS NICOLAI SCAVENIUS

Magister Artium, Rector Scholæ Hauniensis fuit an.
 1590. Ad Professionem Pædagogicam vocatus est an.
 1594. Notarius Academiæ an. 1599. Pastor Ecclesiæ
 Amagriensis an. 1600. Inde Episcopus Stavangriensis
 an. 1605.

CUNRADUS ASLACUS

Natus est Bergis in Norvegia an. Chr. 1564. 8. Junii,
 Pa

Parentibus honestissimis, Aflaco Magni, & Christina Jacobi. A Christi Spiritu per lavacrum aquæ in verbo statim renascitur. Sexennis autem fidæ Dn. Thomæ, Concionatoris Bergensium, curæ erudiendus traditur. Privatam autem hancce educationem cum publica Scholæ patriæ anno exacto commutavit. Ubi postquam ad annum ætatis suæ 14. boni & industrii Discipuli partibus probè esset defunctus, svasu & hortatu Reverendorum & optimorum virorum Dn. D. Johannis Skelderupii & Dn. Andreæ Coldingensis, jam orphanus de Dania seriã cogitationem suscipit, ut & ibi animum suum bonis artibus ac moribus informandum traderet. Malmogiam igitur Scanorum accessit an. 1578. in cujus παιδαγωγίᾳ quinquennium cum semisse exegit. Verum ubi ea doctrinæ & honestatis fundamenta posuisset, quibus majora & altiora tuto superstrui posse putavit, ulteriore seposita cunctatione & deliberatione nomen suum in hac Academia primum professus an. 1584, die 27. April. Rectore Dn. D. Nicolao Theophilo, ac Decano M. Johanne Sasceride, in civium Academicorum numerum relatus est. In qua qualiter se habuit testatur Stipendium, quod propter indolis bonitatem, quam in ipso agnoverunt, & propter optimam, quam de eo conceperant, spem atq; exspectationem, Capituli Bergensis Antistites in ipsum contulerunt. Sed ut ingenio erat vivaci, & maximarum rerum capacissimo: ita non uni studiorum generi se adstrinxit; sed ex omnibus flosculos quosdam decerpfit, quos sibi in succum & sanguinem aliquando converteret, & ex quibus unum aliquod eruditionis corpus effingeret. Quapropter an. 1590. id sedulo egit, ut in familiam Nobilissimi Viri, Tychonis Brahæi, Atlantis Danici admitteretur, cujus favore & gratia ita eti-

am ad triennium gavifus est, ut in rebus Mathematicis non tantum multum profecerit, sed literis etiam illius commendatitiis liberalissimum Clementissimi Regis stipendium, quo se in exteris aleret, impetraverit. Cui quoque; ut tanto melius se pararet, supremam in Philosophia laurum, an. 1593. Decano D. Andrea Kragio, non tam ambivit, quam exambivit. Et interea temporis ea edidit ingenii sui specimina, & præclara eruditionis suæ documenta, ut à Malmogiensibus & - - de Rectoratus Scholastici munere sit sollicitatus. Sed animus alienum solum jam moliebatur: quod quoque; dicto anno, Comitibus Viris Nobilissimis & Generosissimis, Joanne Sparre & Otthone Stenonis Brahæo, adiit. Et ita quidem adiit, ut doctior & melior an. 1599. inde redierit. Sexennium itaque; patrium solum reliquit, & variarum exterarum nationum moribus & institutis lustrandis atque; cognoscendis impendit. Primum enim Teutonas salutavit, & ex iis Rostochienses, Vitebergenses, Herbornenses, Sigenenses & Heidelbergenses. Illinc Basileam accessit, & Helvetiam omnem, ac in ea Laufannam ad fines usque; Italiæ peragravit. Recta hinc in Galliam ivit, & Genevæ, Parisiis atque; Aureliis aliquantum substitit. Post Galliam Anglia ipsum excepit: ubi visis ab eo præcipuis oppidis & arcibus, Oxoniensem atque; Cantabrigensem Academiam in primis invisit. Scotiam sicco pede non præterit, sed in ea Edinburgum, Andreapolin, & Letham adiit. Unde in patriam solvit, & anno proximè nominato, non sine extremo vitæ discrimine in Norvegiam appulit, ac tandem circiter Martini festum Calundburgum terminum itineris sui posuit, ubi Parenti Generoso, Generosum suum filium Otthonem Brahæum ab exteris reducem stitit. Tempus jam advenit,

quo

quo is studiorum & exantlatorum laborum fructus non modò in patriam protruderet, sed ipse etiam persentificeret minimè pœnitendos. Quocirca an. 1600. discedente ex Academia M. Laurentio Scavenio, Professorum munus in literata hac Rep. ipsi commissum est: quod ea fide & dexteritate usq; ad obitum administravit, ut non pauci ex disciplina ejus prodierint, qui maximo patriæ bono ad Ecclesiarum & Scholarum gubernaculum federint. Interea non Lingvas solum, Latinam ab an. 1600. Græcam ab an. 1602 post D. Nicolaum Kragium, & Hebræam, quæ ad ipsum sapientiæ sacrarium viam pandunt, sexennium, & quod excurrerat, hic docuit; sed Divina quoq; Elogia, ab an. 1607. post D. Georgium Dybvadium, summa facilitate & perspicuitate tradidit: quorum etiam Doctor, opera Theologi & Episcopi Sædlandiæ vigilantissimi Dn. D. Petri Vinstrupii, an. 1607. 22. Octob. publicè proclamatus est. Dum in Facultate Philosophica erat, Decanus designatus an. 1605. Baccalaureos 36. creavit. An. 1603, ad sociam vitam animum appulit, sibiq; in matrimonium desponsavit Virginem, castitatis, pudicitia, & aliarum virtutum, quæ istum sexum mirè commendant, fervantissimam **BARBARAM**, **OLAI** Martini Consulis hic Oppidani filiam. Conjugium ipsorum tam faustum & felix voluit Deus, ut sextuplici prole illud fœcundarit, tria mascula, & totidē femella. Filiarum Catharina M. Christiano Johannis f. Professore Gymnasii Othinensis: Christina D. Claudio Plumio, Professore Hauniensi nupsit. Rectoratum Academiae non sine maxima molestia gessit an. 1614. 1620. Hi sunt termini, intra quos vita ejus cogi potest: quàm si dignè æstimaverimus, illius aliis plurimum, sibi minimum impendit. A primo

enim suo in hanc Academiam accessu, aliis prodesse non desit, illisq; quantum in se erat, bono exemplo præi-
vit. Loquuntur hoc publica exercitia, sub præsidio Cla-
rissimorum in hac Academia virorum ab ipso habita: lo-
quuntur hoc publica ipsius Scripta, quorum struem ex
divite ingenii sui penu produxit. Vir fuit, cujus vultus
ad modestiam erat compositus, sermo ad suavitatem, le-
nitatem, humanitatem, affabilitatem: incessus ad man-
svetudinem, & universus corporis habitus ad decorem.
Controversiæ Coccianæ non sine periculo involutus fu-
it, prolatis literis, quas ad ipsum de Thesibus Resenii
D. Lubinus Rostochio, & David Paræus Heidelbergæ
scripserant, ipseq; Coccio tradiderat: ideoq; ad Comi-
tia Coldingensia ipse quoq; citatus est. ubi rogatus à
Rege 1. an theses Resenii ad Lubinum & Paræum misis-
set, sanctè dejeravit, nunquam à se id factum. 2. an quid
haberet contra Resenium, primo affirmavit; sed obji-
ciente Resenio ipsi Nestorianismum, & exponente su-
am mentem, postea negavit se quicquam adversus Re-
senium habere. An. 1623. die 29. Decemb. febrilis hor-
ror universum corpus ejus occupavit, & ita in miserum
illud animæ tegumentum sæviit, ut ardorem per omnia
membra, & in dextro pede virus suum exseruerit: quod
ipsum viribus exhaustum, morti, quam vitæ viciniorem
reddidit. Quocirca ex animo omnem hujus vitæ curam
seposuit, ac de alia maturè sibi cogitandum vidit. Fame-
licæ itaq; animæ suæ de salutari pabulo prospexit, & sa-
cratissimo Jesu Christi Sospitatoris sui Testamento, be-
nedicti Corporis & Sangvinis Sacramento, 31 Januar.
usus est, ut brevide alio vitis genimine in cœlestis Patris
sui regno cum beatis illis mentibus biberet. Cujus quoq;
initium fecit 7. Febr. an. 1624. quando cis nonam ma-
tuti-

tutinam beatam illam animulam suam, salvifica in Christum fide, efflavit. Atq; ita cœli hujus literarii Sol, sexagenarius occidit. Funus publico programme à Rectore Academiæ D. Casparo Brokmanno indictum est. Sepultus est in Templo D. Virginis extra Australe chori latus : ubi monumentum illi positum cum hac inscriptione :

Memento mori.

Viro Reverendo & Clarissimo Dn. Doctori CUNRADO ASLACO Bergis Nortvegorum anno 1564. nato: insigni verò Ecclesiæ damno Hauniæ Danorum an. 1624. denato: S. S. Theologiæ in Academia Hauniensi Professore primario, Marito desideratissimo, sex liberorum Parenti optatissimo: cui amorem & obsequium vivo amplius testari cum non posset mæstissima Conjux BARBARA OLALF. intemeratum in demortui ossa affectum, hoc qualicunq; monumento, testari voluit, invita licet istud Marito præstet officium, quod sibi à Marito exsolvi unicè optasset. Tu quisquis hæc legis, memor mortalitatis tuæ, æternitatem meditare. Tum subjungitur locus ex Daniel. c. 12. Hebræo sermone.

Scripta.

Disputationes de Mundo tres. in 4. De Siderum Ortu & Occasu Poëtico. Haun. in 4.

Disputationes Theologiæ, De Sacra Scriptura & Dei cognitione 2. De Creatione 3. De Libero Arbitrio 2. De Peccato 3. De Immanuele nostro, vero Deo & vero

vero homine , in una indivisa persona &c. De statu Christi Θεανθρώπων 2. Haun. in 4.

De Immanuele nostro D. Jesu Christo dissertatio Theologica 4. membris comprehensa, quorum 1. est de duabus Jesu Christi naturis. 2. de duarum naturarum unionem hypostatica. 3. de unitarum naturarum communione. 4. de communicatione Idiomatum & operationum Divinarum. Francof. 1620. apud Berner. in 8. Danica lingua hic quoque; liber editus est Hauniæ in 8. apud Henr. Valkirk.

Tractatus de natura Cœli triplicis. Herborn. in 8.

Physica & Ethica Mosaica , duobus libris tradita: quorum 1. Physica Christiana generalis & specialis de rebus creatis. 2. Ethica Christiana continetur. Hanoviæ apud Vechel. in 8. an. 1613.

Oratio Theologico-Historica de Religionis per Lutherum reformatæ origine & progressu in Germania , & ejusdem in Regnis Daniæ & Norvegiæ ab an. 1517. ad an. 1617. plantatione , irrigatione , propagatione & conservatione &c. Cui annexa est Tabula Chronologica & Historica breviter exhibens præcipuas res tum in Dania , tum in exteris ab an. 1517. ad an. 1621. gestas. Hauniæ apud Henr. Valdkirk. 1621. in 4.

Oratio in obitum Dn. Christiani Frisii de Borreby Cancellarii Regii. Haun. 1616. in 4.

Orationum & Sacrarum Homiliarum decas. Haun. 1610. in 8.

De Electione. Haun. 1612. in 8.

De dicendi & differendi ratione lib. 3. Hauniæ 1612. in 4.

Grammatica Hebræa libr. 2. comprehensa.

JONAS

JONAS JACOBI VENUSINUS

Natus est in insula Porthmi Danici Vena seu Hvena. Magister Artium, Pastor fuit Ecclesiæ S. Hospit. Haunniæ. Inde an. 1600. de voluntate Regiæ Majestatis, & consilio Magnifici D. Cancellarii ad docendum in hac Academia vocatus, suffragiis quoq; Professorum communibus Physicæ Professor est designatus. Præstito juramento statim ad consilia admissus, locum proximè supra M. Stephanium occupavit. Postea deliberatum fuit de loco illi assignando inter Professores. lecta est Fundatio, & visum Professoribus, ut locum occuparet secundum senium, proximè infra Stephanium. Simul aliquandiu utrumq; munus Professoris & Pastoris administravit. An. 1602. Eloquentiæ & Historiarum Professionem suscepit, Historiæ scribendæ post D. Kragium illi demandata provincia. Eodem anno Facultatis Philosophicæ Decanus designatus, Magistros XIII. creavit. Uxorem habuit primo AGATHAM M. Johannis Sacerdis f. quam duxit an. 1580. deinde illa an. 1588. defuncta, CATHARINAM Dankeri f. viduam Johannis Alexandri Lælii, Canonici Roëskildensis, matrem celebris Medici M. Tancredi Lælii. An. 1606. Regem CHRISTIANUM IV. in Angliam ad invisendum affinem Regem Magnæ Britannicæ JACOBUM navigantem ut Orator & Historicus Regius comitatus est. An. 1607. Cal. Maji præficitur Administrationi Scholæ Sorensis. Obiit an. 1608. die 30. Januar.

Scripta.

Theses de Beatitate hominis. Haun. 1602.

Dissertatio de Historia. Haun. 1604.

Theses de Fabula, quæ pro Historia sæpissimè vendita-
tur, quæ deprehendenda, & quàm sollicitè, caven-
da. Haun. 1605.

Disputatio de comparanda Eloqventia. Haun. 1606.

Theses, quibus expenditur, quæ sit vera & genuina Pla-
tonis sententia de Nobili illa Quæstione, Sit ne mun-
dus factus, an verò æternus. Haun. 1602.

Secunda in Timæum Platonis exercitatio, qua asseritur
Universum cum tempore cœpisse, neq; Deo coæter-
num esse. Haun. 1603.

Vive le Roy CHRISTIANO IV. Regi. Haun. 1600.
in 8.

CHRISTIANUS JOHANNIS Ripensis

Magister Artium creatus an. 1594. à Decano Facultatis
D. Thoma Finkio : Stipendio Regio in Exteris vixit.
Vocatus ad Professionem Pædagogicam an. 1602. Eo-
dem anno Professionem Mathematicam adiit, M. Jo-
hanni Erasmo succedens : Eam an. 1607. commutavit
cum Græca, M. Aflaco succedens. Et hanc cum Diale-
ctica an. 1608. post M. Stephanium : quando etiam E-
thicam docere jussus est. Decanus Facultatis Philoso-
phicæ designatus an. 1606. Sex Magistros : & an. 1609.
Baccalaureos 27. creavit. Ex Decanatu an. 1610. 15.
Januar. Episcopus Alburgensis constitutus est. Uxorem
habuit MEDEAM THEODORI F. Obiit an. 1643.

Scripta.

Theses de Climatibus & Parallelis. Haun. 1608. in 4.

Theses Philosophicæ. Hauniæ 1607. in 4.

JO-

JOHANNES JANI ALA- NUS

Natus est in oppido Ala prope Lauholm in Hallandia an. 1563. 18. August. honestissimis Parentibus, Jano Eskilli & Benedicta Laurentii f. Ubi verò paternæ ædes ter incendio conflagrant à Militibus Svecis accensæ, stante tunc temporis diuturno illo bello, quod Danis cum finitimis illis intercessit, puer admodum cum Matre una venit in Sædlandiam, statimq; curam ipsius, Divina providentia, suscepit Nobilissima Domina, Dn. Birgitta Góe, conjux Illustris & Generosi Viri Dn. Herlufi Trolle, Dn. de Herlufsholm: cui multis etiam annis servivit mater fidelissimè. Hæc animadvertens in ipso singularem indolem, eum primo Herlovi-Holmiæ aliquandiu, & post, partim in Cœnobio Ring in Cimbria, partim in arce Aakiær, quæ ibidem est, cum aliis nonnullis privatim in bonis literis & pietate Christiana informari curavit diligenter, tandemq; vicissim in Illustris & publicam Scholam Herlovianam, à se & Marito suo piè & laudabiliter fundatam remisit, ubi, sedente tunc ad clavum Reipubl. istius literariæ D. M. Johanne Michaëlio, post Reg. Maj. Informatore fideli, per decennium, tanta diligentia & sedulitate fundamenta posuit veræ Eruditionis, quam superstrueret, ut an. 1582. dignus inventus sit, qui in numerum Studioforum Regiæ hujus Academiæ, cum laude & fructu, reciperetur. Ita ergo consilio & auxilio Nobiliss. D. Stenonis Brahæi, circa festum Paschatos anni præsignati, Rectore D. Dn. Andrea Laurentii, Theologo, & Decano M. Petro Haggæo, in Civium Academicorum numerum relatus est:

est: à quo tempore, magnam in studiis adhibens industria & in vita integritatem, in hac Academia vixit per sexennium: nemini interea gravis, sed omnibus potius, Præceptoribus autem vel in primis carus & acceptus quàm maximè. Exacto sexennio, ita volente & sumtus suppeditante præfato Stenone Braheo, Vitebergam missus est an. 1588. quam etiam, visa prius Academia Rostochiana, in studiis Theologicis pariter & Philosophicis proficiens laudabiliter, incoluit per triennium: quo exacto in patriam revocatus est. Hinc secundò in Germaniam, comite Generolo Joanne Braheo, Illustr. Petri Braheï de Krogslund filio, abiit, & primo quidem Helmstadii annuo commorabatur spatio: ac post per Hassiam & vicinas Provincias, Marpurgensi in itinere, ne utiqvam sicco pede præterita Academia, Basileam Helvetiorum profectus est, ubi tantundem temporis studiis insumsit. Hoc cum effluxisset, cum aliis nonnullis, inter quos Principes facilè fuerunt, Magnificus & Illustris Dominus Jacobus Ulfeldius, Regni Daniæ postea Cancellarius, & Illustris ac Generosus D. Albertus Skeilius, Regni Daniæ postea Consiliarius, fontes Rheni ac Thermas Helveticas iultravit, reflectens ita vicissim Basileam. Postea per mediam Helvetiam profectus est Genevam, ea in primis intentione, ut lingvæ ibi Gallicæ cognitionem sibi acquireret: in qua Civitate, non sine magno periculo, propter hostem Sabaudum, qui illam maximo conatu oppugnavit, sed brevi tamen post re infecta illinc discessit, solidum annum exegit. Eo autem ex votis absoluto, per Burgundiam, Basileam tertio rediit, & post Argentinam venit, unde Spiram descendit. hinc Heidelbergam, ac inde Vormacio Francofurtum, expeditisq; negotiis, Heidelbergam vicissim se-

contulit, ubi permansit ad tempus vernum anni 1593. quo jussus erat cum Nobili suo Discipulo proficisci in Italiam. Hanc igitur, stato tempore, versus se convergens, per Alsatiam iterum & Helvetiam, conscensis Alpibus, Mediolanum profectus est. inde Lodi, Crema, Bressia, Verona, Venetiis probè visis, Patavii per annum substitit, ubi Discipulus ejus Italicam Linguam cum Hispanica una, magna ex parte sibi familiarem reddidit. His expeditis, Ravennam, Ferrariam, Bononiam, Scarperiam, Florentiam, Lucam, Senas pertransiens, Romam tandem accessit, ibiq; Antiquitates exploravit per aliquot septimanas. Illinc per Viam Appiam, non sine vitæ periculo, Neapolin se recepit, unde in Siciliam transvolasset, nisi Classis Turcica, quæ tunc in mari Mediterraneo vagabatur, ipsum absterruisset. Contentus itaq; Neapolitano itinere, per montem Panfilippum rediit Romam, illincq; primo per Occidentalem plagam Italiæ Genuam venit, ac tandem per Lombardiam vicissim Patavium reversus est an. 1595. 27. April. In quo itinere varia loca invisit, varias Academi-
as lustravit, variosq; hominum mores observavit diligentissimè. Seqvente anno, bona cum gratia, à Discipulo suo dimissus, Venetias rediit adhuc, ac inde per Carinthiam, Croatiam, Stiriam, Moraviam, Poloniam, Silesiam & inferiorem Saxoniam, in patriam reversus est, ob eximiam eruditionem, magnam experientiam & singularem modestiam, omnibus & singulis longè acceptissimus: posteaquam apud Exteros novem egisset annos laudabiliter pariter & utiliter. An. 1597. vocatus est ab Illustri & Generoso Haraldo Hvitfeldio, Regni Daniæ Cancellario Magnifico, ad publicum docendi munus in Illustri Schola Herloviana, e qua jam ante quindecim

annos Discipulus exiverat : quod ea fide & dexteritate quinquennio administravit, ut non pauci, nobiles pariter ac ignobiles, ex disciplina ejus prodierint, qui maximo patriæ bono ad Reip. Academiae, Scholarum & Ecclesiarum gubernaculum postea sederunt. Multis igitur in officio isto devoratis molestiis, commissum est ipsi Professorium munus in hac Academia an. 1602. Mense Julio. Cum autem necdum Magistri titulo ornatus esset, antequam docere inciperet, publico Professorum suffragio admissus & approbatus est ad gradum Magistrii in Philosophia, secundum Fundationem: quem mox eodem anno consecutus est, Rectore D. Johanne Pauli Resenio Theologo, Decano M. Jona Jacobæo Venusino. Et ita statim ad *λειτεργίαν γαμικῶν* animum adjecit, domumque in Decemb. duxit, virtute & pietate rara ornatissimam feminam, HELENAM MARTINI filiam, viduam Clariss. Viri D. Andreae Kragii, Professoris olim Physici in hac Academia: cum qua placidè & concorditer, sine liberis tamen ullis, annos vixit 13. Interea verò non tantum Linguam Latinam ab an. 1602. & Græcam primo ab an. 1608. & iterato ab an. 1621. cum Rhetorica ab an. 1607. & Logica ab an. 1610. distinctis temporibus docuit, verum etiam Theologica, quamdiu per ætatem valuit, religiosè proposuit. Piè autem defuncta priore conjuge, an. 1615. 24. Maji, ad secunda vota transiens an. 1617. duxit in uxorem moratam virginem GÖRELLAM, filiam præstantis Viri Dn. Christiani Jacobi, primo Senatoris, & post, Consulis Malmogiensis, quæ etiam unicum enixa est filium, necdum annum natum denatum. Carus erat omnibus & præcipuè Collegis suis propter pietatem singularem, excellentem doctrinam, morum integritatem insignem, antiquam fi-

dem

dem & magnam industriam, quam adhibuit, cum alias in officio, & Templi Academici inspectione, cujus Tutorem magna cum molestia decem annorum decursu ab an. 1613 ad an. 1623. egit: Tum in Academia summo Magistratu, quem an. 1613. & an. 1622. gessit: & Decanatus Facultatis Philosophicæ administratione, quæ quater, an. 1610. 1616. 1623. 1628. recurrens ipsum 32. Magistrorum & bis totidem Baccalaureorum Promotorem fecit. In priore Reſtoratu an. 1614. ad controversiam Coccianam dijudicandam à Serenissimo Rege CHRISTIANO IV. una cum aliquot Regni Senatoribus & Regni Episcopis, in Comitibus Coldingensibus adhibitus est. Eum diu multumq; hypochondriacis conflictatum affectibus, catharrus, confertim ad fauces profluens, divexare cœpit, circa principium Februarii an. 1631. quem Febris excepit, alternatim eum exagitantes, donec vires junctim prosternerent, ac tantis malis, ubi prius die proximè præcedente, participatione Corporis & Sangvinis Jesu Christi contra mortem æternam se præservaverat, morte placidissima, inter preces, tum ipsius, tum circumstantium, finem imponerent die 12. Mensis Februar. imminente jam hora 6. vespertina: Posteaquam, satur dierum, vixisset heic inter Mortales, jam immortalis, annos 67. & quod à mense Augusti anni 1630. excurrit. Funus Civibus Academicis à Reſtore D. Claudio Plumio publico Programme indictum est. Sepultus est in Templo D. Virginis pone Chorum, sub lapide, quem Sepulcro prioris uxoris imposuerat, & hæc inscribi curaverat:

Hoc est Sepulcrum, hæc pulcrum, pulcræ femine HELENÆ MARTINI Hauniensis, quæ stirpe honestissima,

stissima, Connubio spectabili, primum CRAGIANO, post ALANO, pia, pudica, proba, Matronarum decus, mundum ut immundum despexit, Solium beatorum solum suspexit, Animam beatam Deo reddidit, anno Christi 1615. Maij 24. ætatis 49. Incomparabili Matrone, & matri BENEDICTÆ LAURENTIANÆ vicinæ JOHANNES JANUS ALANUS P. P. M. P.

Scripta.

Disputationes Logicæ XI. ab an. 1610. ad an. 1621. Haun. in 4.

Disputatio Philosophica Miscellanearum Qvæstionum. 1624. Et altera. 1625.

Theses de Sermone, & proinde de Nominum ratione & Lingvarum diversitate. 1608.

Disputatio de Sermone, qua agitur de Lingvarum utilitate, & Dialectorum apud Græcos varietate, cum ejus Gentis origine. 1609.

Ad Criminationes Johannis Goropii Becani & aliorum similium objectas Saxoni Grammatico, Responsio brevis. 1627.

Disputatio de Gentium quarundam ortu, primatu, præcipue de Cimbrorum ortu, & migrationibus, donec in hisce oris confederint. Haun. 1628. in 4.

CLAUDIUS JOHANNIS JEGERUS

Natus est Hauniæ an. 1565. Patre Viro Rev. & Clariss. M. Johanne Thomæo, Pastore Ecclesiæ D. Virginis Hau-

Hauniensis, Matre Magdalena Matthiæ f. Vixit in exteris Academiis annos 13. & interea director studiorum & peregrinationis fuit Nobilissimorum juvenum 1. Otthonis Banner. 2. Georgii Skougaard. 3. Tagonis Tot, Erici f. & Christophori Ulfeldii, qui duo postea Equites Aurati & Regni Daniæ Senatores fuerunt. Magister Artium, Professor Pædagogicus factus est an. 1602. Inde Pastor Ecclesiæ Amagriensis post M. Laurentium Scavenium an. 1605. Uxorem duxit è Gynecæo Sereniss. Reginae ANNÆ CATHARINÆ MARINAM, Jani Torbernii, Regiæ annonæ Scribæ, filiam an. 1605. suscepitq; ex ea liberos utriusq; sexus VII. E filiis, Johannes Patri in munere Pastoralis successit: Thomas Ecclesiæ Aversiensis, & Christianus Hellelandiensis in Norrighia, Pastores facti. Filia Anna M. Christiano Taufano, Episcopo Stavangriensi nupsit. Obiit an. 1639. ingressus annum ætatis 74.

GELLIUS SASCERIDES

Natus est Hauniæ anno Christiano 1562. die 3. Martii: Patre quidem M. Jano Sasceride, illatebratæ eruditionis Viro & Hebrææ Lingvæ Professore publico: Matre verò Elisabetha, femina lectissima. Annum ætatis vix egressus 13. nomen suum in hac Rep. literaria professus pro Cive se gessit, & pro tali quidem, ut paucos habuerit, qui palmam doctrinæ pariter & virtutis ambigam ipsi fecerint, pauciores qui præriperint. Solido verò triennio in hac Academia exacto, Vitebergam concessit, ubi ab anno 1578. ad annum 1581. commoratus, viris Academicis industriam in re literaria plusquam Cleantream, omnibus autem amussitatam vitæ integritatem approbavit. In Scholis non tantum Philosopho-

rum & Medicorum assiduus & curiosus fuit, sed etiam eorum

Qvi docto æthereos signant in pulvere cursus,
 Quos pia sollicito deprendit pollice Memphis:
 quemadmodum Disciplinam Mathematicam pergraphicè Poëtarum optimus depictum vit. Quæ & causa fuit, quæ hominem impulerit, ut postquam è Germania redux, annum apud suos certis de causis substitisset, magnum illum Atlantem Tychonem Brahe adiret, totumq; sexennium apud eundem hæreret, quo scilicet tanti Doctõris ductu, quis certus in Astris Error, examusim condisceret. Nec vel tum Scholam Tychonianam deseruisset, nisi opimum & verè Regium Regiæ Majestatis stipendium juvenem in Germaniam retraxisset: quo quoq; stipendio an. 1588. benignè auctus, optimos quosq; suæ sectæ in Germania Magistros, in primis Basileensis Academiæ Æsculapios, adiit, audivit. In Italiam, Germania relicta an. 1591. cum nobiliss. Alberto Skeel, qui postea Regni Senator & Maris Præfectus fuit, profectus, antiquitate præsignem Romam, illam nobilem, illam cultam & amænam Neapolin, amicam Musis Bononiam, & eadem laude insigne Patavium, maris Dominam Venetias, cæteraq; illa terræ fama & Scriptis inclytæ, visu dignissima loca vidit, trivit, quædam etiam diutiuscule inhabitavit. Basileam tandem reversus, tanquam Mysteriorum Hippocraticorum callentissimus, summos in Medicina honores inibi anno æræ Christianæ 1593. solenniter est indeptus: quo ipso quoq; anno in patriam rediit, Canonicus Capituli Lundensis, & Medicus Scaniæ ordinarius an. 1598. designatus. Ætate autem & annis jam accrescentibus animum ad vitam sociam adjecit, compositissimorum virgine ANNA, spe-

ſpectatiſſimi Johannis Schytonis, Viri Senatorii, filia in uxorem an. 1599. ducta: quæ ipſa eam imbecillitati gentis noſtræ ſubminiſtravit fulturam, ut maritum, Deo foecundante, ſex quidem filiabus, filio verò uno, annis non ita multis bearit. An. 1603. in Ordinem Profeſſorium cooptatus, publica munia Spartamq; concreditam ita adminiſtrabat, ut vaſtum illud & prodigioſum Viri ingenium, admirandam illam & ſtupendam induſtriam, accuratum illud & divinum judicium Docentes pariter & Diſcentes profundum ſint admirati. Nec prudentia in eo ullo jure deſiderabatur, quæ tanta fuiſſe fide minimè ſubleſta memoratur, ut in eum hoc Cratini meritiſſimo uturpari poſſet,

Κεράεα διασὰ φέρει, ὀφθαλμοὶ δ' ὄκκ δριβμαῖοι.

Cujus etiam prudentis ſapientię præclarum ſpecimen an. 1609. dedit: nam Magnificus Academiæ Reſtor, (qui honos non niſi egregiè cordatis yiris contribui ſolet) præſignato anno deſignatus, publicum bonum ea cura & ſucceſſu accuravit, ut dignus fuiſſet, qui æternùm accuraret. Talem ergo d. 9. Novembr. an. 1612. ſub inclinationem mediæ noctis,

Vitæ pauſa ſequuta eſt:

aut, ut voce magis Chriſtiana dicatur, in cœleſtem Academiã cooptatus, in Jeſu Chriſto placidè obdormivit. Funus Civibus Academicis programme publico à Reſtore D. Leonhardo Metznero indiſtum eſt. Sepultus in Templo D. Virginis.

Scripta.

Diſputatio de Spiritibus & calido innato. Haun. 1607.

De Corpore humano. 1609. De Rebus non naturalibus in genere, atq; in ſpecie de Aëre. 1610. De Ali-

mentis. 1611. De Excretis & Retentis 1612. De Elementis. 1604. De Humoribus Corporis Humani. 1605. De Partibus similaribus. 1606.

CHRISTIANUS LONGOMONTANUS

Editus est an. 1562. hora pom. 2. in Parœcia Longomontana Cimbriæ, à qua nomen traxit, loco solitario, & quidem tunc vix vicinis noto, nunc verò propter tam eximii Viri natales, nulli non in hoc Regno audito: Parentibus Agricolis probis ac honestis, Severino Pauli & Marina Christiani filia. Annum natus & menses sex, volenti ac petenti amitæ Annæ Pauli datus est ab lactandus: apud quam hæsit in annum ætatis quintum. Post à suis receptus Genitorem amisit an. 1570. Mox Patruus Janus Pauli curam ejus suscepit, eumq; per annos sequentes tres, partim Præceptori cuidam Lymvicensi, partim parœciæ suæ Pastori tradidit informandum. Sed cum dcessent sumtus in studia impendendi, svasit ei Patruus idem, ut, repetito domestico lare, viduæ Matri, cum superstitionibus fratribus, in colendis agris & subigenda terra fidelem locaret operam. Ipse tamen ingenti incensus discendi desiderio, non despondit animum; Sed enixè à Matre contendit, pateretur sibi, quod cœperat, cum Musis porro commercium esse: quandoquidem ita ante obitum Pater decreverat. Mater, filii precibus ac voto quodammodo gratificatura, brumali tempore eum à rurali Pastore sivit erudiri: æstate verò appetente ad consuetas operas rusticas redire coactus est. Quod cum eum malè haberet, animadverteretq; ipse à fratribus sororibusq; ac consanguineis invideri sibi eruditionis fortunam, Deo fretus, cum reliqui festum Pentecostes an-

ni 1577. genialiter peragerent, arreptis vestimentis & libris, clam omnibus, discessit, Scholamq; Viburgensem 12. mill. inde distantem adiit. Eam Scholam totos undecim annos frequentavit, sub tribus Rectoribus, M. Jacobo Holmio, M. Petro Hógio, M. Christiano Foslio: quibus, propter indefessam in studiis diligentiam apprime carus erat. Nam præter Scholastica studia, quæ pertinaciter urfit, Matheseos quoq; suæ initia illic hausit à Matthia Huas, qui circa id tempus istius scientiæ cognitione optimè instructus, Viteberga in patriam redierat. Cum annum ageret ætatis 26. qui annus Christi erat 1588. in hanc Academiam advenit, & à Magnifico Rectore M. Johanne Aurifabro, post probatum Spectabili Facult. Philosoph. Decano M. Nicolao Scavenio, laudabilem in literis profectum, civitatem impetravit: actionum suarum & studiorum arbitro ac moderatore electo Dn. D. Andrea Kragio. Hic se Professoribus non minus reddidit amabilem, quàm fuit antea Præceptoribus suis, dum Scholæ alumnus ageret: ita ut non veriti sint eum anno sequenti Nobiliss. & Incomparabili Heroi Dn. Tycho Brahe, Daniæ decori, de meliore nota commendare. Substitit apud eum, primo Hvenæ in annum 1597. deinde Vansbeci, non procul Hamburgo per octimestre spatium: postremo in Bohemia, apud arcem Benaccensem, quæ Tycho ab Imperatore RUDOLPHO II. data erat sedes, integrum annum. Fuit eidem suo Heroi omni tempore intimus & acceptissimus, ita ut non sine desiderio & summa gratia, amplissimoq; viatico, commendatitiis etiam ad præcipuam Daniæ Nobilitatem literis, ab eo sit dimissus. Per intervalla ista, quibus à Domino abfuit, iter habuit per Germaniam & Poloniã, substititq; vel Gedani, vel Regiomonti, vel Ura-

cislaviæ, vel Vitebergæ, vel Rostochii, & ubiq; Fauto-
 res invenitæ Patronos summos, tam propter Tychonis
 familiaritatem, quam propter insignem & admirabilem,
 quam habuit in Astronomia, peritiam. Eum Uratisla-
 vienses suæ Urbis optarunt Mathematicum: Viteber-
 genses ad docendum in illa Academia bis acciverunt
 Professore: Rostochienses summis, quos largiri Fa-
 cultas Philosophica potest, affecerunt honoribus, eumq;
 exhortati sunt, ut apud se juventutem Academicam in
 Mathesi institueret. Quin ipse Cæsar RUDOLPHUS
 eum Tychoni substituere voluit Successorem. Sed po-
 stulatis illorum refragatus est semper, maluitq; Patriæ
 suæ, cui nascendi jure obstrictus erat, utilem dare civem.
 Et fuit sanè ei utilissimus, tam cum Viburgi Scholæ Re-
 ctorem per biennium ageret, quam omnitempore, quo,
 ab an. 1605. d. 5. Junii, in Professorū ordinē cooptat' est,
 & in primis ab anno 1607. in hac Academia Mathema-
 tica Professor tradebat. Sed & Scriptis suis, Patriæ non
 minus famam, quam suam, per omnes Europæ vulgavit
 provincias, & ad Persas usq; extendit. Quantam igitur
 in ejus morte jacturam fecerit Academia hæc, vident fa-
 cilè Eruditi omnes, quos nequaquam fugit, Astrono-
 mum ei vix inveniri parem. Quæ ejus in patriam me-
 rita, non ab ipso Serenissimo Rege CHRISTIANO
 IV. minus, quàm à tribus ordine ejus ArchiCancellari-
 is, hujus Academiæ Conservatoribus Dn. CHRISTI-
 ANO FRISIO de Borreby (cujus Herois domestica
 consuetudine, antequam Professionem adiret, biennii
 spatium gavissus est) Dn. CHRISTIANO FRISIO de
 Kragerup, Dn. CHRISTIANO THOMÆ SEE-
 STED de Stougaard, magnoperè æstimata fuerunt. Re-
 giæ erga eum Clementiæ evidentissimum argumentum
 præ-

præferunt **Canonicatus & Vicariatus Lundenses**, quibus illum, præter ordinarium stipendium, pro magnis lucubrationibus auctum voluit. Sed & aliorum in hoc Regno Magnatum summam expertus est benevolentiam: præsertim Generosissimi Holigeri Rosenkrantzii, cujus aliquando domesticus fuerat. In matrimonio habuit Venerandi Viri, Dn. Bartoli Casparidis, Concionatoris Malmogiani filiam, **DOROTHEAM**, D. Caspari Bartolini, Professoris Theologi sororem, virginem gratiosissimam & pudicissimam: quæ ei peperit par filiorum, totidemq; filias, & placidissime cum eo exegit iuxta sex. De tot tantisq; beneficiis non ingratus Deo, cum biennio ante obitum magis magisq; debilitari corpus suum, mortemq; instare sentiret, legavit in sustentationem Scholastici Adolescentis, qui e Schola Lymvicensi in Hauniensem transit, 300. Unciales thaleros. Per morbi tempus identidem salutari viatico, ad mortis iter feliciter ingrediendum, se instruxit. Cumq; indies feralem ictum expectaret, nullius terrore minus percellabatur, quàm ipsius lethi: donec tandem 8. Id. Octob. an. 1647. cœlestis vitæ plenus, piam animam Deo redderet. Funus tam sublimis ingenii Viri, hujus Academiæ pulcherrimi ornamentum, indictum est publico Rectoris Academiæ D. Laurentii Martini Scavenii programme. Sepultus est in Templo D. Virginis extra septentrionale Chori latus, ubi Epitaphium in pariete fixum sibi ac suis posuit, cum hac inscriptione:

D. O. S.

*Instaurata Astronomia Danica, inventa Cyclometria
vera, CHRISTIANUS LONGOMONTANUS
Professor Mathematicum P. sibi, liberis, & in primis Uxo-*

ri

ri suæ desideratissima DOROTHEÆ BARTOLINÆ Hoc monumentum anno Chr. 1638. F. E.

Lapidi vero Sepulcrali hæc incisa sunt :

CHRISTIANUS SEVERINI LONGOMONTANUS Cimber , Superior. Mathemat. Professor P. annis 40. Astronomiæ Danicæ interea confector, Cyclometria veræ primus repertor.

Nec non

B. DOROTHEA BARTHOLINA Malmog. carissima ipsius in annum 30. Conjux , pietatis , prudentiæ, & reliquarum virtutum sui sexus ac sortis, exemplum. quæ in Christo Jesu obiit d. 20. Mensis Junii, anni 1637. ætatis suæ 47. Hi una cum duorum filiorum præmissorum ossibus juxta positis , in certissimam spem beatæ resurrectionis ob sola Christi merita, hic recumbunt, & in pace quiescunt. Tum subjungitur locus Johan. c. 5.

Scripta.

Astronomia Danica, in duas partes tributa, quarum 1. Doctrinam de diurna apparente siderum revolutione super sphæra armillari Veterum instaurata, duobus libris explicat : 2. Theorias de motibus Planctarum ad observationes Dn. Tychonis de Brahe &c. itidem duobus libris complectitur. Amstelod. apud Guiljel. Janson. 1621. in 4. & apud eundem in fol.

Cyclometria è Lunulis reciproce demonstrata, unde tam Areæ, quàm Perimetri Circuli exacta dimensio, & in numeros diductio sequuta est, hætenus ab omnibus

bus Mathematicis unicè desiderata. Hauniæ apud
Henr. Valdkirk. 1612. in 4. & Hamburg. apud Fro-
ben. in 4.

Systematis Mathematici particula prima, Arithmetica
solutam duobus libris methodicè comprehendens.
Haun. 1611. in 8.

Inventio Quadraturæ Circuli. Haun. 1634. in 4.

Coronis Problematica ex Mysteriis trium Numerorum
&c. Haun. 1637. in 4.

Problemata duo Geometrica. Haun. 1638. in 4.

Disputatio de indole Matheſeos. Haun. in 4.

Admiranda operatio trium numerorum 6. 7. 8. ad cir-
culum vere multisq; modis in se suisq; quadratis men-
surandum: quorum analyſin primus animadvertens,
& nunc multo illustriorem reddens, Christiano, suo
ex filia nepoti, cum hæreditate sui nominis reliquit.
Hauniæ apud Sartor. 1645. in 4.

Theses summam Doctrinæ Ethices complectentes.
Haun. 1610. in 4. Et de Summo Hominis Bono ze-
temata septem. Haun. 1630. in 4. Et de Summo Ho-
minis Malo. Haun. 1630. in 4.

Disputationes 2. Philosophicæ de Philosophiæ origine,
utilitate, definitione & divisione &c. Haun. 1611.
& 1618.

Πεντάς Problematum Philosophiæ. Haun. 1623.

Problema contra Paulum Guldinum. Haun. 1638. in 4.

Rotundi in Plano, seu Circuli absoluta Mensura. Am-
stelod. 1644. in 4.

Ἐνέργεια Proportionis sesquitertiæ. Haun. 1644. in 4.

Controversia cum Pellio de vera Circuli mensura. Hau-
niæ 1645. in 4.

Caput tertium lib. 1. de absoluta mensura Rotundi

Plani, una cum Elencho Cyclometriae J. Scaligeri, &

Appendice de defectu Canonis &c. Haun. 1646. in 4.

Geometriae quaesita 12. Haun. 1631. in. 4.

Introductio in Theatrum Astronomicum. Haun. 1639.
in 4.

Disputationes Astronomicae 6. Haun. in 4.

Disputationes Astrologicae 4. Haun. in 4.

Disputationes 3. de Chronolabio Historico, seu de
Tempore. Haun. in 4.

M. CHRISTIANUS SEVERINUS LONGO-
MONTANUS CIMBER.

Anagramma à M. Johanne Christophori Graecae Lin-
guae Prof. P. metro inclutum.

ASTRONOMUS MAGNI VERE ES NUNC
INCLITUS ORBIS.

LEONHARDUS METZNERUS

Natus est in Civitate Anseatica & Imperiali Lunebur-
go an. 1571. 10. Junii: Parentibus honestissimis Andrea
Metznero, & Anna Krogera, Henrici Krogeri f. His
Parentibus generatus & sacro Baptismatis lavacro rege-
neratus, in tenella aetate, illis studiis, quibus ad pietatem
& probitatem pueritia imbui solet, à Parentibus piis &
probis domi tam diu informatus est, donec ad alias artes
discendas in Scholam Hamburgensem mitteretur. Sed
cum ingenii maturi excelsa indoles ad majora ipsum in
juventute statim invitaret, decimo sexto aetatis anno in
Illustrem Academiam Vitebergensem primum venit,
& integrum quinquennium ibi in bonis literis & huma-
nioribus studiis posuit. Postea celebritate studii Juris,
quod Lipsiae & Jenae tum temporis, ut alias, in primis
florebat, motus, illam biennium, hanc triennium non
sine

sine maximo fructu incoluit. Cumq; paulatim mature-
 sceret ætas, & cum ætate Juris studium & Prudentia, cui
 se totum dederat, Jurisprudenteribus hinc inde in Ger-
 mania salutatis, Academiam Basileensem tandem adiit.
 In cujus honorabili Juris-Consultorum ordine & colle-
 gio tantum profecit & obtinuit, ut summos in Jure Do-
 ctoratus honores, suo & Academiæ honore, honorificè
 retulerit. Hæc studiorum meta emensa, ad suos rediit,
 in itinere salutato Naumburgi fratre suo Henrico Metz-
 nero, Consule ejusdem Urbis prudentissimo, aliisque per
 viam negotiis expeditis, visendæ sororis & Sororii causâ
 Hauniam venit: Ubi aliquandiu commoratus, cum in
 Aula Serenissimi Regis CHRISTIANI IV. innotuis-
 set, à Consiliis in Archivo, quod hic Hauniæ est, Ger-
 manico, Regia Majestas ipsum sibi adscivit. Eoq; nomi-
 ne apud Exteros Principes ejus opera crebro usus est,
 præsertim cum in Magnum Moskovia Ducem Illustris-
 simus Princeps JOHANNES Regiæ Majest. frater eli-
 geretur, ipsum eo Regia Majestas ablegavit. Reversus
 ex longinqua & periculosa hac expeditione, pertæsus
 solitariae vitæ, animumq; ad conjugium applicans, in to-
 ri sociam sibi elegit Castissimam & Pudicissimam Vir-
 ginem ELISABETHAM Marci Hessi Consulis
 quondam Hauniensis filiam, nuptiis in hac ipsa urbe ce-
 lebratis an. 1603. mense Augusto. In quo conjugio, si
 non omnia ad nutum & votum suum habuit, tum vel
 hac in parte optimo sine frustratus est, quod 26. annorum
 spatio, nullos ex ea suscepit liberos. An. 1605. vacan-
 te in Academia Hauniensi Professione Juridica, in lo-
 cum ejusdem suffectus, integro decennio hanc provin-
 ciam, non neglecta priorè, laudabiliter administravit,
 donec an. 1615. Archivo Regis Germanico, cujus antea

Collega fuerat, præficeretur. Sed nec hic prætereun-
dum est, ipsum an. 1612. cum in Ordine Professorio es-
set, Rectoratus quoq; Academici officium sustinuisse:
In quo, ut & aliis suis honorum officiis, ita se gessit, ut A-
cademia vel hoc nomine memoriam ejus grato animo
coleret. Cum otio Academico cum jam gravissima Au-
læ negotia commutasset, nec à maximis & gravissimis ne-
gotiis postea immunis fuit. In causis enim Regni expe-
diendis, apud Regem Poloniæ, Electores, Principes, &
Civitates Germaniæ, cum Legatus prudentiam & fide-
litatem suam sæpius declarasset, tandem ad ipsam FER-
DINANDI II. Cæsaream Majestatem an. 1610. missus,
tantæ admirationi Imperatori Augusto fuit, ut Nobili-
tatis privilegia & insignia insigniter insignita, in signum
Virtutis & prudentiæ suæ inde reportarit. Domum au-
tem è legatione Bohemica reversus, ne Academicis re-
bus consulere plane oblivisceretur, ad Professionem Ju-
ridicam tum temporis vocato Clarissimo Viro Dn. Do-
ctori Claudio Plumio, ex Italia rectà redeunti (qui Pa-
triæ suæ promotionis honorem devoverat) Doctoris
quoq; titulos & honores, mandato Regiæ Majestatis an.
1621. conferre jussus, publicè & solenniter tribuit. Sed
quod in Viatoribus longo itinere defessis fieri solet, ut
ad quietem tandem se conferant: id laboribus & pere-
grinationibus fatigato D. METZNERO etiam usu ve-
nit, & valedicta Aula quietiorem vitam quæsit. Leva-
tus igitur oneribus suis prioribus, bona cum Regis sui
gratia, Flensburgum an. 1625. se contulit, ut ibi in Con-
siliis Ducatus Holsatiæ & Slesvici, cum opus esset, adhi-
beretur, donec turbis bellicis inde pulsus an. 1627. in
Novemb. Hauniam iterum venit. Hic jam mediocri va-
letudine usus, an. 1629. mense Majo in hemiplexiam in-

incidens continuè lecto adhæsit. Et videbatur morbus ejus non nihil levare, sed ultimus vitæ terminus instans, catharro suffocativo corpus debilitatum, sed salutari Corporis & Sangvinis Christi participatione antea præsum, die 25. Julii an. 1629. inter tertiam & quartam vespertinam levi negotio destruxit, postquam in hoc mundi ergastulo vixisset annos 58. & 7. hebdomadas. Funus indictum est publico programmate Rectoris Academiæ D. Caspari Erasmi Brokmanni. Sepultus est in Templo S. Nicolai Hauniensis.

Scripta.

Disputatio de Sponsalibus. Hauniæ. 1607. De Nuptiis. 1608. De adulterio & stupro. 1609. De Rerum divisione & acqvirendo earum dominio, breviter continens jura rerum sacrarum, religiosarum & sanctarum: item jura Maris, Universitatis, Piscationum, Venationum, Aucupiorum, Captivitatis in bello, & Thefaurorum, 1610. De Fidejussoribus & Jure Obstagii, Indlagger. 1612. De Injuriis & famosis libellis. 1613.

VULFGANGUS JOHANNIS RHUMAN

Natus est Coldingæ Cimbrorum an. J. Christi 1572. Patre Johanne Rhumanno, viro integerrimo, Matre Frokinda, spectatæ pietatis matrona. Hunc suum filium religiosissimi Parentes recens natum sacro baptismatis fonte tingi curarunt. Postquam autem eo ætatis pervenit, ut salutaribus præceptis, tenellus animus imbui commodè posset, eo mox omnem curam cogitationemq; optimi Parentes transtulerunt, ut non solum piis indies monitis rudem filioli sui ætatem ad devotam Nu-

minis reverentiam assuefacerent, sed & domestico, eoq; laudabili exemplo eundem præirent. Hoc modo intra patrios lares aliquvandiu educatus, Serenissimi Regis CHRISTIANI IV. clementissimo indultu atq; jussu, Regiæ Scholæ Soranæ alumnis adscribitur, ubi integrum sexennium literis humanioribus graviter impendit. Hinc præcoci ac divino ejus explorato ingenio, cujus igniculi varia jam eruditionis luce sparsim emicare cœperant, ad Illustrem Helmstadiensem Academiam summæ spei adolescens ablegatur, ubi Regis itidem, iisq; extraordinariis impensis aliud sexennium altioribus studiis ita se totum mancipavit, ut qui ante sui fecerat non exiguam expectationem, suorum tamen vota hinc rediens prætergressus videretur. Hac eruditionis non perfunctoriæ raræq; virtutis ejus fama permoti Viri Generosissimi Dn. Steno Brahe, Dominus de Knudstrop, nec non Nobiliss. Axelius Brahe, Dn de Elved, utriq; Senatorii Ordinis consortes. trium filiorum suorum, juvenum Generosissimorum, Basileæ tunc temporis studiorum causa ac equestrium exercitiorum, commorantium, studiis eum ac moribus præfecerunt. Sed cum paulo ante stipendium Regium, Regio mandato, propria virtute, omniumq; Clariss. Professorum suffragiis, adeptus esset, ad præscriptum diplomatis Regii apud Basileenses, cum in patria per celerem abitum minus liceret, Magisterii honoribus cum laude exornatus est. Qua autem industria, qua fide, quo studio hoc summun munus per integrum quadriennium in Helvetia, Germania, Galliis ac Belgio administravit, summus ille favor, quo illum hi ejus Alumni deinceps sunt prosequuti, luculento est indicio. & licet apud Generosissimos Viros Dn. Ericum Brahe, Dn. de Knudstrop & Brent.

Brentved, simul ac Nobilissimum Falconem Brahe, Dn. de Elved, nihil ex eo tempore frustra voluerit, tamen Generosissimi Dn. Georgii Brahe, qui post Eqves Aurtus & Regni Daniæ Senator fuit, erga Præceptorem quondam suum propensissimus favor, ad emortualem ejus diem illustriofî radio emicuit. Tandem in Patriam redux, Sereniss. Reg. Majestati operam suam, si quid in communem utilitatem conferre posset, quippe id munificentia Regiæ in solidum & unice adscribendum, humilimo offert obsequio: per Illust. è itaq; Heroë Magnificum Cancellariû Dn. CHRISTIANUM FRISIUM, Dn. de Borreby, commendatus Magnifico Rectori Dn. D. Petro Vinstrupio, Sædlandiæ Episcopo vigilantissimo, nec non reliquis Clariss. Professoribus, communi omnium suffragio, quæ tunc vacabat, in hac Regia Academia Professio, illi merito suo decernitur. Qua autem Sedulitate, Spartam hancce Philosophicæ Professionis interea integros triginta annos, Pædagogicæ an. 1607. Rhetoricæ ab an. 1608. Dialecticæ ab an. 1634. exornavit, illis non fuit incognitum, quibus rumoribus veritas anteponebatur. Interea designatus quinqvies an. 1612. 1620. 1624. 1630. 1636. Facultatis Philosophicæ Decanus juvenibus eruditis 37. primam lauream, & 87. legitimis Viris Magisterii gradum ac honores contulit, quorum pleriq; honoratissimas in Ecclesiis ac Scholis functiones administrarunt. Rectoratum gessit an. 1619. 1628. 1637. Uxorem duxit Virginem pudicissimam DOROTHEAM viri honoratissimi Johannis Matthiæ, Regis Serenissimi FREDERICI II. Cubicularii filiam: Qui defuncta, filia ex ea suscepta, & exacta temporis longitudo mora, vitæ solitariae pertæsus, ad secundæ vota transit, inq; matrimonium sibi adjunxit Virginem

à pie-

à pietatis & pudicitiae laude commendatissimam **BO-**
DILLAM M. Johannis Michaëlii, qui Sereniss. Reg.
 Majestatis **CHRISTIANI IV.** rudioribus præfuit an-
 nis, filiam, ex qua 16. annorum decursu octo suscepit li-
 beros. è quibus filius Johannes, Magister Artium, Ec-
 clesiae S. Clementis Arhus. Pastor & Præpositus est.
 Post hujus obitum quinquennium viduus mansit. Tan-
 dem verò, vergente ad senium ætate, ne aut sibi fida u-
 triusq; fortunæ socia, senectutisq; levamen atq; solati-
 um, aut teneris liberis mater deesset, an. 1631. matro-
 næ honestissimæ **DOROTHEÆ JOHANNIS** M. Ar-
 noldi Johannis in Gymnasio Lundensi quondam Theo-
 logiæ Lectoris relictae viduæ nuptias ambiit, quas & ex-
 ambiit. In hoc matrimonio trina illam prole Divina be-
 avit beneficentia, gemina femella, una mascula, quar-
 tam, eo moriente, mater in utero fovebat. Summo au-
 tem amore, caritate, mutuis officiis sex ferme annos in-
 vicem vixerunt. An. 1637. 30. Junii, Contagium, quod
 ædes illius funesta filiae morte infestavit, declinaturus,
 cum Conjuge ac liberis rus concessit, sed lethalis arun-
 do lateri ejus hærebat: proximo enim die quam illuc
 venerat, serpens virus altius se imbibisse, quam ut Me-
 dica manu ejici posset, sentiens, posthabita corporis cu-
 ra, animæ de salutari medicina mature ut prospiceret,
 voti summa fuit: Advocata itaq; ad se ejusdem pagi Re-
 verendo Pastore, sacratissimo Corporis ac Sangvinis
 Servatoris Christi epulo, animam in cœlestem jam pa-
 triam, relicta, quibus cingebatur Corporis exsuviiis de-
 migraturam, devota mente reficit: Sequentibus duo-
 bus diebus, quibus adhuc exitum moliebatur luctans
 anima, ea erat fortitudine, eisq; viribus, ut non solum
 sibi ipsi salutaribus sacrarum Scripturarum dictis susten-
 tan-

tando, sed & Conjugi liberisq; acerbo fletu ora fusè rigantibus consolandis abundè suffecerit, donec nocte diei 4. Julii circa horam 2. an. 1637. ætatis 65. Tertii Reſtoratus mense primo, piè ac placidè in Christo obdormiverit. Corpus defuncti Hauniam delatum, & Funere, per publicum programma à Pro-Reſtore D. Olao Vormio, indicto, conditum est in Templo D. Virginis.

Scripta.

Themata Philosophica, pro Magisterii Philosophici privilegiis consequendis. Basileæ an. 1602. in. 4.

Disputationes Rhetoricæ multæ. Hauniæ, ab an. 1610.

Disputatio de Congressu Vulgi. 1621. Miscellanea.

1625. De Pulcro. 1631. De Natura Logicæ. 1637.

Fori Romani Instructio nuda & facilis ex Aristotele.

1632.

HERMANNUS NICOLAI

Natus est in Sædlandia; in Curia Fórslóf, Præfecturæ Ringstadiens stanno à nato Christo 1570. mense Aprili: Parentibus optimis juxta ac honestissimis, Patre quidem Viro Reverendo & Doctissimo Dn. Nicolao Hermanno, Ecclesiæ, quæ ibidem est, olim Pastore fideli, Matre verò pientissima Matrona Marina Nicolai f. Hi ipsius Parentes, mox illum à Christi Spiritu per lavacrum aquæ in Verbo regenerandum tradiderunt. deinde illum in pietate & virtute, ac primis bonarum literarum rudimentis domi erudiendum curarunt, usq; dum ætatis annum attigisset undecimum. Postea missus est Adolescens ad Nobilem & Illustrem Scholam Herlovianam, ubi per sexennium fundamenta jecit ad veram

quam superstrueret eruditionem, non contemnenda. Cum verò in Nobili illa Schola per fundationem, quæ ultra sextum annum neminem gratis sustentari permittit, ad perfectionem illam, quæ ab idoneo Scholastico requiritur, studia sua perducere se non posse intellexit, de consilio & voluntate Parentum suspiciendorum, integrum adhuc biennium, in Schola Cathedrali, quæ Roskildia est, studiis Scholasticis infumere voluit, usq; dum talem se, ex iudicio tum aliorum, tum proprio, esse perciperet, qui proprio Marte studia Academica tractare posset. Ac ita venit ad Academiam hanc, cum annum jam implevisset ætatis 19. Civitate Academica statim suo merito donatus: in qua etiam magno cum fructu, in studiis optimarum artium & linguarum per sexennium versatus est. Hinc ad Regiam Scholam Sorensem vocatur, ubi Hypodidaseali partibus per triennium tam fideliter administravit, ut rudiuscula juvenus sua commissa fidei indies insignes in bonarum literarum studiis fecerit progressus. Et cum jam innotuisset singularis ejus modestia & insignis eruditio, addita pietate & prudentia, Illustri & Generoso Viro Dn. Georgio Fris de Krastrup, Regni Daniæ Senatori & Pro-Regi Norvegiæ, ab eo dignus judicatur, quem morum inspectorem & studiorum directorem, in exteris Academiis, tribus suis Generosis filiis Dn. Christiano Fris de Kragerup, postea Equiti Aurato, Regni Senatori ac Regis Cancellario magno: Dn. Biornoni Fris & Dn. Gregorio Fris, præficere non dubitavit. Cum iis igitur solido sexennio varias primum Germaniæ Academiis incoluit, ac post maximam partem Galliæ peregrinando perlustravit: in qua etiam peregrinatione duo Generosiss. juvenes Biorno & Gregorius Fris diem suum obierunt. Post domum

revo-

revocatus, ac bona cum venia dimissus, pro munere sibi commisso fideliter & feliciter expleto, ad Regimen Scholæ Asloënsis promovetur: cui etiam suam operam indefessam tribus annis, cum sua laude & puerorum emolumento, locavit. Tandem munitus literis commendatitiis, redit ad hanc Academiam, à quajam ante 12. annos prius discesserat, ea intentione, eoq; fine, ut pro exantlatis laboribus debitum honorem acciperet. Sed quid fit? Certè Vir hic eruditione jam clarus, non tantum, quod petiit, impetravit, verum & illud aliquid tanquam cumulus accessit. Non enim modo à Patribus Academicis non indignus judicatus est, qui Magisterii Philosophici & bonarum artium honores & insignia jure meritoq; reportaret, Magister creatus an. 1607. à Decano Facultatis M. Christiano Johannis Ripensi; sed & dignus habitus qui hic retineretur, cuiq; Professio Pædagogica, tum vacans in hac Academia, eodem anno demandaretur. In hac igitur Professione, cum aliquandiu fidelitatem & felicitatem suam in docendo Academicæ probasset, imponitur ipsi an 1610. d. 5. Mart. ut Sacram Linguam cum reliquis Orientalibus, quas callebat egregiè, doceat: in qua etiam Professione, & administratione Decanatus Philosophici an. 1613. 1619. 1625. creatis supra 100. Baccalaureis, officium fecit, quamdiu Deo ita placuit, summo cum labore summaq; industria: neq; sine insigni fructu multorum, qui non tantum didicerunt Linguam Sacram, cum Chaldæa & Syriaca una, ex prælectionibus publicis, sed & alias sæpe usi sunt ipsius opera in istis & aliis studiis privata. Interea verò animum ad conjugium applicare cœpit: quo fine etiam, Divini Numinis ductu & Parentum consilio, in tori sociam sibi elegit, piissimam ac pudicissimam Virginem

MARIAM PETRÆAM , honesti & honoratissimi Viri Petri Francisci S. R. M. olim Caduceatoris , & letissimæ Matronæ Catharinæ Johannis Sibneii filiam , nuptiis Hauniæ celebratis an. 1609. In hoc autem Conjugio , tanquam pietatis & concordia officina , duorum filiorum & trium filiarum , Pater factus est. Cæterum quod vitam ipsius attinet , ita versatus est cum singulis , tam in Academia ex numero Collegarum , quam extra eandem , ut conatus semper fuerit prodesse , quibus potuit , & nocere nemini. Habitavit in eo Spiritus Dei & mansuetudinis , qui etiam id effecit , ut amore in Deum & proximum declararit , toto vitæ tempore , se ne utiquam fucatum , sed verum & sincerum esse Christianum. Et quod ex eodem sibi inhabitante Spiritu scivit , in terra hospitium , in cœlis verò patriam verorum Christianorum esse , ad quam non nisi per mortem temporalem , quæ janua est vitæ , perveniri potest , ab illa sibi nunquam metuit : quin potius ita semper itineri huic cælesti se accinxit , tum privatim sacra legendo & meditando continuè , tum publicè conciones sacras cum singulari attentione frequenter audiendo , ac crebrius de Corpore & Sangvine Redemptoris sui Jesu Christi in Cœna præsentissimo , in fidei confirmationem ac peccatorum omnium remissionem , participando. An. 1629. lue grassante pestifera , cujus nonnulla indicia per dies circiter septem à 21. Septemb. præsenferat , sine omni gravi sensu vel morbi , vel mortis , quasi per somnum subito abreptus d. 27. Septembr. in non peccandi securitatem translatus est , anno ætatis 59. mens. 5. Funus Programmate publico à Rectore M. Vulfgango Rhumanno indictum est. Corpus conditum in Templo D. Virginis extra Chori valvas in Sepulcro Sebastiani Schvendii.

Scri-

Scripta.

- Disputationes 10. de Lingva Hebræa & Aramæa, Haun-
niæ in 4. De Lingva Hebræa in specie Spectata.
Theſes Philoſophicæ mixtæ , ſeptenario Qvæſtionum
numero propoſitæ. Haun. 1626. in 4.
Idea Lingvarum Aramæarum per Comparationem uni-
uſ cum altera, & utriuſq; cum Hebræa. Haun. 1627.
in 8.
Diſputatio de Fine Bonorum, ex Pſalm. 1. rectè conſti-
tuendo per comparationem cum eo , quia Philoſo-
phis eſt definitus. Haun. 1611. in 4.
Diſputationes 2. ex Eccleſiaſte Salomonis de Hominiſ
felicitate. Haun. 1613. 1616. in 4.
Diſputatio de Philoſophiæ Definitione &c. 1620, De
Cauſis Artium & Philoſophiæ. in 4.

CANUTUS BIESCHIUS

Natus eſt anno Chriſti 1575. Kertemundæ Fyonenſi-
um : Patre Jano Bieſchio, Matre verò Catharina Ca-
nutia, familia, ſi non generis ſplendore & intactis Ara-
bum gazis, ſaltem, illibata vitæ integritate, ſatis nota.
Poſtquam ad aliquam ætatulam adolevit, ut exercitiis
literariis habilis videretur, in Scholam patriam miſſus
eſt : in qua cum pluſculos annos, ingenii & melioris in-
duriæ ſpecimina edidiſſet, Scholã Kertemundensium
cum Gymnaſio Othinienſi, maturo ſuorum conſilio,
commutavit. ac poſtquam inibi in animi reſtauratio-
nem ſtudio valde pertinace triennium incubuiſſet, ad
Academiam hanc tandem fauſtiter appulit. In ea autem,
quamdiu Civis Academicus erat, ita verſabatur, ut
BIESCHII nomen, non tam ut hominiſ diligentis &

modesti, quam ut diligentiae & modestiae omnes usurparent. Inde magna assiduitate optimarum artium & verae pietatis succum juventuti in Schola Sorana instillavit. Postea ingenti sua laude Nobilissimis è Gente Danica juvenibus, svasu Maximi Virorum, Nobiliss. Oligeri Rosenkrantzii, suae fidei & fideli institutioni commissis, plusquam triennium in meliore animi cultu in praelustri Vitebergensium Athenæo præivit. Redux verò è Germania, summo juventutis bono ad clavum Gymnasii Othinensis Rector aliquandiu sedit. Interea an. 1607. Magister Artium à Decano Facultatis M. Christiano Johannis Ripensi creatus est. An. 1608. vocatus ad Professionem in hac Academia Pædagogicam, & an. 1610. ad Professionem Græcam, quadriennio, quo vixit, suam Academiae operam adeo serio probavit, ut non modo publica munia sedulus & alacer obierit, sed privatis Studiosorum commodis ita se insuper accommodaverit, ut nunquam quisquam discendi studio incitatus ad eum accesserit, quin recederet doctior & ad vitam sapienter instituendam paratior. Non enim amussinatam rerum cognitionem aucupabatur ad solam oblectationem, non ad vanam gloriolam, ut scire tantum videretur; sed ut alii in ejusdem participatum venirent. Sed ex omni censu bonorum, quibus BIESCHIUS admiraculum usq; suspiciendus fuit, nulla laus est comparanda cum pura fide, pietate & religioso Numinis cultu. Nam ut de ante acta vita nihil dicatur, quippe quæ merum Dei amorem semper spirabat: toto illo tempore, quo morbo correptus domi desedit, aut lecto affixus fuit, voces verè pias è penita mente emittebat, de Misericordia Dei, de Justificatione per Fidem in Christum, de Resurrectione corporum, & animarum Immortalitate,

te,

te, adeo ut jam tum diviniore vitæ primitias degustare videretur. Interdum vicem suam dolebat, quod ob exhaustas vires & dubiam valetudinem consuetis studiis & vitæ munibus incumbere ultra non liceret. Sanè in novissima concertatione, tanto robore & constantia munitum animum habuit, ut mortem adventantem fortiter sustineret. Quin & serio cum Apostolo exoptabat, maturè ex angusto corporis domicilio emigrare, & esse cum Christo: quem se propediem visurum esse addebat, sedentem ad dexteram Patris Omnipotentis, hoc est. in immerita sua Majestate & gloria. In qua etiam spe & plenissima persuasione animam 29. Julii, an. 1612. hora 6. matutina lenissimè exhalavit, cum sub mensis Junii initium ægrotare cœpisset. Funus publico programme à Rectore D. Leonhardo Metznero indictum est. Sepultus est extra australe Chori-latus in Templo D. Virginis. Epitaphium ei positum est in pariete fixum, status duabus utrinq; septum, cum hac inscriptione:

Deo Triumphantis Sacrum.

M. CANUTI BIESCHII Corte-Mundani memoria. Lector, quisquis ades, saxum hoc rogat, se adspicias: Nos, sapientiam tum ejus, quæ profunda Dei intimè, tum quæ exteriora proximè sapit, simulacra, testatum posteritati hic sistimus, M. CANUTUM BIESCHIUM, sapientiam ipsius utriusq;, quæ in ipso pariter, immane quam religiosa devotione, certabat, hoc ipso in loco, unde publico patriæ bono & saluti prolucet, funditur utraq;, lumen juxta & columen, ut rariss. ita desideratiss. inter mediam vitæ jam virescentis spem, mortalitati, quam immortalem

præ-

præstare natus ipse erat, desiderio frustratis longe plurimis ingenti suo, exemptum quicquid in se immortale, siquidem fas illud mortales flere, immature nimis patriæ præreptum, æterna memoria lugendum nobis, cælo intulisse, quicquid mortale in vitam æternam regenerandum, hic deposuisse: Id quod nescius ne esses, erigi nos fecit, qui ipsum dum vixit, dum vivit, sincero in spiritu amore constantissimè prosequitur OLIGERUS G. ROSENKRANTZ in Rosenholm. Tu Deo bonisq; vive & vale.

Simulacrum dextrum librum tenet cum hac inscriptione:

Scriptura dicto facta profunda Dei præsciens.

Subtus verò hæc leguntur:

Spiritus Sapiaentia, qui ex Deo, morti caput deterit.

Simulacrum sinistrum clypeum tenet cum hac inscriptione:

Clypeus dicto facta exteriora Dei cluens.

Subtus verò hæc leguntur:

Spiritus Sapiaentia, qui in homine, morti pedes stringit.

Sepulcrali lapidi hæc incisa sunt:

Seminatur corpus animale &c. 1. Corinth. 15. CANUTI BIESCHII in morte jam v. vi, quicquid terra hæc in vita mortuum habebat quondam, quicquid terra hæc in vitam regenerandum restabat ultra, interea dum mortale quicquid ipsius absorbetur à vita: Corpus, inquam, animale hoc clauditur lapide. Existentes in habitaculo &c. 2. Corinth. 5.

PAU-

PAULUS MARTINIUS²³³ OSTRUPIUS

Magister Artium creatus à Decano Facultatis M. Johanne Erasmi an. 1604. Rector fuit Scholæ Ripensis: unde ad Professionem Pædagogicam in hac Academia vocatus est an. 1610. Anno sequente 1611. M. Magno Matthiæ in Episcopatu Lundensi successit. E liberis, Martinus, Magister Artium Concionator fuit in Arce Hauniensi: Anna, M. Francisco Rosenbergio Episcopo Viburgensi nupsit. Obiit an. 1619.

CASPARUS ERASMI BROCH- MAND

Natus est Coagii an. 1585. d. 5. August. media nocturna undecima: Patre Erasmo Severini Consule Coagienti, matre verò Botilla Jacobæa. Servatori Jesu lavacro regenerationis insitus, & à peccatis sanguine Filii Dei nitidè emundatus, domi opera Parentum piè institutus est: ac tandem anno ætatis quinto curæ Rectoris Patriæ urbis M. Nicolai Matthiæ commissus, pietati ac bonis literis, quantum ferebat pueritia, sedulus operam dedit ad annum usq; Christi Jesu 1598. Quo quidem visum fuit optimis Parentibus eum à Schola patria in Herlufsholmiensem transferre: quam etiam ab anni 1598. mense Aprili ad annum 1601. Rectore Clarissimo Viro Johanne Alano, postea in Academia Hauniensi Lingvæ Græcæ Professore laudatissimo, frequentavit. Quia verò ingenium ejus pariter ac industria probabatur Scholæ Rectori, placuit eum Academica civitate à Rectore Magnifico D. Johanne Resenio donatum, in socium laborum assumere: quibus etiam docendi in Schola

partibus biennium, decursu anni 1601. & 1602. defunctus est. Cæterum cum Mater vidua (Parens enim vix pauculos menses supervixit, postquam in Scholam Herlufsholmiensem concesserat) ex usu ejus fore intelligeret, ut non tam aliis erudiendis vacaret, quàm ut ipse sibi de aliis, qui ipsum erudirent, prospiceret, concessit hortatu amicorum in Belgium, idq; anno 1603. circa solennia Sacri Spiritus, ac recta Lugdunum Batavorum ivit. Ubi postquam solidum triennium Lingvis & Philosophiæ impendisset, Academiam Lugdunensem cum Franeqverana Frisiorum commutavit, inq; ea biennium prope exegit, & Logicam, Metaphysicam, Physicam, Ethicam alios docuit, Thesibus non paucis in Collegio habitis, publica luce donatis. Redux in Patriam an. 1608. summis Philosophicæ Facultatis honoribus à Decano M. Ivaro Stubæo ornatus est die 17. Martii. Et mox prope solennitatem Paschatos vocatur ad Rectorem Scholæ Herlufsholmensis, Præsidente Viro honoratissimo Arnaldo Hvitfeldio, Regni Daniæ Cancellario. Cui officio, cum biennium, & quod excurrit, quæ potuit sedulitate, præfuisse, placuit Deo evocare eum Hauniam ad infimam in hac Academia Professionem, an. 1610. 9. Junii, præstito fidelitatis juramento die 21. Junii. Mortuo verò Clarissimo Viro M. Canuto Bieschio à Latinæ Lingvæ Professione ad Græcam evehitur an. 1613. die 15. Augusti. Quam Professionem biennium prope ubi ornasset, & interea designatus Facultatis Philosophicæ Decanus an 1614. Magistros 10. creasset, ex hac vita migrat D. Petrus Vinstrupius Sædlandiæ Episcopus: cui cum sufficeretur D. Johannes Pauli Resenius, ad Cathedram Theologicam, licet invitus, a Rege & Academia vocatur, anno 1615, die 30. Augusti.

Eo-

Eodem anno die 7. Decemb. Doctor Theologiæ publicè ab Ejus Facultatis Decano D. Johanne Pauli Resenio in Templo Academico creatus est. Seqventi verò anno præter spem omnem suam, arbitrato Augustissimi Regis CHRISTIANI IV. pueritię admovetur Florentissimi Principis CHRISTIANI, eamq; fovere & regere jubetur præceptis pietatis & literarum. Quam operam cum Regi & Principi suo quadriennio solido approbasset, benignè ac gratiosè dimissus, ad Academicam Spartam exornandam lætus redit. Quo munere cum alacri industria, annis tribus & viginti perfunderetur, & jam Summum in Academia Magistratum an. 1623. 1629. 1635. gessisset, evocatur ex hac vita ad veram illam D. Johannes Pauli Resenius: in cujus vacuam sedem Episcopalem à Regiæ voluntatis interprete Perillustri Domino Cancellario CHRISTIANO FRISIO de Kragerup, Ordinis literati Patrono, succedere jubetur. Is, qui neutiq; nesciebat, quid posceret Episcopus, Augustum Regem supplex adiit, eumq; infima qua potuit obtestatione cohortatus est, ut ejus Majestas dignaretur, ex formula & præscripto Ordinationis Ecclesiasticæ, prius in suffragia missis Dioceseos hujus Præpositis & auditis, statuere demum, quem omnium Regio suo & summo judicio, dignissimum tanto munere judicaret. Cujus petitionis æquitati cum Rex per omnia æquissimus gratiosè faveret, nihilo tamen secius, in eum invitum & repugnantem, an. 1639. die 19. Januar. conspirant vota omnium, jubeturq; à Rege iterum Perillustri Cancellarii literis implere id muneris, tantisper dum Serenissima Majestas Regia è Cimbria huc rediret. Tandem omninò, sic volente Jesu, præstito in arce Havnienfi juramento fidelitatis Serenissimo Regi, ejusdem

anni, die 13. Martii: ejusdemq; mensis die 17. sacro il-
 li muneri à D. Petro Vinstrupio Episcopo Lundensi in
 Æde D. Virginis initiatus est. Ad vitam sociam transit
 an. 1611. ducta lectissima Virgine SILIA ANTONII
 F. præclaris Parentibus Alburgi oriunda, quæ jam 13.
 integros annos in domo Perillustri Cancellarii CHRIS-
 TIANI FRIS de Borreby fuerat, nuptiisq; Hauniæ
 celebratis 24. Junii. Felix verò fuit conjugium, tum pia
 placidaq; morum conjunctione, tum terna prole, filiis
 scilicet duobus, & filia una. Quarum media & ultima
 in ipso vitæ limine extinctæ sunt. Filius autem natu
 maximus lætæ spei juvenis, quam Patri fecerat flexibili
 & miti indole, tum profectu literarum non poenitendo,
 postquam indulgentia Serenissimi Regis ei præbisset
 indubiam spem obtinendæ in Academia Hauniensi Lin-
 gvæ Latinæ Professionis, & jam tanto uberioris ingenii
 cultus capiendi causa, ex Belgio, ubi in Leidensi Acade-
 mia annos plures Lingvis accuratius discendis impen-
 disse, & in Angliam feliciter transfisset, placuit Deo,
 eum qui donaverat, reposcere an. 1638. ætatis 23. Cæ-
 terum, quanta fidei integritate, animi præsentia, man-
 suetudine Spiritus, interimq; ardore, ac vitæ innocen-
 tia & Scholas, & Ecclesias rexit, ambitiosè tradere in-
 ane est. prædicari certè vetuerat. Enimverò confesso
 omnium satis constat, virtute omni implevisse Episco-
 pum, qualem Paulus adornat, demtisq; plurium vitiis,
 quæ hominum tantum sunt, ideoq; Ministros Jesu Chri-
 sti dedecent, Virtutes prope omnium solas tempera-
 mento prorsum cœlesti miscuisse. Ad quam formam
 pietatis permultas Animas Illustres in domo sua, quæ
 quasi publica quædam, quoddamq; velut sanctitatis de-
 lubrum id ævi erat, instituerat, quarum plurimis debet
 suum.

sum decus Resp: cui ornamento fuerant. Sed & in eodem contubernio erudito ac pio habuit eminentium ingeniorum quasi aciem quandam : quorum alii sedes Episcopales, quidam sacros suggestus, Academicas nonnulli Cathedras, multa patriæ, multa Dei gloria implerunt & ornarunt. Quin imo dextra sua illa Spiritus Divini, dum vigeret, ministra, undecim Venerabiles Patres Ecclesiarum Episcopatibus in Templo Academico solenniter propter aram sacravit : eodemq; loci Sacerdotum Collegio ducentas, septuaginta & quatuor Animas inauguravit, vix uno aut altero postea, quod eque videm liqueat, exaugurato, tametsi rigidus sacrorum & vitæ exactor semper esset. An. 1636. M. Johannem Burkardum Episcopum Ripensem, M. Johannem J. Resenium Theologiæ Professore, M. Petrum Vinstrupium Concionatorem Aulicum: An. 1640. M. Jacobum Matthiæ Arhusium Concionatorem Aulicum, M. Nicolaum Pauli Scandorfium & M. Laurentiū Martini Scavenium, Theologiæ Professores: An. 1646. Dn. Ericum Monradum, Episcopum Ripensem, M. Johannem Svaningium Theologiæ Professore Hauniens. Dn. Georgium Vitzlebium Theologiæ Professore Sorens. Theologiæ Doctores renunciavit. Auxit hanc gloriam felicitas ea, quod Divina facundia Viri, quam, cum inauditæ dulcedinis esset, gratiorem audientibus tamen dicentis ipsius sanctitas fecit, tanta summis hominum visa sit, ut ejus unius ore, domi, foris, multus Divûm sanguis, totq; Animæ Regnatrices laudatæ sint. Ac primum quidem Illustrissimorum Ducum, ULDARICI, Regis FREDDERICI II. F. & ULDARICI Regis CHRISTIANI IV. F. Deinde Serenissimi Electi Principis CHRISTIANI Regis CHRISTIANI IV.

F. & novissime Incomparabilis illius, Divi Regis, & quo non alia ætas Majorem cognovit, Regnantium reliquorum Miraculi, CHRISTIANI IV. Sederant illa ei, ut sanè magnifica, ita tristitia: illa verò dies lætissima omnium, quas vita tota viderat, ac gemino gaudio beata & felix, quo inter secunda omnia Patriæ ac certantia vota sibi contigerat, Augustum Regni Diadema imponere Serenissimo & Augustissimo Regi Patriæ Patri, FREDERICO III. & Reginae Celsissimæ Patriæ Matri SOPHIÆ AMALIÆ, semper piis, semper felicibus, semper invictis, quorumq; annos de nostris Deus augeat, idq; Regnantis tum Senatus auspiciis, inq; Confessu tum Illustrum Principum, tum Oratorum, quo tum sanctior nullus, neq; ullus Augustior quacunq; sede terrarum spectabatur, & ille tamen medius cunctis, vice Dei, negotii tanti, quodq; ipse stupebat, Mitter. Quò opere edito, sanctissimus atq; optimus senex domum rediens, ac tanta salute Patriæ, tanta gloria lætus, quod intimè Deum orabat, utque esset novissimum, post illud immortale & Divinum factum, pauca mortalia, simile nihil fecit. Tum maturè memor incertorum hujus vitæ, paucis tradidit, quid se mortuo à suis factum vellet: certus superstites hæredes nihil derogaturos huic suo Testamento, quod ubiq; Gentium servari solet inviolabile: In eo primum de sua fide in Jesum Christum testatus, de suis exsequiis præcepit: deinde inter alia, Bibliothecam suam, quam habuit ex hisce perituris unam jucundissimam ac pulcerrimam possessionem, Academix Hauniensi legavit, ejusq; qualis quantæ solam eam hæredem, id est, ἐξ ἑλθ & ex asse instituit, scripsit, nuncupavit. Cui muneri ut promptissimè ipso vivente Hæredes faverant, sic boni uti Academia consuleret, faveretq; vicissim eorum

rum singulis; mortalium ejus votorum summa fuit. Porro quia Sanctæ illi Animæ ac Uxori, cum mediocritate opum optimè conveniebat, voto se pio ab Episcopatu obstrinxerant, ut quicquid opum reditus Episcopales cumularent, sublevandis pauperum necessitatibus sacraretur. Idquæ; votum quæ pietate nuncuparant, ea fide impleverunt. Hinc Scholasticis multis de victu singulis annis prospectum: hinc 7000. Imperiales thaleri in Nosocomium Vartoviense collati, pauperibus 14. senio & valetudine confectis alendis: hinc privata in alios pauperes exercita beneficentia, in primis in Bonarum Artium Studiosos, quorum indolem & ingenium, ut eorum erat accuratissimus censor, probarat. Quamvis & suam benignitatem Uxor superstes auxit, legatis 500. th. Imp. Sub-Bibliothecario Academico, & 1000. ejusdem monetæ Viduis Professorum egentibus: & totidem Scholæ Triviali Hauniensi. Cæterum medio Episcopatus sui, ut non omnia sibi, munere Dei, adversa habuit: ita gravia quædam satisquæ; tristia toleravit. Quæ, quod incolumi salute, quod integris honoribus, quod salva in judiciis superstitem ac posterorum dignitate superesset, quod denique monumento suo statueretur, macula nunc aliqua non atrox & niger, sed quasi nitidus & coronatus, id unum à Deo Opt. Max. & Regis sui Rege, id à uno Deo minore Rege suo Augustissimo FREDERICO III. acerrimo justitiæ Vindice, beneficium maximum fuisse semper prædicabat, sanctissimi ejus gravissimique; Senatus Regni, in primis verò Generosi ac Perillustri Cancellarii Regii Dn. CHRISTIANI THOMÆI de Stougaard, pariterque; Generosi ac Magnanimi Herois Dn. JOACHIMI GESTRUPII Pro-Regis honoratissimi, qui Viri constantiæ invictæ, neque; temporum

porum sed rerum, secundum eum litem dabant, cui innocentia favebat & æquitas, ac servum Jesu Christi publicè auditum, publicè defensum, ab omni suspicione infamiæ publica sententia vindicarunt. An. 1651. ejus indies valetudo gravefcere cœpit, neq; passibus æquis festinare ad ultima. Nam & sollicitare tum calculus iste tortor Eruditorum, citra dolorem tamen, stupentibus Medicis, præterquam quem ex curatione capiebat, langvescere stomachus, scorbutum accrescere. Hinc indies summa macies, summa defectio: neq; secius tamen in munia cuncta vigere animus: ipse ad ultimos quinque valetudinis dies assidere quotidie mensæ, sumere cibum exiguum, sumere tamen, distringi studiis, joculari, ridere, maxime tamen de cœlo loqui, idq; sine lacrymis raro, sed quæ gaudio fluerent. Per singula autem momenta valetudinis, expiatis palam liquida confessione humanitatis communis noxis, animam suam cœlesti epulo tertium Jesu Christo pignoravit. Verisimile autem non est, quæ in medio temporis Vir ille dixerit, quæ fecerit, quam in tranquillo fuerit. Cum verò non interminari, ut hætenus, sed urgere novissima Deum sentiret, Uxori, fratri, Amicis, Patruelibus, mediis tribus ad suprema diebus, eo ordine, quo forte intrarant, aut adessent, quæcisdam osculo, aliis dextra, aliis nutu, uti vires, ut occasio tulit, supremum Vale dixit, eoq; munere velut omni vitæ debito liberatus, fatigata membra rejecit, ac tota mente in Deum versus, nulla edita voce nisi rara, compressis propria dextra suis oculis, admirabile dictu, eodem corporis habitu, sicut valetudine tota consueverat, in quem se jacens primum composuerat, circiter sextam matutinam secundæ Paschæ feriarum, dubitantibus qui adfuerent, naturali hac morte, ut molli sopore solutus est.

est, an. Christi, 1652. ætatis 66. completo. Funus à Re-
ctore Academiæ D. Johanne Mullero publico program-
mate indictum. Oratione latina ei in Auditorio Acade-
mico parentavit Fratr̃is Filius, M. Erasmus Envaldi
Brokmannus, Eloquentiæ P. P. Corpus illatum se-
pulcro, quod vivus sibi fieri jusserat in Templo D. Vir-
ginis in summo choro: ubi ejus visitur Epitaphium in-
ter duas columnas fixum in australi latere, habens hanc
inscriptionem:

C. E. B.

ΕΝΟΣ ΧΡΕΙΑ. Luc. 10. v. 41. Sufficit mihi gratia
tua Domine. 2. Corinth. 12. v. 9.

CASPARUS ERASMI BROCHMAND, Sæd-
landiæ Episcopus, in Regia Academia Hauniensi Faculta-
tis Theologiæ Senior ac Decanus. & SILLIA BAL-
KENBURGIA conjux, sibi & tribus liberis piè defun-
ctis vivi posuere, anno Christi 1647, Ille vitam beatus fi-
niit an. 1652. ætatis suæ 67. Hæc autem piè obiit an.
1661. annos nata 80. Apocal. 22. v. 20. Veni Domine
Jesu, veni cito.

Lapis Sepulcri lamina ex ære colorato obductus est, cui
hæc sunt inscripta:

Monumentum.

Deo Opt. Max. & Æternæ memoriæ D. CASPARI
ERASMI BROCHMAND, Røeskildensis & Lun-
densis Canonici: qui postquam literas Romanas ac Græ-
cas an. 5. S. S. Theologiam 23. in Acad. Hauniens. in-
comparabili ingenio, fide, facundia docuisset; sed & me-

H b

diø

dio temporis in S. Palatium excitus C5. Adolescentiam sa-
 pientiae præceptis instituisset, Anno 1639. 19. Januar.
 invitus ad An. 14. S. Theol. Facult. Decanatum & Sæd-
 landiæ Episcopatum evectus est : in quo dum strenuè, sol-
 licitè, providenter, Academiæ, Ecclesiæ, Scholis, Pauperi-
 bus, seculo, Posteris, & copiosè, & undiq; consulit, contra
 vota bonorum omnium, & verissimis lacrymis, anno æt. 67.
 Conjug. 41. Sal. Publ. 1652. Paschaliū feriarum
 secunda, o miseriam! oriente Sole occidens, heic cum in-
 fantibus geminis & natu maxu. 22. an. CHRISTIANO
 CASPARO B. in ipsa hac Academia Prof. Eloq. destina-
 to placidissimè quiescens, solam concordissimæ Opt. Uxoris
 conjunctionem desiderat, ut mox & cum ea, & cum illis ex
 hoc loco resurgat. Id breve futurum est. Incompar. Ma-
 rito, Dulciss. Fratri, Indulgentissimo Patruo, piè opt. mer.
 Uxor, Frater, Patruales, heu infelices! unanimes posue-
 runt. In eodem hoc sita est Marita desiderata, verè optima,
 SILLIA BALKENBURGIA def. an. æt. 80. Sal.
 Publ. 1661.

Cave quisquis sies, ne unquam dehinc hoc sepulcrum a-
 perias, inquietes : nam tali semel surgere demtum est. con-
 quiescant pace. Deus Vindex.

Effigies ejus in Palatio Bibliothecæ Academicæ dedi-
 cata est, memoriæ gratæ ergo, ob legatam Academiæ
 Bibliothecam.

Scri-

Scripta.

- Disputationes Philosophicæ. Franeqveræ.
 Disputationes Philosophicæ. Hauniæ in 4.
 Propositiones Miscellæ Philologicæ & Philosophicæ.
 Hauniæ 1615. in 4.
 Disputationes de præcipuis Christianæ Religionis capi-
 tibus, privatim habitæ ab an. 1617. Hauniæ in 8. Prod-
 ierunt sub titulo Controversiarum Sacrarum Vol. 2.
 Haun. 1626. in 8.
 Disputationes Theologicæ plurimæ de Articulis Fidei.
 Haun. in 4.
 Vera de Hæresi doctrina Verbo Dei asserta. Haun. 1636.
 in 4.
 Commentarius in Epistolam Jacobi. Haun. 1641. in 4.
 Systema universæ Theologiæ, Didacticæ, Polemicæ &
 Moralis. Haun. 1633. in 4. Lipsiæ 1638. Ulmæ Sve-
 vorum. 1638. cujus multæ partes seorsim editæ in 8.
 Δύχνι⊙ λόγος Προφητικῆς oppositus Speculo Veritatis Pontifi-
 ciæ Christiani Vilhelmi March. Brandenburgensis.
 Haun. 1634. in 4.
 Apologiæ Speculi Veritatis Brandenburgici Confuta-
 tio. 3. Vol. Haun. 1653. in 4.
 Speciminis Scriptorum Ecclesiasticorum Exercitatio-
 nes 5. Haun. ab an. 1633. in 4.
 De Pontifice Romano. lib. 5. Haun. 1628. in 8.
 Systematis Theologici Epitome. Haun. 1649. in 8.
 De Passione & Morte Christi. Haun. 1639. in 12. Ling.
 Dan.
 Manus Domini seu Institutio pia è Verbo Divino de Pe-
 ste. Haun. 1625. in 12.
 Christiani hominis spirituale certamen. Haun. 1627. in
 12. Ling. Dan. H h 2 De

De Religione Pontificia. Haun. 1627. in 12. Ling. Dan.
Sabbati Sanctificatio. Haun. 1636. in 8. & 1655. in fol.
Ling. Dan.

Oratio funebris in Exsequiis ANNÆ CATHARI-
NÆ Reginae. Francofurt. 1614. in 4.

Oratio funebris in obitum Ducis ULDARICI Regis
FREDERICI II. filii; dicta è Suggestu Butzoviano.
Haun. 1634. in 4.

Oratio funebris in obitum Ducis ULDARICI Regis
CHRISTIANI IV. filii. Haun. 1633.

Oratio funebris in obitum Electi Principis CHRISTI-
ANI Regis CHRISTIANI IV. filii. Haun. 1649.

Oratio funebris in obitum Regis CHRISTIANI IV.
Hauniæ 1649. in 4.

Oratio pro Pace præter spem mirabiliter restituta, ha-
bita in Acad. Hauniens. Haun. 1629. in 4.

Oratio in obitum D. Casp. Bartolini. Haun. 1629. in 8.

Coronatio Regis FREDERICI III. Ling. Dan. Hau-
niæ 1650. in 4.

Adhortatio ad Resipiscentiam. Haun. 1644. in 8.

Conciones in publicis Supplicationibus proponendæ. in
8. an. 1644. 1645. 1648. 1650.

Conciones funebres.

CASPARUS BARTOLINUS

Natus est Malmogiæ Scanorum honestissimis & hono-
ratissimis Parentibus, Patre Viro Reverendo, Dn. Bar-
tolo Caspari f. primum ad S. Hospit. templum Hauniæ,
dein Malmogiæ Oppidano & Arcis fidelissimo Verbi Di-
vini Ministro: matre verò pientissima & pudicissima
Matrona Anna Erasmiade, anno à nato Christo 1585.
12. Februar. & statim per lavacrum aquæ in verbo pia-

Pa-

Parentum cura renatus. Vix trimus Præceptoribus bonis artibus & moribus piè informandus traditur. Qui ab illis, quæ ad pietatem & bonam mentem facerent, ita avidè mox hausit, ut supra annos & ætatem, anno ætatis suæ 11. contribulibus suis facem prætulit, & tam soluta, quam numeris devincta à se in omnium confesso memoriter, idq; Græcè & Latinè, habita non semel oratione, sui admirationem in omnium animis reliquerit, optimamq; apud omnes de se spè concitaverit. Nec spe sua frustrati sunt. Quinquennio enim inde, cum ille annum tantum ætatis suæ 18. attigisset, Civitate Academica donatus est, & absq; cortice natate didicit. Hinc biennium diurnis nocturnisq; studiis ita trivit, ut Rostochio Vitebergam veniens, anno ætatis 20. palmam cæteris sodalibus præripiens, humaniorum Artium & Philosophiæ Magister pronunciatus sit. Quos honores non ad aliorum morem ignaviæ tegumentum sibi esse voluit; sed necessitate adactus illos modestè ambivit, & suo quodam merito exambivit. Studiorum enim, in quibus ille se abdidit, nervis destituebatur, nec à quovisquam quicquam opis suo non sudore & indefesso labore partum habuit, nisi quod Venerandum Lundense Capitulum in singulos annos ad triennium cum dimidio 60. Unciales ipsi numeraverit. Quod gratissima etiam mente semper agnovit. Quocirca propria virtute & vigiliis emergere ille necesse habuit. Ne itaq; medium studiorum cursum abrumperet, deq; necessariis ut sibi prospiceret, facultatem publicè docendi Honoribus istis impetravit, & ita fragrantissimum vitæ & eruditionis odorem in primo ætatis flore spiravit. Vitebergam vero ad triennium incoluit, exiguum temporis si excipias, quod præcipuis Germaniæ, Bohemiæ & vicinarum Regionum

oppidis lustrandis & pervidendis impendit. Et quia ab ingenio ipsius prorsus alienum erat, patriæ suæ deses adherere, & non Cosmopolitam se testari, Europam prope univertant, & maximam partem pedes mensus est. Nec prima tantum patentissimorum Regnorum & Imperiorum limina salutavit; sed frequenti etiam Doctissimorum hominum consuetudine in illis usus est, ut doctior & melior inde rediret. Perlustravit enim nobilissimas Germaniæ Provincias, Civitates & Academias, Halam, Erfurdiam, Jenam, Casseliam in Hassia, Marpurgum, Giessam: deinde Herbornam, Coloniam, & Rhenum circumquaq; tum Juliam, Brabantiam, & aliquandiu Lovanii & Antverpiæ hæsit: ubi non sine vitæ discrimine à Militibus & Piratis pro exploratore habitus, captivus detinebatur. Inde in Flandriam venit, & Gandavum, Cortracum, Yperas, Dunkerkam adiit. Immensum esset singula oppida enarrare. Regiones & Provincias dum nominantur, præcipuæ in illis urbes dicuntur. Nec enim ille, sicut Canis de Nilo bibit & aufugit; sed singula pro summa ingenii sui sagacitate & capacitate indagavit. Quocirca in Germania Lipsiam, Coburgum, Bambergam, Noribergam, Altorfium, Rotenburgum, Heilsbrunnam, Onolsbachum, Herbipolin, Francofurtum, Heidelbergam, Ulmam, Augustam Vindelicorum, Argentoratum: In Batavia Amstelodamum, Enchysam, præcipuasq; Civitates adiit, & Leidæ aliquandiu substitit, cumq; Philosophis, Medicis & Theologis celeberrimis inibi familiariter conversatus est. Gallias etiam salutavit, & inde in Angliam rectà navigavit, donec Basileæ tandem an. 1607. Præstantissimos Medicos, Felicem Platerum, Casp. Bauhinum & Jacobum Zvingerum ipse amabilis in sui amorem pellegerat. Ubi, sicut

Vite:

Vitebergæ prius pro Facultatis Philosophicæ Adjuncto digne habitus est. An. 1608. per Helvetiam & Rhoeti-
 am, Genevam trasiens, Italiam appulit, ubi Bergamo,
 Bressia, Verona, Vicentia, Venetiis probe visis, Patavii
 hybernavit in Bacchanaliorum uq; , ut vocant, Festum,
 quando Ferrariam, Bononiam, Florentiam, Lucam, Pi-
 sas, Livornum, Senas pertransiens, Romam tandem ac-
 cessit, inibiq; monumenta perantiqua lustravit, & cum
 ipsius etiam Pontificis Medico D. Johanne Fabro in æ-
 grotantium morbos inquisivit. Illinc Neapolin se re-
 cepit, ubi Anatomica Professio honorificè satis ipsi obla-
 ta; sed inde piis de causis, non sine extremo vitæ peri-
 culo, quod Piratæ Turcici illi intentabant, in Siciliam
 perrexit. Quo haut minus de vita periclitabatur Ro-
 mæ, illuc reversus, ut sibi vitæq; suæ clam consulere ne-
 cesse omnino habuerit. Unde Perusinam Academiam,
 Lauretum & Anconam accessit. Anno per Christum
 natum salutari 1610. Patavium iterato reversus, inde
 profectus est Cremonam, Taurinum, Genuam: & in
 Gallias rediens, Marsiliam, Avenionem, Montem Pes-
 sulanum invisit, & oblatam in Sedanensi Academia Græ-
 cæ Lingvæ Professionem, more suo modestè recusavit,
 atq; ab Hispaniæ finibus Italiam repetiit, tandemq; Pa-
 tavium tertiùm venit, ubi non tantum Medicam praxin
 exercuit: sed nocturna diligentiq; cadaverum huma-
 norum Anatomia hanc Artem perficere conatus est,
 quod scripto suo Anatomico, quod multorum jam ma-
 nibus teritur, sæpius recusum, & aliquoties à Filio Th.
 Bartolino locupletatum, satis etiam abunde testatus est.
 Ubi cum aliquandiu insigne ingenii sui specimen edidis-
 set, trans Marcam Trevisanam, Forum Julii, Comita-
 tum Tyrolensem, Oenoponto, Monachio, Vienna in
 Au-

Aultria, Presburgo in Hungaria, Basileam rediit. Ubi ab experientissimo Medico D. Casp. Bauhino Medicinæ Doctor anno ætatis suæ 25. magna cum laude creatus, Vitebergam eodem anno petiit. Seqventi Holsatiam & Cimbram, nil nisi reditionem in exterar cogitans, perlustrare voluit. Sed literis præter expectationem Illustris Viri CHRISTIANI FRISII Domini de Borreby, huc vocato, Lingvæ Latinæ Professio demandatur. Quam quoq; provinciam sesquiannum insigniter tutatus est: donec anno Christi 1612. ad sociam vitam animum appulit, sibiq; in matrimonium desponsavit 22. Novemb. Præstantissimi & Excellentissimi Medici, Professoris in hac Academia Regia, Canonici Roëskildensis dignissimi, & Alumnorum Regionum Oeconomi fidelissimi filiam, castissimam & pudicissimam Virginem, ANNAM FINKIAM, quæ illum in hoc Conjugio, quod ad 17. annos productum, septem liberis, una filia Anna, quæ postea D. Jacobo Matthiæ, Episcopo Arhusiensi nupsit, & senis filiis, Bartolo, Professore Regio: Thoma, Medicinæ Doct. & Professore Honorario, Casparo, J. U. Doctore: Alberto Phil. M. Rectore Scholæ Fredericiburgensis: Jacobo Phil. M. designato, cum in Germania obiret, Professore Sorensi: Erasmo Med. D. & Professore, parentem fecit. An. 1613. Medico Experientissimo, qui fatis tunc concesserat, Dn. D. Gellio Saceridi successit, & Machaoniam artem fatis felici Regis, Principum, Nobilium, & aliorum morbo periculosè laborantium successu annis circiter denis, intra & extra Regni pomœria exercuit. Et interea ab an. 1618. in 1619. arduū illud Rectoꝛatus Academici munus laudabiliter gessit. Tandem an. 1623. in morbum non unum extremè periculosum simul & semel incidit, qui omni-

omnibus recuperandæ valetudinis spem ademit, quod morbis ex contrariis causis ortum suum ducentibus salutariter mederi nullus potuerat. Quocirca videns in humanis nihil tutum aut firmum esse, omnes mundi vanitates animo suo seposuit, votumq; Domino Deo suo imo corde vovit, studio potissimum Theologico reliquum vitæ suæ se impensurum, si forte sanitati pristinae restitueretur. Probe namq; tum didicit, nihil nisi hoc unicum esse, quod satisfacere Conscientiæ potest, si quando humanis omnibus destituimur. Et cum omnis humana vocatio Divinam debeat præsupponere: illa huic successit anno sequenti 1624. quando humanis exempto privato olim illius hic Præceptore, Reverendissimo Viro Dn. D. Cunrado Aflaco Bergensi, hic sanctissimus Dei vir statim surrogatur 21. Febr. quando in Theologum expetitur, & Clementissimi Magistratus consensu approbatur. Quo ipso anno valetudinis curandæ causa Thermas Carolinas cum Uxore adire urgebatur. Vestigia tamen gravissimi morbi in artubus & renibus semper relicta sunt. Nam ubi die 4. Junii, an. 1629. Magnus Academiae Rector secundo constitutus esset, & Regiam Nobilemq; Soranam jam 10. Junii die cogitaret, ut tenellæ suæ juventuti in ædibus Barserianis pestifero tempore partim consuleret: vis pristini morbi invaluit in itinere, & ad dictum Præstantissimum Medicum divertentis vires ita prostraverunt Colici cruciatus, arthritidis & calculi, ut corpusculum, misellum illud animæ tegumentum expugnaverint: ubi prius hic beatissimus Vir salvifici corporis & Sangvinis J. Ch. Reverendi admodum Viri S. S. Theologiæ Doctoris & Professoris eximii, atq; Concionatoris illic locorum Germanici opera, particeps factus esset. Et ita placidè & piè in Deo die

13. Julii circa nonam Vespertinam obdormivit an. 1629. ubi annos 44. exegisset, & 45. attigisset. Et hic finis, hæc meta laborum Sanctissimi Viri nunquam interruptorum: hic vitæ cursus, qui testatur illum sibi parum, aliis plurimum vixisse. Quod præ aliis edocet illud Regiæ Majestatis mandatum, cui in morem gerens Collegiis & Cathedralibus Scholis certa præscripsit per Univerſum Regnum Artium compendia, quibus juvenes inibi tenaciter adhærerent, ut feliciter in reliquo studiorum curriculo progredierentur. Ut taceam infinita illa felicissimi ingenii ipsius monumenta, quibus doctissimis quibusq; per universam Europam innotuit. Quo Regis sui animum ita sibi devinxit, ut pro tantis suis laboribus Canonicatum apud Roëskildenses gratiosè sortitus sit. Beneficentiam in Pauperes testantur legati Scholasticis aliisq; egentibus ab ipſo 200. Imperiales thaleri: quam superstes Uxor liberaliter auxit. Corpus defuncti Sora Hauniam translatum, & funus publico programmate à Pro-Rectore M. Vulfgango Rhumanno indictum est. Oratione Latina ei in Auditorio Academico parentavit D. Casparus Erasmi Brokmannus Theologiæ Professor. Concio in funere ejus in sacra æde habita à M. Jano Dionysio Jersino Pastore & Præposito, lingua vernacula typis publicis descripta est, sub titulo *Enochi Vita & mores*. Sepultus est in Choro Templi D. Virginis, & monumentum habet fixum in extrema Columna Septentrionali, cum hac inscriptione:

D. O. M. S.

CASP. BARTOLINO Malm. Theol. Med. ac
Philosoph. D. Reg. Acad. Haun. P. P. & Roëskild. Cap.
Canon. Ingenio Divino, differendiq; acumine, pietate, pru-
den-

dentia, justitia, integritate, singulisq; inserviendi voluntate, non domi minus 17. ann. in Art. Human. Med. ac Theol. Profess. Regniq; Gymnasis vel Regio jussu destinata industria: quam foris in meliore Orb. Europ. variis obitibus peregrin. & monum. editis nobilitato: Ex Reclura Acad. iterat. & honore & onere in cœlest. patriam immat. morte evocato, ANNA FINKIA cum 6. fil. & 1. filia superstes, amoris fideiq; conjug. & perenn. desiderii mon. B. M. P. C. M. Soræ obiit 13. Jul. 1629. cum annos vixisset 44. menses 5.

In lapide Sepulcrali hæc incisa sunt.

CASPAR. BARTOLINUS Theolog. Medic. & Philosoph. D. Acad. Haun. P. P. & Roëskild. Can. post varias peregr. & meditationum exantlatos labores, in hunc securæ quietis locum illatus, gloriosam resurrectionem expectat.

Scripta.

- Threnologia** in obitum ANNÆ CATHARINÆ
Reginæ Daniæ. Francof. 1614. in 4.
- Oratio** de Ortu, Progressu, & incrementis Academiæ
Hauniensis. Haun. 1620. in 4. & Vitebergæ.
- Rhetorica & Oratoria major.** Haun. in 12.
- Rhetorica & Oratoria minor.** Haun. in 8.
- Epigrammata Extemporanea.** Haun. in 12. & Fasciculus
Carminum variis in locis editorum. ibid.
- Janitores Logici bini.** Haun. in 12. 1622. & Viteb. 1612.
1616. 1623.

Disputatio Logica de Genere Syllogismi contra Scher-
bium. Haun. in 12. 1622.

De Quæstionibus mixtis contra Kekermannum. Haun.
in 12.

Logica major locupletata. Haun. in 8. 1625. Et sub tri-
tulo *Enchiridii Logici*. Argentor. 1608 & 1621. in 12.

Logica pro majorum Scholarum Classibus superioribus.
Haun. in 8. Et ante sub titulo, *Logicæ Peripateticæ*
Præceptorum. Viteberg. 1612. in 12.

Logica minor. Haun. in 8

Metaphysica major. Haun. in 8.

Metaphysica minor seu Enchiridion Metaphysicum,
Argentor. in 12. 1611. 1619. & Francof. in 8.

Enchiridion Ethicum. Haun. in 12. & Rostoch. 1616.
1635. Argent. 1622.

Præcepta totius Physicæ breviter explicata. Haun. in 12.
& Rostoch. 1630.

Disputatio Physica Basileensis. Basil. in 4. Haun. in 12.
1622.

De Principiis rerum Naturalium Opusculum. Haun. in
12. 1622.

De Natura Opusculum. Haun. in 12. 1622.

De Mundo tractatus. Viteberg. in 4. Haun. in 8.

Systema Physicum. Haun. 1623. in 8. in quo continen-
tur libri 10. etiam sigillatim editi. 1. *Physica genera-*
lismajor. Haun. in 8. 2. *Uranologia*. Haun. in 8. 3. *A-*
strologia. Haun. in 8. Viteberg. in 4. Argentorat. in
12. 1612. 4. *De Elementis in genere, & in specie, de*
Terra, Aëre & Igni, Institutio Physica. Hauniæ in 8.
bis Rostoch. in 12. 5. *De Aquis libriduo*. Haun in 8.
bis. Rostoch. 1618. in 12. 6. *De Mixtione liber unus*.
Haun. in 8. bis. Rostoch. in 12. 7. *De Meteoris libri*
qua-

quatuor. Haun. in 8. 8. De Rerum Naturalium perfectè mixtarum Qualitatibus manifestis & occultis, libri duo. Haun. in 8. 9. De Corporibus perfectè mixtis inanimatis, seu Metallis, Lapidibus & Mineralibus. Haun. in 8. 10. De Anima Exercitatio. Haun. in 8. Viteberg. in 4.

De Lapide Nephritico opusculum Physico-Medicum : ubi simul de Amuletis omnibus præcipuis. Hauniæ in 8.

De Unicornu Opusculum. Haun. in 8.

De Pygmæis Opusculum. Haun. in 8.

De Studio Medico inchoando, continuando & absolvendo Consilium. Haun. in 8.

Institutiones Anatomicæ. Viteberg. 1611. & Basil. 1615. in 8. Rostoch. in 12. Argentin. in 12. Gollar. in 8. Deinde aliquoties à Filio Th. Bartolino locupletatæ, & editæ Lugduni Batavorum in 8.

Controversiæ Anatomicæ. Gollar. in 8.

Paradoxa Medica 240. Basil. in 4.

Problematum Philos. & Med. Exercitationes 10. disputatæ in Academia Vitebergensi. Viteberg in 4.

Disputationes Philos. & Med. 10. publice in Academia Hauniensi disputatæ. Haun. in 4.

De Cauteriis Syntagma Medicum & Chirurgicum. Haun. in 4.

De Aëre Pestilenti corrigendo Consilium. Haun. in 8. & 4.

De Luthero Panegyricus. Haun. in. 4. 1619.

De Cœna Domini brevis institutio. Hauniæ in 12. lingua Danica. 1631.

Manuctio ad veram Psychologiam ex sacris literis. Haun. in 8.

De Natura Theologiæ. Haun. in 4.

De Partitionibus Scripturæ. Haun. in 4.

Consilium de studio Theologico inchoando & continuando. Haun. in 8.

In Oratiõnem Dominicam Meditationes. Haun. in 12.
Ling. Dan.

De Natura utraq; Christi. Haun in 12. 1631. Ling. Dan.

De Bello. Haun. in 12. ling. Dan.

De Visitatione Mariæ. Haun. in 12. 1628. ling. Dan.

De Benedictione Aaronis. Haun. in 12. 1631. ling. Dan.

ELIAS EISENBERGIUS

Natus est Patre Elia Eisenbergio, Regis FREDERICI II. Secretario, Præpositoq; ac Canonico Roëskildensi. Matre Thalia Holstenia. Magister Philosophiæ an. 1608. die 17. Mart. à Decano M. Ivaro Stubæo creatus: Ad Professionem Pædagogicam vocatus an. 1612. In Professione Physicæ successit M. Johanni Erasmo an. 1614. Decanus Facultatis Philos. designatus an. 1615. Baccalaureos 57. creavit. Vocatus inde est ad munus Pastoris & Præpositi in insula Samo obeundum an. 1621. Obiit an. 1635.

Scripta.

Disputatio de Præstantia Scientiæ de Anima. Haun.
1616. in 4.

Εξήγησις Definitionis Animæ. Haun 1617. in 4.

Disputatio de Unionem Animæ cum Corpore. Haun.
1618. in 4.

OLAUS VORMIUS

Natus est Aahusii Cimbrorum An. 1588. d. 13. Maji, Pa-
tre

re **Vilhelmo Vormio**, Consule Arhusiensi, ex honestis-
 sima & antiquissima Vormiorum in Geldria familia ori-
 undo : Matre Ingera, Olai Georgii Consulis Hotters-
 nensium filia. Primis literarum tyrociniis in Schola Pa-
 tria per annos sex positus, ad Gymnasium Luneburgen-
 se amandatus est, ubi sub Bachmanno & Georgio Bloc-
 cio, literis humanioribus per annum strenuam navavit
 operam : tandem per Vestphaliam, Embricam Clivo-
 rum pervenit, ubi familiae suae Cognatos, Viros erudi-
 tos vivere intellexit; apud quos triennio exacto domum
 se contulit : Ubi cum Parente de Studiorum ratione ha-
 bita deliberatione, tandem Academiam Marpurgen-
 sem praeter caeteris, Viris in omni literatura praestantibus
 celebrem, sibi elegit, in qua Philosophiae cursum absol-
 veret. Itaque an. 1605. ritibus solennibus in numerum
 literis & honestis disciplinis ibidem operam navanti-
 um adoptatus, sub Viro Clarissimo Dn. M. Rudolfo Go-
 clenio Seniore, in Philosophia haut contemnendos fe-
 cit progressus. Verum fatali rerum necessitudine res
 Ecclesiasticae turbari ibidem eodem anno coeperunt,
 adeo ut profligatis Augustanae Confessionis Theologis,
 & Professoribus reliquis, una cum Musis hospitium Gies-
 sae praebere, pio zelo ductus inceperit **LUDOVICUS**
 Hassiae Landgravius pientissimus : quo cum Studioso-
 rum pars maxima sinceræ Religionis addicta conflueret,
 una eo se contulit, Viris Claris. D. Mentzero, Finkio,
 Helvico cum primis familiaris. Exacto ibidem biennio,
 quanquam S.S. Theologiae haut contemnenda à Claris.
 Theologis hauserat fundamenta, attamen ad Medicinam
 magis animus inclinabat. Eum igitur in finem Franco-
 furto, Vormacia, Spira, Heidelberga & Thermis Baden-
 sibus, Argentoratum se contulit, an. 1607. ubi Prae-
 pto-

ptoribus usus est, Havenreutero, Sebizio Seniore, & Spachio, per trimestre Medicinæ jecit fundamenta, multum adjutus opera Hospitis experientissimi D. Saltzmanni, Physici Argentinensis, Botanici & Anatomici eximii. Verum cum multæ experientiæ Artem hanc esse animadverteret, nec uno in loco omnia ubertim provenire intelligeret, celebritate Medicorum Basileensium permotus, eo se contulit, ubi in familiaritatem Virorum celeberrimorum, Plateri, Bauhini & Zvingeri adscitus, multum in Botanicis, Anatomicis, ac tota Arte profecit, publicè crebro disputavit, privatim multis exercitiis Botanicis & Anatomicis celeberrimi Bauhini interfuit, sub Zvingero Collegium Practicum cum aliis Medicinæ Candidatis per aliquot menses continuavit: à quo etiam unicè dilectus ac filii loco habitus. Artis itaq; totius theoriam integrè ac sufficienter ibidem per biennium ferme cum didicisset, ad feliciorum ac uberiorum praxeos exercitationem animum appulit. Sub finem itaq; anni 1608. instituta per Helvetiam & Alpes peregrinatione, Italiam petiit, ac perlustrato Mediolano, Cremona, Mantua Virgilii patria, Verona, Vicentia, Patavium appulit; ubi per semestre ægros assiduè visitando, comitem in praxi se indefessum præbebat Hieronymo Aquapendenti, Eustachio Rudio, Alexandro Vigontia, Jyl. Casserio Placentino, à quo in Chirurgicis multum se profecisse ingenuè professus est. Ejus verò in rebus gerendis prudentia, in conversatione humanitate, in vita animadversa integritate, Inclytæ Nationis Germanicæ Facultatis Medicæ unanimi consensu electus est Procurator ac Consiliarius Anatomicus: quod officium per semestre, quamdiu ibidem vixit, summa dexteritate administravit, ac Venetias interea non semel per-

perlustravit. Anni sequentis vernali appropinquante tempore, itineris assumpto inter reliquos socio D. Henrico Petrejo Medic. in Acad Marpurg. Profess. Clariss. quod reliquum erat Italiae perlustravit, ac per Ferrariam, Bononiam, Florentiam, Senas, Agrum Viterbiensem, Romam & Puteolos, Neapolim pervenit. Hinc maritimo itinere iterum Romam se contulit: in qua urbe cum aliquot dies substitisset, ac diligentius singula observatione digna perlustrasset, Senas, idiomatis nitore & aëris salubritate allectus, se convertit, ibiq; in Artis exercitio tres menses æstivos consumsit. Tandem de Gallia cogitavit: inito igitur itinere, per Lucam, Pisam, Hertruriae urbes, in Portu Liburnico phaselum offendit maritimo itinere Genuam petiturum, cui se tum quoq; commisit. Genuæ per aliquot dies ubi substitisset, Viros doctos visitasset, ac visu digna perlustrasset, inde infido valdè & à Turcis infesto itinere per littora Sabaudiae, perlustrata Savonia & Nisa, Marsiliam appulit. Hinc per Nemausium Monspelium contendit: ubi præclaris Artis Medicæ tum Professoribus, tum exercitiis delectatus per 4. substitit menses, Medicis Clariss. Varandeo, Bradilleo, & Insigni Botanico Richerio de Bellevald, gratissimus fuit & familiarissimus. In Februar. anni sequentis, Parisios versus iter instituit, per Bituriges, Narbonam, Carcassonam, Tholosam, Burdegalam, Ruppellas, Pictavium, Aureliam, aliasq; præclaras Galliae Civitates, compellatis in itinere Viris celebrioribus, & in quavis literatura eximiis. Parisiis verò Casaubono, Riolano, aliisq; eruditis per duos menses usus est familiariter, ac Artem Medicam haut infeliciter crebro exercuit. Hic diutius perstitisset, nisi horrendum scelestissimi sicarii facinus, quo Regem Maximum HENRI-

CUM IV. è medio, mense Majo, sustulit, totam Remp. perturbasset, & quod multi exterorum periculi imminentis metu territi discedere coacti fuerint, institutum irritum reddidisset. Per Rotomagum igitur instituto itinere, navigio transit in Belgium. Per Roterodanum, Delphos, Hagam Comitum, Lugdunum Batavorum pervenit, ubi salutatis Viris celebrioribus, & explorato Academiae statu aliquantisper commoratus est. Hinc verò in alias celebriores Belgii urbes excursum ubi fecisset, in Daniam rursus se contulit. Quia verò Academiam Patriam nondum salutaverat, Hauniam profectus est, ubi Matriculae inscriptus, plerisque ac praecipuis Academiae Professoribus familiaris, gratus & amicus existit: aliisque, quibus non rarò Arte Medica opem tulit, acceptus: adeo ut qui sedem hic figendam svaserint, reperi fuerint haud pauci. Verum quia Angliae visendae insigni flagrabat desiderio, rebus domi compositis, se rursus itineri accinxit. Cumque operarum Chymicarum industria nuper inclaruisse Marpurgum inaudivisset, ne quidquam quod ad Medici periti *ἀγχιμοσύνη* spectaret, intactum relinqueret, eo se convertit an, 1611. Varias itaque in hac Arte exercitationes, Manuctore Hartmanno, per aliquot menses ubi perfecisset, assidue ad Gradum in eadem Academia in Medicina summum ipsi conferendum fuit sollicitatus; sed Pestis saevitia dispersa Academia, cum Cassellis veterem suum Commilitonem & amicum, D. Gillenium Principis Laboratorio Praefectum rescivisset, eo laborum avidus se recepit: ubi benignissime exceptus, ad secretissima quaeque admittus est. Quibus exercitiis ubi animum explevisset, Basileam adiit, tot laborum, peregrinationum, & studiorum praemium, summum in Medicina Gradum reportaturus, quem.

quem etiam summa cum laude obtinuit, ejusdem anni Mense Decembri, Rectore Magnifico D. Casp. Bauhino, Promotore verò Sene Venerando, D. Felice Plate-ro, Practico felicissimo. Inde anno sequenti, secundo Rheni flumine in Belgium devectus est : unde se recta in Angliam contulit, ac Londinum in Febr. appulit: ubi tribus elapsis septimanis in familiam Viri Illustri & Generosi Dn. Richerii Baronis de Ingvald adscitus, eidem operam suam in studiis præfertim Chymicis & operibus Medicis addixit. Interea varias arces, oppida, & Academiam Oxoniensem perlustravit. Medicis verò Regiis Kraigio & Majerno, maximè familiaris. Sed in Anglia per annum cum dimidio ubi substitisset, ac praxin Medicam in familia Ingvaldiana, ut & Urbe Londinensi feliciter exercuisset, domum à Parentibus & amicis revocatus est, mense Julio, an. 1613. Vix à reditu tres septimanæ præterierant, cum Patrum Academicorum decreto ad munus docendi Literas Humaniores in Academia Hauniensi soleniter vocaretur. Quam Professionem cum per biennium feliciter & magno juventutis fructu administrasset, an. 1615. Græcæ Lingvæ Professio fuit ei demandata. Eodem anno duxit uxorem, Virginem Castissimam DOROTHEAM FINKIAM, Viri celeberrimi Dn. D. Thomæ Finkii Medicinæ Professoris Regii filiam, nuptiis 26. Novemb. celebratis. Ex qua sex filias suscepit: quarum una, nomine Ingera nupsit Viro Reverendo, Clariss. & humaniss. Dn. M. Joanni Skelderprio, tum Ecclesiæ, quæ est ad D. Nicol. Pastori religiosissimo, postea verò Superattendenti Diœceseos Bergensis Vigilantissimo; altera nomine Solstrata in matrimonium locata Viro Clariss. & Excellentiss. Dn. M. Erico Olai Tormio, Præposito & Pastori Templi Ma-

riani meritissimo: reliquæ 4. plusculis ante Patris obitum annis occubuerunt. Qua priore uxore fato defuncta 21. Novemb. an. 1628. animum elapso biennio ad secunda vota appulit, ex ambiens Dn. D. Matthiæ Jani, Episcopi Lundensis Vigilantissimi filiam, Virginem lectissimam & pudiciss. SUSANNAM. In hoc Conjugio factus est spatio 7. annorum Parens trium filiorum, quorum unus in teneris annis esse desit, Vilhelmus verò Medicinæ Doctor, ad Professionem Academicam hic vocatus est: & Matthias ex 8. annorum peregrinatione nuper in patriam revocatus. An. 1637. August. hanc suam suavissimam conjugem Susannam pestifera lue correptam amisit Roëskildix, postquam prius esset abortum passa. Altero ab hujus obitu anno, de ampla familiarum cura & honesta tenellorum liberorum educatione sollicitus; è re sua futurum existimavit, tertiam sibi diligere uxorem, quam longè optimam, moribus sanctissimis & innocentissimis præditam sibi adjunxit, Viri Spectatiss. & honoratiss. Petri Motzfeldii, Civis hujus Urbis & Oenopolæ laudatissimi filiam, MAGDALENAM MOTZFELDIAM, quæ tam vivido ac venerando Seni septem liberos est enixa, 4. filios & 3. filias. Hoc itaq; conjugium uti bonis cœptum erat 21. April. an. 1639. auspiciis: ita felicissimè cessit utriq; , & vota quoq; piorum superavit. Munere Decanatus iterato perfunctus est, cùm an. 1619. quando summos in Philosophia honores contulit 15. Viris, virtute & eruditione Præstantissimis: tum an. 1621. cum 27. Baccalaureos crearet. Interea Physicam per triennium docuit usq; ad an. 1624. donec in Arte Medica surrogaretur D. Casparo Bartolino ad Professionem Theologicam vocato: quam Professionem Medicam inimitabili industria ac

sum-

summa cum laude administravit, usq; ad diem sui obitus : donatus propterea an. 1636. 26. Octobr. à Sereniss. Rege CHRISTIANO IV. Canonicatu in Capitulo Lundenfi. An. 1640. 8. Decembr. in Templo Academico M. Christianum Stougardum, Eloqv. Profefs. P. Doctorem Medicinæ creavit. Quinqvies, an. 1627. 1636. 1642. 1648. 1654. Magistratum Academicum gessit, cum summo hujus Academiæ honore & commo- do, Præterqvam qvod Sereniss. Regi CHRISTIANO IV. sæpissimè à Consiliis Medicis fuerit, & moribundo ad extremum vitæ halitum adstiterit, Principi item Ele- cto CHRISTIANO valetudinario operam dedit: ali- isq; Principibus, Ducibus, Legatis, Magnatibus, Regni Proceribus, Nobilibus, exteris qvoq; familiarissimus fu- it: adeo ut Cardinalis Mazarinus an. 1648. magna è Galliis ei transmiserit munera. In primis singulari fa- vore & amore Rex Sereniss. FREDERICUS III. com- plexus est beatissimum VORMIUM, & domum ipsius, qvam aliquoties, solus & cum aliis exteris Principibus invisit, iustraturus stupenda ista Naturæ, simul ac Artis opera, quæ sibi VORMIUS incredibili cura college- rat, & arte mira disposuerat. Integrum certè volumen non sufficeret recensendis omnibus benevolentia & fa- voris indicis erga ipsum declaratis, cum à Perillustri & Magnifico Heroe Dn CHRISTIANO THOMÆO, Dn. de Stougard, Sereniss. Reg. Majest. Cancellario magno, incomparabili literarum Patrono: tum ab Uni- versa Nobilitate: quibus omnibus ex intimis fuit. Nec minus carus hujus Urbis incolis fuit. Qvam celebra- tem peperit ipsi non solum vita sanctissimè & innocen- tissimè à puero inter omnes transacta, sed vel innumera ista monumenta, quibus mundum replevit, ære futura

perenniora, adeo ut illa nec innumerabilis annorum series, nec temporum fuga possit diruere : quorum catalogus infra dabitur. An. 1654. d. 26. August. sub vesperam præter stranguriam, quæ per aliquot hebdomadas gravissimè conflictatus erat, accesserunt & alia symptomata lethalia, unà cum Febre quadam perniciofa, quæ corporis univèrsi vires ita primo die subsequente prorsus prostraverunt, ut nullum membrum de loco in locum movere potuerit. Ipse statim de medicamentis tanto malo repellendo & convellendo actutum adhibendis cogitavit ; sed quæ singula multis ad vitam diuturniorem, ex ipsius cura feliciter adhibita profuerunt, ipsimet nullum prorsus levamentum attulerunt : donec ipsa natura altero ab initio morbi die maximum emisserit sudorem : unde & pristinas vires recuperavit, & optimè de morbi exitu speravit, immortales cum conjugè sua carissima & liberis lectissimis pro tam inexpectato bono immortalì Deo gratias agens. Verum 29 & 30. August. ita febrilis æstus invaluit, ut spem antea conceptam penitus eluserit. Quamobrem post habita corporis cura totus ad Deum conversus, de salutari animæ suæ medicina cogitavit, & Generũ suum lectissimum, Dn. M. Ericum Olai Tormium jussit advocari: ex quo, anima in cœlestem jam patriam, relictis quibus cingebatur corporis exuviis, demigratura, sanctissimo Corporis & Sanguinis Servatoris Jesu Christi epulo salutariter fuit resecta. Postremis horis, quibus exitũ moliebatur luctans anima, ea beatissimus Vir erat fortitudine, iisq; viribus, ut non solum cogitatè & cordatè sacrum aliquod negotium, quod Academiam & Ecclesiam Christi concernebat, expediret; verum etiam sibi salutaribus sacrarum Scripturarum dictis sustentando, & mœstissimæ Conju-

gi indefessam ipsi interdium noctuq; operam danti, lacrymisq; suis ubertim profusis pectus, manus, genas, & universam faciem moribundi mariti madefacienti, sic & liberis acerbo fletu ora fusè rigantibus consolandis abunde sufficeret: donec prid. Calend. Septemb. vesperi paulo post octavam an. 1654. piè & placidè in Christo obdormiverit. Funus publico programme à Senatu Academico indictum est. Parentavit illi Oratione Latina in Auditorio Academico D. Thomas Bartolinus Medicinæ Professor, ejus in Professione & Rectoratu Successor. Sepultus est in Templo D. Virginis in Sacello S. Rochi, apud primam uxorem, ubi ipse Monumentum in pariete defunctæ illi posuerat, cum hac inscriptione:

D. O. M. S

Memoriæ raræ pietatis & probitatis Matronæ DOROTHEÆ FINKIÆ, Conjugis suavissimæ. Ex annorum 13. conjugio exoptatiss. sex Filiarum matris pientiss. Quarum æquali facta distributione, Sostratæ, Annæ, Dorotheæ, trigam tenellulam ad eternum ubi præmisset gaudia, reliquam, amoris intemerati pignus, priori associata 11. Calend. Decemb. anno Christi 1628. ætatis 32. curæ mæstissimi reliquit Mariti OLAI VORMII Med. D. & Profess. Regii, qui cum luctu & lacrymis B. M. H. M. P.

Scripta.

Quæstionum Hesiodicarum duæ Heptades. Hauniæ in 4.

Quæstionum Miscellanearum decas. Haun. 1622. in 4.

Ex-

- Exercitationes Physicæ.** Haun. 1623. in 4.
Cosmologicæ Disceptationes tres. Haun. in 4.
Jubilum Evangelicum. Haun. 1619. in 4.
Laurea Philosophica contra Fratres Rosæ Crucis.
 Haun. in 4.
**Baccalaureus Philosophiæ cum suis requisitis & privile-
 giis.** Haun. in 12.
Commentaria in libr. Aristotel. de Mundo. Rostoch.
 1625. in 8.
Fasti Danici. Haun. 1626. 1643. in fol.
Historia Norvegica vernacula. Haun. 1633. in 4.
Literatura Runica & de Prisca Danorum Poësi. Haun.
 1636. in 4. & 1651. in fol.
Monumentorum Runicorum libr. 6. Haun. 1643. in fol.
Additamenta ad Monumenta Danica. Haun. 1650.
 in fol.
Specimen Lexici Runici. Haun. 1650. in fol.
**Regum Daniæ series duplex, & limitum inter Daniam
 & Sveciam descriptio.** Haun. 1642. in fol.
Controversiarû Medicarum Exercitationes 18. Haun.
 in 4.
Institutionum Medicarum Epitome. Hauniæ 1640.
 in 4.
Selecta Controversiarum Medicarum Centuria. Basil.
 1611. in 4.
Historia Rariorum Musei Vormiani. Lugdun. Batav.
 1655. in fol.
Catalogus Musei Vormiani. Haun. 1642. 1645. in 16.
 Et 1653. in 4. edente G. Sehero.
Historia Muris in Norvegia depluentis. Haun. 1653.
 in 4.
De Cornu Aureo. Haun. 1641. in fol.

PETRUS GELSTRUPIUS

Natus est in Sædlandia, Territorio Odtzherrit, in pago Gelstrup, qvi in Parochia Egeberg situs est, anno æræ Christianæ 1581. mense Novembri, Parentibus obscuris quidem; honestis tamen. Pater erat Nicolaus Severini, Mater Anna Christiani filia. Hi filium suum novem annos natum (posteaquam prius eum in legendo & scribendo, pietatisq; primis rudimentis exerceri, ac domi institui curassent) Nycopiæ (Otzingorum Deo ac Musis serio consecrarunt: ubi fundamentis Lingvæ Latinæ & Græcæ cognoscendis quadriennium impendit: matre interim orbatus anno Christiano 1593. cum annum jam ætatis ageret duodecimum. An 1595. ætatis decimo quarto, à Patre (qvi anno statim seqvente ipsi & mundo extremum Vale dixit) missus est in Scholam Roëskildensem, ubi literis, lingvis, Latinæ, puta, Græcæ & Hebraicæ, artibus, Facultatum superiorum Regina S. S. Theologiæ, orbus Patre simul & Matre, operam dedit annos decem. Præfuit autem interea Symphonicis istius Scholæ pueris, dum ipsi vox erat puerilis: Deinde Dn. D. Nicolao Hemmingio S. S. Theologiæ olim in Regia hac Academia P. P. donec is obiret diem, famulitium præstitit: tandem officio Deputatoris inter Alumnos Regios, quos Columbinos vocant, tempus quod ipsi restabat, impendit. Anno recuperatæ Salutis 1605. mense Septembri, Scholam Roëskildensem, jactis jam solidæ eruditionis fundamentis necessariis, cum bona Præceptoris sui gratia reliquit, & in hanc Regiam Academiam se contulit: receptus statim hospitio à Rev. & Clariss. Viro D. Johanne Pauli Resenio S. S. Theologiæ D. ac P. P. qvi & eum exinde semper ipse

L1

ama.

amavit & æstimavit, ac ob singularem eruditionem, acutumq; ingenium aliis commendavit, semperq; ad optima promovit. Perstitit autem in eodem hospitio, quàm diu hujus Academiae Alumnus fuit, annos sc. quinque & ulterius. Interea in Regia Studioforum Communitate officio Præpositi fungebatur biennium circiter: in quo munere cum occuparetur, Lauream Magistralem accepit 18. Octob. anni Jesu Christi 1610. à Decano Facultatis M. Johanne Alano. Titulo Magisterii ornatus, mox in regiones externas discessit, præmunitus stipendio magno & munifico verè Magni & Magnifici Reg. Maj. Cancellarii, & Academiae hujus post Deum & Reg. Maj. Conservatoris supremi, Illustris & Generosi Domini, Dn. CHRISTIANI FRISII de Borreby: quod etiam beneficium cum debita gratitudine, nunquam & nusquam non deprædicavit, animo, ut par erat, humilimo. Postea apud exteros egit annos quatuor, primùm in Germania, secundum in Gallia, tertium in Italia, & quartum tandem rursus in Germania. Itineris autem ejus, in quo multas devoravit molestias, multa tulit, sudavit, & alit, talis fuit ratio. Vitebergam venit 28. Novemb. an. 1619. ibiq; cum studia sua, quoad Theologiam in primis, continuasset usq; ad initium mensis Augusti anni sequentis, pedem inde movere cogitavit, ut tandem in Gallias iret. Visis igitur celebrioribus Saxoniae superioris, Misniae, Bohemiae, Silesiae &c. Urbibus: vidit porro in itinere Academiam Lipsiensem, Jenensem, Erfurtensem, Marpurgensem, Giffensem, Scholam Herborensem, Moguntinam, Confluentinam, Coloniensem, Trevirenses. Hinc, ut sufficienter jam acquisito usu Lingvæ Teutonicæ, Metim Lotharingiæ ivit, inde Lutetiam Parisiorum: ubi cum menses tres hæssisset,

Au-

Aureliam, Lingvæ Gallicæ potissimum addiscendæ gratia, conscendit, ibiq; mansit usq; ad Calendas Augusti anni 1612. quas cum attigisset, perlustravit peregrinando maximam Galliæ partem, & in Germaniam reflexit, per Lotharingiam superiorem, venitq; Argentoratum 10. Septemb. Visa autem Schola Argentoratensi, Spiram descendit, hinc Heidelbergam: ac inde Vormacia Francofurtum. Post Italiam versus se convertens, Augustam Vindelicorum feliciter attigit: mox Alpibus conscensis Oenipontem venit: inde Tridentum, Veronam, Mantuam, & tandem Patavium, ubi 5. Octobris anni ejusdem substitit, facto subinde Venetias excursu, usq; ad Calendas Februar. anni sequentis 1613. Tunc enim moto pede Ferrariam ivit, & post, Bononiam, Florentiam, Senas. Amor autem purioris lingvæ Italicæ, quæ Senensibus familiaris est, Senis eum detinuit usq; ad Ferias Paschales: quibus exactis Romam se contulit, ibiq; mansit dies tantum quatuordecim. Hinc Neapolin perrexit: uude in Siciliam transvolare cogitat; sed cum videret crumenæ pondus valde decrescere, deflexit Patavium versus, viditq; in via, præter Loretum, aliaq; oppida famosa, Anconam cum suo Portu celeberrimo, Ravennam antiquissimam, Mediolanum nobilissimum &c. Postea moratus est denuo Patavii, interdum etiam Venetiis, usq; ad Calendas Augusti ejusdem anni. Italia jam relicta Viennam Austriæ descendit, ubi tunc temporis agebat MATTHIAS Imperator. Inde per Ratisbonam, Nortlingam, Ulmam, Tubingam, Heidelbergam & tandem Francofurtum, Giesam rediit, studioq; Theologico sub Reverendis & celeberrimis ejusdem Academiæ, tunc temporis, Theologis, Vinckelmanno, Mentzero, Finchio & aliis, usq; ad

Calendas Octobris anni 1614. incubuit. Tunc enim ad Professionem Literarum Humaniorum, in hac Regia Academia vacantem, in patriam revocatus, Hauniam contendit: quam etiam, visis in reditu multis Urbibus celeberrimis, Lubeca tandem solvens, feliciter attigit 15. Octobris anni ejusdem. Postea in Novembri Humanioris Literaturæ Professor Publicus designatus est: quam etiam provinciam annis circiter septem, cum Notariatu Academico interea simul per quinquennium, viriliter & fideliter tutatus est. In portum itaq; tranquillio-rem delatus, solitariam vitam cum sociâ commutare in animum induxit suum: in quem finem ambivit & exambivit. Virginem lectissimam pudicissimamq; ELISABETHAM Petri filiam Flensburgensem, nuptiis hic celebratis Hauniæ 3. Augusti anno Christi 1617. Hæc verò illum, in conjugio hoc pio ac casto, quod ad 13. annos productum, duorum filiorum parentem fecit. An: 1621. mense Aprili demandata est ipsi in Consistorio Professio Logices, quam etiam Spartam, cum Decanatus Facultatis simul Philosophicæ administratione laudabili ab anno 1626. ad 1627. (in quo 16. Candidatos ad Lauream Magistralem promovit) cum laudè sua eximia, & Studiosæ juventutis profectu in istis egregio, Organon Aristotelis aliquoties legendo, semelq; disputando percurrens, annis novem, & quod excurrit, ornavit convenienter. Reliquam ejus vitam quod concernit, erat certè Vir pius & probus, prudens & providus, ingenio à Deo suo ornatus acutissimo, ac quemadmodum parentibus prognatus laboriosissimis, ita & ipse ad labores quasi natus, unde etiam aliis magis quàm sibi profuit, illisq; intervindo seipsum tandem consumsit. Ex variis enim laboribus, variis vigiliis, & peregrinationibus

variis, varias contraxit corporis infirmitates, ac inter alias improbã illam phthisin, quæ in corpusculum ejus plusculis sæviens annis, per biennium ante obitum illud pene, si non plane exsangve effecit: ut ita ipsi propterea semper fuerit necessitas cogitandi de morte, veraq; moriendi ratione. Et hoc etiam fecit interea religiosissimè, præparando se ad luctam cum morte, precibus, verbi divini lectione & auditione, ac Corporis & Sangvinis Jesu Christi Redemptoris sui unici, in cœna præsentissimi, participatione: tum prius aliquoties in privatis pariter ædibus, & publica Ecclesiæ congregatione: tum vel in primis proximo ante obitum die. Tunc enim sentiens sibi ad praxin istius theoriæ, in qua hætenus in studiis Phil. & Theol. occupatus fuerat, tandem accedendum, arcessi ad se curavit Venerandum & doctum Virum Dn. Baltasarem Nicolai, Templi Acadêmici Comministrum fidelem, factaq; coram ipso sancta Confessione, benedicto Vivi & Vivificantis Corporis & Sangvinis Jesu Christi Testamento, contra mortem æternam se præservavit, ac ad fortiter occurrendum Antagonistæ præparavit, quo tandem victoriam obtineret. Et hoc etiam ipsi obtigit circa horam noctis duodecimam; cum in vera invocatione piam animam Deo Creatori piè reddidit, cum vixisset annos circiter 49. anno Christi 1630. Funus publico Programmate ab Academiæ Rectore D. Claudio Plumio indictum est. Sepultus est in Templo D. Virginis extra australe chori latus, ubi monumentum ei positum est in pariete cum hac inscriptione:

Heic recubat lingvis pollens Collega Lycei

Hanniaci PETRUS nomine GELSTRUPPUS:

*Qui varias hominum variorum floridus urbes
Lustravit Juvenis, doctiloquasq; Scholar.*

*Albis, Danubii, Rheni, Ligerisq; Tybrisq;
Affudit latices artis amore labris.*

*Cætera quis fuerit, doceant, quos condidit olim
Solerti clarus dexteritate, libri.*

Obiit anno Domini 1630. ætatis suæ 49.

Effigies ejus in Palatio Bibliothecæ Academicæ dedica-
ta est, memoriæ ergo, ob legatam, ab uxore superstite,
Academiæ Gelstrupianam Bibliothecam.

Scripta.

Trifolium Politicum Rerump. formas diversas, mutati-
ones varias, earumq; causas ac Remedia mutationi-
bus iisdem opponenda, dilucidè repræsentans. Vi-
teberg. apud Paul. Helv. 1623. & apud Christian.
Tham 1625. in 8.

Disputationes Logicæ. Haun. in 4.

**Fasciculus Quæstionum selectarum Philologicarum &
Philosophicarum.** Haun. 1627. in 4.

JOHANNES MICHAELIUS

Natus est Otthinia an. 1578. Calend. Januar. parentibus
honestis, Patre Michaële Petri, Matre Catharina Johan-
nis f. Jaëtis in Schola patria eruditionis fundamentis, ad
Academiam Hauniensem an. 1601. missus à Moderato-
re Scholæ M. Johanne Petri Glamdorfio, Civitatem A-
cademicam d. 5. Maji, impetravit, Decano Facult. Phil.
D. Nicolao Kragio, Rectore D. Andrea Christiani. Sex
mensibus Hauniæ exactis, propter sævientem gravem
pestilentiam, ad suos rediit. Totidem mensium inter-
vallo

vallo, Fyonix Episcopo M. Jacobo Matthix Vellejo ad
 manum Scribæ loco fuit. An. 1602. mense Majo, Nobilif.
 Ivari Bryske, Hilarii f. de Dallund, studiis & pere-
 grinationibus præfectus, anno inseqvente, d. 18. Mart.
 iter cum eo ad exteras nationes ingressus est. In Germa-
 nia, vel Argentorati, vel Francofurti ad Mœnum, vel
 Marpurgi, biennio; Basileæ in Helvetia, Genevæ in
 Sabaudia anno integro: in Galliis, Lugduni, Aureliæ,
 Blæsiæ, Ambœsiæ, Cæsaroduni Turonum, Salmurii,
 Andegavi, Lutetiæ, biennio consumto: an. 1608. reli-
 ctis Parisiis, per Campaniam, Lotharingiam, Alsatiam,
 Sveviam, Hassiam &c. in patriam cum Nobili juvene si-
 bi credito die 13. April. reversus: Successor M. Canu-
 to Bieskio Scholæ Otthinianæ Rectori ad Professionem
 in Academia Håuniensi vocato, die 2. Augusti datus est:
 eodemq; anno, d. 8. Novemb. Philosophiæ Magister à
 Decano M. Johanne Erasmo renunciatus est. Recto-
 ratui annos qvinq; & amplius præfuit: Quo postquam
 anno 1614. se abdicaverat, cum Nobilif. Canuto Rud
 & Helena Marfvn in prædio Lundegaard annum trans-
 egit. An. 1615. d. 22. Januar. Pastor Ecclesiæ Afnensis
 consecratus, & d. 21. April. vicinarum quoq; Præposi-
 tus constitutus est. Eodẽ anno, mense Octob. à Serenis-
 simo Rege CHRISTIANO IV. Hauniam vocatus est,
 ut in Academia Latinæ Lingvæ Professionem, & simul
 Ecclesiastæ munus in Arce Regia susciperet. Anno in-
 no inseqvente 1616. cum d. 18. Febr. jusjurandum Con-
 cionatoris Regii jurasset, die 27. April. Doctoris Theo-
 logiæ titulo decoratus est à D. Johanne Resenio: eo-
 dẽq; anno M. Johanni Canutio in Episcopatu Fyonienfi
 Successor datus, sacramentum Regi dixit die 2. Julii, &
 Otthinix die 28. ejusdem mensis ab Episcopo Ripensfi
 M. Iva

M. Ivaro Hemmetæo inauguratus est. In hoc Episcopali munere Pastores Ecclesiarum sacris initiavit 408. & Præpositos per totam Diœcesin constituit. An. 1628. D. Petrum P. Vinstрупium Scaniæ Episcopum, sacro muneri inauguravit: & an. 1648. cum Augustissimus Rex FREDERICUS III. coronam imperii in Templo D. Virginis Hauniens. acciperet, D. Casparo Brokmanno Ordinatore, adiutor cum D. Vinstрупio datus est. Uxorem duxit an. 1617. d. 19. Januar. Virginem CATHARINAM HENRICI F. Hamburgi natam, quam sibi vitæ sociam delegerat, cum Scholæ Otthinianæ Rector Nobil. Virginem Christinam Munk Gallicam & Germanicam linguam doceret. Ex ea tres suscepit filios, qui Magistri Philosophiæ fuerunt, Ludovicum Con-Rectorem Scholæ Otthinianæ, Michaëlem & Henricum Pastores Ecclesiarum. An. 1651. cum die 24. Martii, post sumtam domi cœnam, assveto cubili se integris virib' composuisset, mortuus summo mane insequentis diei 25. à conjugè in propinquo lectulo recubante, reperi- tus est, postquam annos 73. menses 2. dies 24. comple- vissset. Sepultus est in Æde D. Canuti Otthinien- sis. Et Monumentum ei ad latus Chori Boreum positum est, cum hac inscriptione:

Cruх tua, Christe, tulit nobis solatia vitæ,

Horrendæ mortis vicit & aculeum.

Magni hæc iudicii vibrantia fulmina tollet,

Et tandem in cœlis summa salutis erit.

D. O. M. S.

*Æternæ memoriæ ac meritis Dn. D. JOHANNIS
MICHAELII Diœcesis Fionensis per annos 34. Episcopi*

re.

religiosiss. hoc monumentum uxor & liberi mæstiss. posuerunt anno 1654.

Scripta.

Examen Philippi, in usum Scholæ Otthinianæ, brevibus tabellis comprehensum. Haun. 1632. in 4.

Bini Sermones Adiaphoristici. Haun. 1632. in 4.

Conciones Funebres, lingua Danica.

PETRUS BARTHOLINUS KÆRULIUS

Magister Artium creatus est an. 1612. d. 25. April. à Decano M. Christiano Longomontano. Ad Professionem Pædagogicam vocatus est an. 1615. Quam ubi annos sex obiisset, abiit hinc, consilio ac iudicio Professorum, ad munus Ecclesiasticum Sæbyense an. 1621.

Scripta.

De Refractionibus. Viteberg. 1613. in 4.

Defensio Longomontani contra Mart. Hortensium. Haun. 1632. in 4.

CLAUDIUS PLUMIUS

Editus est anno 1685. Mense Julio. Patrem habuit inter Cives Haunienses spectabili integritate, Petrum Franciscum Plumium, qui cum Prætura se abdicasset, Caduceatoris officio functus est: Matrem Catharinam Sybeniam, Johannis Sybenii Civis Hauniensis filiam. Tunc peccatorum sordibus per lavacrum sacrum ablutis, Præceptoribus, ubi per ætatem licuit, est traditus, ut prima juventutis spatia in ædibus Parentis conficeret.

M m

Cumq;

Cumq; annum duodecimum ætatis ageret, Mag. Johanni Kraftio, Sacrorum in D. Petri Ecclesia ministro, morum studiorumq; censura à Genitore est data. Annos pubertatis egressus, ad Herlovianam Scholam mittitur, ubi tantum quinquennio profecit, ut an. 1604. ætatis 19. ad Academiam hanc traduceretur: cujus legibus ut morem gereret, M. Jonam Jacobum Venusinum studiorum cepit arbitrum. Cupido incessit animum exteras videndi regiones, & votis ipsius favit Legatus Regius, qui tum in Poloniam ibat: ubi visis, quæ notabiliora erant, consideransq; hæc itinera, non nisi magno temporum studiorumq; dispendio constare, reditum post sextum mensem in patriam paravit. Quare in Germaniam ivit, optimæ spei plenus: Et Vitebergæ triennium Philosophicis exercitationibus impendit, ut hisce studiis imbutus, faciliore negotio Juris Prudentiæ, cui se suaq; omnia devoverat, operam daret. Perfacile factum erat votis potiri, cum omnia quæ in libris Legum tetra & aspera continentur, D. Johannis Zangeri, Professoris & Consilarii Electoris ductu, assiduoq; labore vicerat. Hinc Giessam abiturus, ut Academiæ istius dedicationem videret, properis Patris literis domum revocatur. Sed ut Senem bene valere intellexit, Regiomontum & Stetinum ivit. Cumq; præfagiret animus, senectutis vitio Patrem cum variis difficultatibus quotidie colluctari, non continere se potuit, quin statim patrias sedes peteret. Quo quidem reversus est, sed statim Heidelbergam se contulit: ubi svadente Dionysio Gothofredo, qui tunc in Jure præcipuum tenebat, annum vixit. A quo, ut & à Philippo Hofmanno, Daniele Nebelio, ac Johanne Calvino, præstantissimis Justitiæ Sacerdotibus, ea præsidia consequutus est, quæ Juris Candidatum ex-

ornare poterant. Vivebant ibi præter eos, Hippolytus à Collibus & Joachimus à Grinthal, Politici insignes, & Principi à Consiliis, quibus familiarissimus fuit. Sed ne uni loco omnem debuisset eruditionem videretur, Giesam abiit, ut non cum æqualibus modo, sed etiam cum Viris & Senibus de Jurisprudencia differeret & certaret: quibus studia sua sic probavit, ut lauream facili negotio impetrare potuisset, nisi tunc displicuisset illa corona. Sterile fere est hujus Scientiæ studium, nisi in usum transferatur: nec aliud proficiunt, qui in sola umbra sudarunt, quam cum in forum venerint, in alium terrarum orbem delatos se putent. Spiram igitur abiit, supra manum totius Germaniæ curiam Juridicam, ut litibus judicandis constitutos audiret, summos illos Controversiarum Arbitros. Quorum cognitio moribus, in Galliam proficisci voluit, nisi à Matre, an. 1611. domum fuisset revocatus. Sed confecto unius anni spatio, sua favore & auctore Viro Perillustri & Magnifico Dn. CHRISTIANO FRISIO, Magno Regis Cancellario, & Domino de Borreby, mari Londinum abiit, & inde Oxonium, ubi Academicis exercitiis aliquam istius anni partem impendit. Iterumq; Londinum adiit, ut solennes illos dies Electoris Palatini nuptiis dictos, videret. Hybernum erat tempus, quod ne otiosè transiret, primarios Viros, qui publicè jura interpretabantur, audivit, ut in sequenti æstate, itineri Scotico se committeret. Præcipua cura erat, Andreapolin, Glascoviamq; Academias videndi, & alia quæ docti & curiosi solent perscrutari. Tres menses istis itineribus absumti. Iterato in Angliam venit, ut & Cantabrigiam, celeberrimum illud Palladis delubrum, videret. Biennio in Anglia expleto, in Galliam profectus est, in cujus Academiis, Aureliæ, Andegavi, Pictaviæ

nonnihil vixit. Nulla Gallorum fuit urbs alicujus notæ, Academia nulla, quas duorum annorum spatio non oculis perlustravit. Emenso tot terrarum spatia, nihil fere ex Orbe literato præter Italiam restabat. Magnis ergo per Pedemontium & Sabaudiam itineribus, Patavium venit. Et Venetiis quidem literas offendit, per quas, ut Academiæ Patriæ operam suam addiceret, invitabatur. Sed cum ipsos tantum Italiæ limites vidisset, ab ante nominato Heröe de Borreby, Senatuq; Academico, uberioris temporis impetravit moram, ut interiora Italiæ videret. Mense igitur Martio anni 1616. inclyti Antenoris Patriam, cum Bartoli, Baldi & Jasonis commoravit. Ad terrarum Deam Gentiumq; , Romam festinavit, literarum artiumq; domicilium, antiquitatum compendium. Hinc Neapolin ivit, ut in Campania ea oculis subjiceret, quæ merito omnes miramur. Sed officii memor magna festinatione Patavium properavit, ut se Patriæ redderet. Hic in febriculam, satis Medicorum judicio molestam incidit. Sanitati restitutus, interpellante iter hyeme, Germanicæ Nationi præficitur. Functusq; Syndicatus, ut loqvuntur, officio, anno 1617. Martio Mense Francofurtum adiit, ut se rebusq; suis Rheno traditis in Belgium iret. Lustratisq; præcipuis totius ferè Belgii Urbibus, Hauniam suam repetiit. Vocatus tunc erat in Aulam Serenissimi Regis, D. Leonhardus Mentznerus, in cujus locum PLUMIUS subrogatur. Eo munere dum fungitur, uxorem duxit MARIAM VINSTRUPIAM virginem lectissimam & honestissimam, D. Petri Vinstrupii Sædlandiæ Episcopi filiam. Ex qua liberos 14. suscepit, filios octo, sexq; feminei sexus. E filiis Elias Magister Artium Ecclesiæ Gunderflovienensis Pastor fuit: Et Johannes, Templorum in

Dania Commissarius Generalis. Filiarum una D. Nicolao Vikmanno, Med. D. Altera M. Bertramo Pastori in Lolandia, Tertia Dn. Tuoni Pastori Tostrupenti, Quarta Pastori Scaniensi nupsit. Post 18. annorum curriculum optima & fidelissima Conjux fatis concedit an. 1636. Sed maximam jacturam Castissima Virgo CHRISTINA ASLACA, Cunradi Aslaci Theologiae Doctoris & Professoris filia compensavit, quam an. 1638. nuptiis sibi conciliavit. Et illa 4. tori conjugalis pignora enixa est. Academiae hujus Rector quater, an. 1621. 1630. 1639. 1645. renunciatus est: in qua dignitate fidem, vigilantiam, usumq; rerum omnibus abunde probavit. Doctoratus insignia apud Exteros accipere noluit; sed eum Patriae reservans honorem, Juris utriusq; Doctor in Templo Academico à D. Leonhardo Metznero, cui in Professione successerat, an. 1621. die 26. Julii, renunciatus est. Procurator ejusdem Templi D. Virginis fuit ab an. 1623. ad an. 1638. Valetudine plerumq; usus est firma & prospera. Sed annis ante obitum aliquot cum respirandi difficultate coepit conflictari. Tandem mense Ianuar. 1649. gravedo ipsum offendere coepit, quæ tussim excitando pectus ejus divexavit. Et quemadmodum nulla calamitas sola, ita neq; hic morbus. Lienis & hepatis obstructions, scorbutus, & febris erratica velut conspiratione quaedam vires ipsius dejicere coeperunt. Brevi Natura expugnata, ita ut invalidum esset remediorum auxilium. Unde cum decretoriam illam horam adesse sentiret, salutis habita ratione, Divinas leges, æterna illa Cœli Iura expendere coepit & meditari. Corpore igitur & Sangvine Servatoris nostri Iesu Christi refectus, mundi hujus curis & ærumnis 16. Martii circa meridiem an. 1649. solutus est, & tanquam

legitimus gladiator, Creatori suo corpus animamq; magna religione addixit, cum annos 63. & 8. fere menses vixisset. Funus publico programme indictum est ab Academiae Rectore D. Olao Vormio. Corpus conditum est in Templo D. Virginis, infra Columnam australem choro proximam, in qua Monumentum illi positum est, cum hac inscriptione:

Viro Consultiss. Clariss. CLAUDIO PLUMIO J. U. D. ac P. P. in Regia Acad. Haun. per 32. an. celeberr. Quater interea Rectori, & bis Marito, ac ex utroq; Conjugio 18. liberorum Patri: relicta Vidua KIRSTINA CUNRADI F. cum liberis superstibus hoc monumentum mœstissimè poni curavit, Anno 1650.

Scripta.

Disputationes 2. de Usu Capionibus. & 4. de Iure Conubiorum. De Tutoribus & Tutelis. Haun. in 4.

JANUS DIONYSIUS JERSI- NUS

Natus est in pago Sædlandiæ Jersie, Patre Ecclesiæ istius Pastore Dn. Dionysio Jani f. Matre Helena Johannis f. Adolescens ad discendas literas in Scholam Herlovi-
anam missus est: ubi Rectori Scholæ Villichio Vesth-
vio ita indolem & ingenium probavit, ut è disciplina il-
la emissus, & Civitate Academica donatus, ab eodem
in Collegium Præceptorum ejusdem Scholæ adscisce-
retur. In eo munere perstitit ad Maji finem an. 1607.
Postea ad Exteros abiit. Ut in Patriam revertit, Ma-
gister Artium renunciatus est à Decano M. Johanne Ja-

no Alano an. 1610. 15. Octobr. Rector deinde Scholæ Regiæ Sorensis fuit ab an. 1611. d. 20. Mart. usq; ad an. 1613. d. 29. Mart. Quo tempore rursus in Germaniam abiit, studia & peregrinationem Nobiliss. juvenis Magni Krabbe directurus. Cum in exteris ageret, an. 1616. 19. Februar. nominatus est in Consistorio Hauniensi successor D. Johannis Michaëlii, in Professione Pædagogica: sed literis Professorum ad eam invitatus, moram sibi atq; dilationem dari petiit. Redux demum in Patriam, constitutus est Professor Metaphysicæ, Professionis tum recens institutæ, an. 1619. Et simul studiis Filiorum Regis naturalium præfuit aliquandiu Soræ. An. 1625. in Augusto Mense designatus est Pastor Ecclesiæ D. Virginis & Præpositus: quod tamen munus primum an. 1626. in Januario suscepit, dimissus ab Aula Sorana. Demum Episcopus Ripensis factus est, an. 1629. creatus Theol. Doctor an. 1630. 28. Sept. à D. Resenio. Uxores tres habuit: & ex prima, filium Johannem, qui Magister Artium, Pastor Ecclesiæ Stegensis in Insula Mona fuit: ac duas filias, unam M. Nicolao Sveonio, Lectori Theologiæ in Gymnasio Christianiensi, qui ob dissentientes à fide horum Regnorum opiniones, his Regnis cessit; alteram M. Johanni Paulino Pastori Ecclesiæ Helstadiensis, nuptam. Ex media Conjuge filium habuit Christianum, Magistrum Artium, adversi facti. Ex postrema, filium Jacobum, Magistrum Artium, Pastorem Ecclesiæ Calingburgensis. Obiit an. 1634. in Fyonia, Hauniam ire cogitans. Uxori mediæ defunctæ, & in Templo D. Virginis extra Septentrionale Choriatus sepultæ hoc monumentum in Sepulchrali lapide incidit curavit:

*MARGARITÆ FYRINGIÆ, venustæ, castæ,
pro-*

probæ, & verè in Jesu Christo piæ, uxori jugiter desideratæ: quam die à partu filioli 17. annos 16. menses 11. natam, Verus Sponsus Jesus Christus ad se deduxit anno 1628. Martii 19. JANUS DIONYSIUS FERSINUS M. P.

Scripta.

Brevis tractatus continens officia, Discipulis ad doctrinam consequendam necessaria, scriptus *παρρηλικῶς* ad Discipulos in Schola Herloviana, cum Musis Herloviholmianis prid. Cal. Jun. an. 1607. valediceret: carmine Heroico. Hauniæ in 4.

Orationes duæ Academicæ. 1. Lutherus Thaumaturgus. 2. Ant-Irenicum. Hauniæ 1621. in 4.

De Miraculis. Haun. lingv. Dan. 1631. in 12.

Fidei Certamen & Victoria. Haun. 1635. in 12. lingv. Dan.

Vera via vitæ. Haun. 1633. in 12 ling. Dan.

Sermo funebris in obitu D. Caspari Bartolini, de Enochii vita & moribus. Haun. 1629. in 12. ling. Dan.

JACOBUS ERASMIUS BROK- MANNUS

Natus Coëgii, Patre Erasmo Severini, Urbis Consule, Matre Bothilda Jacobæa: Magister Artium renunciatus an. 1617. à Decano M. Johanne Alano, Rector fuit Scholæ Herlufiholmianæ. Designatus verò Professor literarum Humaniorum in hac Academia an. 1619. Obiit in Misnia an. 1620. rediturus in patriam, ex Thermis Carolinis, quo ob valetudinem profectus erat.

JACO-

JACOBUS HASEBARDUS

Natus est anno seculi Christiani 1591. in Regia hac urbe ac metropoli Danorum Haunia, parentibus optimis & laudatissimis. Patre quidem solidæ eruditionis Viro & Archiatro Regio celeberrimo, D. Doctore Jacobo Hasebardo: Matre verò Christina Nicolai f. femina letissima: à quibus etiam per Christi Spiritum & lavacrum sanctissimæ regenerationis statim renascitur. Sexennis autem puer, privato Præceptori literis ac moribus, quibus prima ætas ad humanitatem informari solet, imbuendus traditur, ad annum ætatis decimum. tum verò, postquam ad eam ætatem adolevit, ut publicæ institutioni habilis videretur, pio Parentum consilio, in Scholam Regiam Sorensem missus est: in qua cum plures annos confecisset, optimaq; ingenii & melioris industriæ specimina edidisset, tandem ad hanc Almam Academiam, tanquam virtutum & liberalium Artium officinam universalem se contulit, ut in doctrinis liberalibus hic longius & feliciter progredere-
 Quare ab eo statim tempore, non solum eos, qui in hac Schola Philosophicas Scientias, verum etiam vel in primis S.S. Theologiæ doctrinam publicè profitebantur, ad triennium integrum sedulo & attentè audivit: usus interea privato Præceptore Viro Clariss. atq; ad informandam juventutem nato, M. Canuto Bieskio, Græcæ Lingvæ Professore publico: sub cujus singulari regimine ita profecit, ut in studio meliorum Musarum, multis veteranis palmam non modo dubiam fecerit, sed præripere visus sit. laurea etiam prima Philosophica donatus an. 1611. die 9. Julii. Ob quam ingenii & proficienti dexteritatem idoneus judicatus fuit, qui pueris Nobilium

lium in convictu & famulatio Sereniss. Principis **CHRISTIANI** Regis **CHRISTIANI IV.** filii informandis præficeretur. Quam Spartam, cum singulari pietate atq; industria aliquandiu ornasset, tandem expetitus fuit diligens moderator & Præceptor filiorum Nobilium Viri Nobilis & Generosi Herois **Dn. Holigeri Rosenkrantzii,** Domini de Rosenholm, & Senatoris Regni Daniæ prudentissimi: quos in omnibus literariis exercitiis domi primum ad triennium instruxit: postea anno 1615. comitante ipsos Parente, secum abduxit in Germaniam, ut perlustratis longissimo itinere, Superioris & Inferioris Germaniæ Civitatibus & Academiis aliquot multis insignioribus, doctissimorum quorumcunq; mores ac studia cognoscerent, eorumq; viva exempla sibi ad imitandum proponerent. Anno autem 1619. in patriam cum suis Discipulis redux, ab iisq; bona boni Parentis gratiæ dimissus, eidem nihilominus tum in Legatione Svecicæ ad Nuptialem festivitatem Sereniss. **GUSTAVI ADOLPHI** Regis Sveciæ: tum aliis itineribus, ferme adhæsit in annum usq; 1621. quo ad publicam Inferiorum Mathematicum Professionem ab Amplissimo Senatu Academico vocatus est, ornatus primum Suprema Philosophiæ Laurea à Spectabili Facultatis Philosophicæ Decano **M. Vulfgango Rhumanno.** Non est hic prolixè commentandum, quanto juventutis bono, operam suam Academiae probavit: in quo præter commodum Discipulorum, ac merum Dei amorem nihil spiravit. Anno subsequente 1622. cum solitarium vitæ statum cum sociali permutare decrevisset, vitæ sociam sibi delegit Virginem lectissimam **MAGDALENAM,** spectatissimi simul ac prudentissimi Viri **Othonis Canutii,** Consulis Urbis **Otrhiniensis** filiam adamatam: quorum conjugium,

um,

um, trium sc. annorum, trina prole Deus faustum & fecundum esse voluit. Sed dum muneri Professorio strenuè incumbit, & hunc finem sibi serio ac sedulo propositū habet, ut Dei gloriæ & hominū utilitati per ipsum propagandæ suis studiis interviret, appositè accidit, Deo rem sic gubernante, ut anno præsignato, ad docendum Evangelium Christi in hac celebri Ecclesia vocaretur, publice ordinatus Pastor & Præpositus ad D. Virginem, mense Novembr. Huic verò functioni ac muneri Apostolico ita præfuit, dum vixit, ut ob eximiam pietatem, spectatam vitæ sanctimoniam, & salutarem docendi rationem, Vir desideriorum ab omnibus Auditoribus sit vocatus. Sed amissa in partu Uxore, tanquam cordis sui dimidio, quæ 17. August. an. 1625. in Domino placidè obdormivit, non sine concurrente sævientis tum luis malignitate, dolorem adeo contraxit magnum, ut haut multo post ipsemet Vir Venerandus ægrotare cœperit, affixus lecto 31. Augusti, in ædibus Paternis, cum moestam matrem inviseret. Vicit autem morbum, mundum & mortem firma in Christum Salvatorem fide, patientia Christiana, ac spe beatæ resurrectionis, cum die 5. Septemb. an. 1625. in vera invocatione piæ animam Deo Creatori piè redderet, postquam producta ei fuit hæc vitæ fabula in annum ætatis 34. Funus publico programme à Rectore Academiæ D. Claudio Plumio indictum est. Sepultus in Templo D. Virginis extra Australe chori latus.

JOHANNES ERASMIUS BROCHMAND

Natus est Coagii, Emporio Sædlandiæ haut ignobili, anno 1594. 13. Julii, Parentibus honoratissimis, Patre Vi-

ro dignitate ac honoribus conspicuo, Erasmo Severini apud Coagienses Consule integerrimo: Matre, femina pietatis, castitatis, aliarumq; virtutum matrimonialium laude cumulatissima Bothilda Jacobæa. Hunc suum filiolum pignus tori conjugalis lectissimum, parentes prudentissimi sacro fonte recens natum tingi, atq; à connatis primævæ fœditatis sordibus ablui saluberrimo consilio curarunt, ut qui illis sordes debebat, Christo mundi-
 tiem deberet. Postquam autem eo ætatis pervenisset, ut tenellus animus salutaribus præceptis commodè imbui posset, non satis habuerunt pientissimi parentes, domi filiolum suum laudabili pietatis exemplo ipsi præire, ac privatim recenti testæ diu servandum virtutum liquorem infundere, nisi una publica in Patria Schola institutione, ad honestatis ac artium liberalium culturam exerceretur. Licet autem Patre, qvian. 1599. 20. Iunii diem suum obiit, admodum adolescens sit orbatus, tamen mater ejus subacti ac virilis judicii matrona, filioli curam, quæ sibi antea cum marito fuerat divisa, in se unam translatam intelligens, ut studiis ejus rectius consulere, & quæ jam altè radices egerant virtutum ac eruditionis semina, ad frugem & fructum maturius pervenirent, an. 1604. 3. Febr. Scholæ Herlovianæ, qua vix est alia præclarorum ingeniorum magis fœcunda, Alumnis illum annumerari curavit: ubi intra septennii spatium eos in literis humanioribus fecit progressus (usus interea Informatoribus M. Findio, Villichio Vesthovio, M. Casparo Erasmo Brochmand, fratre suo, ac M. Petro Petri Hienio) ut an. 1611. 22. Maji, merito suo, Rectore Magnifico Dn. D. Johanne Pauli Resenio, ac Decano Dn. M. Christiano Longomontano, civitate Academica sit donatus. Exacto in Academia Patria biennio integro, quod

quod Lingvarum ac Philosophiæ studio unice impendit, Matris svasu, ac fratris amicorumq; hortatu, qui divino præditus ingenio jam laudabiliter in literis humanioribus profecerat, ad altiora studia capeffenda extra Patriam ablegatur, ubi circiter quinquennium Philosophiæ, Theologiæ ac lingvarum studiis ita invigilavit, ut quibus in exteris convixit, dulcem sui reliquerit memoriam, in patriam verò redux hisce literis auctissimus redierit. In Gymnasio verò Lavingensi, quod Palatinatus Neoburgici ditioni est subiectum, decem menses ea industriæ ac pietatis laude transegit, ut omnibus ejus Gymnasii Professoribus hisce nominibus fuerit commendatissimus. Hinc Vitebergam celeberrimam illam Saxonix Academiæ civis concessit: ubi quadriennii spatio ita rerum suarum satagebat, ut in patriam reversus dignissimus fuerit, cujus opera Magistratus Superior in Scholis, Ecclesia aut Academia fructuose uti posset. Hinc perlustratis celebrioribus Germanix Academiis, Lipsiensi, Ienensi ac Rostochiensi, in patriam se contulit. Et licet non deerant, qui erectum ejus animum ad iter Belgicum, Gallicum ac Italicum acriter incitarent, illis tamen morem gerere non subinuit, ne qui sua studia sinceræ Religionis unice consecrarat, ex istarum regionum contagio non nihil fortassis noxæ contraheret. Patriæ ac amicis redditus instante, qui proximè sequebatur, anno 1618. Rectore Magn. Dn. D. Casparo Bartolino, ac Decano Dn. D. Olao Vormio, Magisterii titulo ac honoribus, maximo omnium, qui aderant, applausu, est exornatus. Eodem anno, pie defuncta Matre, Regiæ Scholæ Soranæ à S. R. M. præficitur: quam provinciam, ea tum vitæ ac morum integritate, tum docendi dexteritate administravit, ut omnes haut vano

augurio ampliora illi animis ac votis destinarint. Nec eos opinio fefellit. Exacto enim in Scholastico hocce munere biennio, an. 1621. ad Professionem Philosophicam in hac Academia evehitur. Et ex Novella Regia eodem anno promulgata, primus in hac Academia pro Cathedra disputavit die 15. Septembr. An. 1623. Divino instinctu, nec non amicorum svasu procius, in matrimonium ambiit Dn. D. Thomæ Finkii, Medici Senioris, & Facultatis Medicæ Decani, Communitatis Regiæ Oeconomi, nec non Roëskildensis Canonici filiam natu minimam, Virginem lectissimam DRUIDAM FINKIAM, quam & ex ambiit, celebratis eorum nuptiis Hauniæ 3. August. 1623. Quod eorum conjugium sena prole fœcundum fuit, gemina mascula, & quaterna femella: E quibus filius Erasmus, Magister Artium, Theologiæ Professor in hac Academia fuit: filiarum natu maxima Bodilla M. Matthiæ Fossio, Arcis Hauniensis Ecclesiastæ: Sostrata M. Michaëli Henricio, Pastori Ecclesiæ S. Nicolai Haun. Dorothea M. Christiano Stenbukio Professore Regio, nupsit. Professor Philosophus juventuti Academicæ Ethicam, Metaphysicam ac Physicam insigni cum utilitate ac fructu publicè prælegit: interea itidem Jurati Academiæ Notarii munus fideliter ac feliciter aliquandiu administravit: ac an. 1627. communibus suffragiis Decanus Facultatis Philosophicæ constitutus, 47. lectissimos juvenes Artium liberalium ac Philosophiæ Baccalaureos creavit. Verum postquam S. R. M. religionis propagandæ studio, Professorum numerum quarta Professione Theolog. adjunctis munificentissimè annuis redditibus, adauxisset, sacro huic muneri 20. Decemb. 1630. à S. R. M. admovetur: cui functioni licet arduæ ac difficili admodum, qua in-

du.

dustria Vir hicce beatissimus octennium ferme præfue-
 rit, notius est, quam ut probatione sit opus. Ex quo ad
 Professionem Theologicam divinitus est vocatus, Re-
 ctoratus fasces ac sceptrum bis obtinuit, semel sequenti
 anno 1631. quam muneri Theologico est inauguratus:
 iterato autem an. 1638. Mores ejus ac convictum quod
 attinet, quem se Professione profitebatur, vita expressit:
 eorum in semet rigidus censor, quæ in aliis requirebat:
 In æde sacra assiduus: in Cœna Dominica frequens atq;
 devotus, vita religiosus, moribus gravis, ab omni assen-
 tatione alienus, fuci & fraudis expers: summo amore in
 uxorem unicè sibi dilectam propendit: summa industria
 liberos suos educavit: plurimum laboris ac operæ, tum
 Nobilium, tum aliorum, qui illius fidei concrediti erant,
 rectæ institutioni impendit. Quin imo ea erga Deum
 vixit pietate, erga homines morum ac vitæ integritate,
 ut utrisq; semper fuerit acceptissimus. Vita itaq; lauda-
 biliter acta, parem exitum invenit. In febrem illam E-
 pidemicam, quæ noxia tabe longè lateq; virus suum an.
 1638. fudit, 28. Sept. incidit: eapropter ut initis ob-
 staret, accessitum ad se Virum Experientissimum Dn. D.
 Olaum Vormium Professore Medicum, medicinam
 huic morbo ac malo pellendo accommodatam rogat:
 qui nequaquam suis defuit partibus, sed adhibitis, quæ
 humana solertia excogitare poterat, pharmacis, ad hunc
 morbum tollendum quam maximè conducibilibus, id
 præstitit, ut febris tandem remisisse videretur; verum
 cum ab ineunte ætate, teneræ fuerat valetudinis, & mor-
 bi gravitas, quantulum illi antea erat roboris ac virium
 jam absumserat, plus subsidii ac fiduciæ in salutari Cor-
 poris & Sanguinis Dominici medicina, quam in Phar-
 macopolarum pyxidibus reponens, 8. Octobr. opera
 sub

subsidiaria Viri Clarissimi M. Nicolai Paulini ad D. Virginem Pastoris ac Præpositi, animam suam salutifero Corporis & Sanguinis Domini nostri J. Chr. epulo refici curavit, præmissa peccatorum admissorum ingenua & altis suspiriis ex imo pectore profecta confessione. A prænominato Dn. Præposito aliquoties postmodum invisus: in meditatione gaudii cœlestis, universus ejus sermo in primis occupabatur, adeo ut jam visa sit sibi beatissima anima, necdum corporis soluta vinculis, in participatum ineffabilis ejus gaudii pervenisse. Die, quæ sequebatur, 10. Oct. licet nondum aliis spes decollarat, ipse tamen suæ ἀναλύσεως certus, dilectissimam Conjugem, quam morbus ac mœror lecto affixerant, ad se vocari jubet: cui de conjugali convictu, eoq; longe jucundissimo, præstito obsequio, aliisq; nominibus, gratias proluxe agens, horum officiorum Deum indubitanter remuneratorem fore pollicetur, jubetq; questibus ac lamentis parcat, expertura re ipsa præsentissimum cœlestis Patris auxilium. Huic Parenti dixit se illam ac communes liberos commendare, gratiam, pacem ac benedictionem in nomine Domini nostri J. Chr. illi ac liberis apprecatus. A meridie circiter horam 3. cum Dn. D. Casparo B. fratre suo carissimo colloquium habuit sanctissimum, quod magnam S. Spiritus virtutem in ipso sapiebat. quo finito, cum frater illi benedictionem Aaronicam apprecatus esset, placidè ac piè exspiravit, exacto anno ætatis 44. an. Chr. 1638. die 10. Octobr. Funus publico Programmate à Pro-Rectore M. Jacobo Finkio indictum est. Corpus conditum in Choro Templi D. Virginis: ubi in columna australi Monumentum ei positum est, cum hac inscriptione:

D.O.M.S. Re-

D. O. M. S.

Rever. & Clar. Viro, D. JOH. ERASM. BROCH.
 Cong. Phil. & Theol. 16. an. æqva sort. P. P. An. Chr.
 1638. 6. Id. Octob. ætat. 44. iter. Rect. men. 5. pie de-
 fundt. DRUDA FINKIA, 15. conjugii anno, cum 2.
 fil. & 4. filiab. superstes hoc peren. memor. monum. mœstiss.
 P. C.

Scripta.

Ἐξὰς Quæstionum Philosophicarum. Vitebergæ 1617.

Trias decupla Problematum è Cyclopedia Philosophi-
 ca depromptorum. Haun. 1621. in 4.

Πρόγνωση Philosophiæ Aristoteleæ. Haun. 1628. in 4.

Disputationes Physicæ tres.

Disputationes Theologicæ duæ de Ecclesia. Haun. 1635.
 1636. in 4.

JACOBUS FINKIUS

Editus est in lucem Hauniæ, anno æræ Chr. 1592. festo
 S. Johannis Baptistæ, hora 1. min. 36. post mediam no-
 ctem. Parentes habuit omni virtute ornatissimos: Pa-
 trem Virum celeberrimum, deq; Rep. literaria optimè
 meritum, Doct. Thomam Fink, in Regia hac Acade-
 mia Medicinæ Professore Publicum, Seniore & E-
 meritum, Medicæ Facultatis Decanum, Regiæ Com-
 munitatis Oeconomum, & Roëskildensis Capituli Ca-
 nonicum: Matrem, feminam præstantissimam, Solstra-
 tram Ivariam, ex perantiqva splendidaq; familia Ivaria,
 cujus majores olim longa serie, quali hæreditaria suc-
 cessione, Frisiæ Eidorensis præfecturam gessere. Cum
 4. Cal. Quintil. sanctissimo regenerationis lavacro ab-

lueretur infans, inditum ei est nomen, quod avo, proavo & abavo fuerat commune. Quam primum permisit tenera filii ætas, nihil omisere Parentes, quod ad bene, & in usum Reip. educandum eum posset conducere. Quam in re curam eorum & studium, mirum in modum adjuvit honestissimis disciplinis à natura deditus pueri animus, & congenita indoles, adeo eximia, ut non modo, quod cum virtute erat conjunctum, discerneret; sed & admittere quidquam, quod natalium splendore, majorumq; nomine esset indignum, summopere averfaretur. An. 1602. in numerum Discipulorum Illustris Herlovianæ Scholæ admissus, ultra quinquennium ibidem discendo exegit, donec sextodecimo ætatis anno, supremum locum adeptus, singulari cum laude commendaretur Regiæ hujus Academiæ Professoribus. Verum cum Pater eum ob juvenilem ætatem necdum aptum judicaret ad ea percipienda, quæ in Academia solent doceri, an. 1608. ad Electoralem Misnensem, quæ in Saxonia est, Scholam eum misit. Ubi postquam esset ultra biennium commoratus, an. 1611. mensium aliquot spatio, in Acad. Lipsiensi & Jenensi substitit. Sed Argentoratensem Academiam volebat Pater ut præ aliis haberet studiorum sedem: tum quod ipse ibidem per multos annos esset studiorum causa versatus: tum quod etiamnum in vivis essent multi, quorum alios, ut Præceptores, alios ut amicos ipsemet colebat. Ideoq; Joh. Havenreutero, Medico & Physices Professori, Malleolo Mathematico, Mar. Floro Eloquentiæ Professori, Matth. Berneggero, aliisque Clarissimis in eadem Academia Viris eum per literas commendabat. Itaque jactis jam Argentorati solidioris eruditionis fundamentis, in Medicina Professoribus usus est duobus illis Germaniæ Gale-

Galenis, Sebitzio & Saltzmanno, qui, ob contractam apud exteros cum Patre ejus amicitiam, quam fidelissimè cum informabant. An. 1611. à Parente est vocatus in patriam: ita tamen, ut antea præcipuas Rheno adjacentes adiret Civitates, Heidelbergam, Nemetum Spiram, Vangionum Vormaciam, Moguntiam, Coloniam Agrippinam, usq; dum Francofurti ad Mœnum vernales nundinæ initium sumerent. Tum jussu Parentis reversus in Patriam, in Regia hac Academia versatus est usq; ad ineuntem auctumnum: & interea temporis, sub Parentis præsidio, Medica proposita defendit, inq; aliis Academicis exercitiis, ea dedit doctrinæ argumenta, quæ laudem merebantur. Hinc Tubingensem Academiam adiit, tum ut in Mathematicis opera uteretur Clarissimi Viri Mich. Mœstlini, qui, quod sibi à multis jam annis cum Seniore Finkio summa familiaritas, & in dicto studiorum genere magnus usus intercessisset, egregia præcepta & consilia communicabat juveni: tum, ut hospitio uteretur Th. Lansii, Historici & Oratoris celeberrimi, Juris in Illustri Collegio Professoris Publici, cujus convictû & quotidiana colloquia in primis magno sibi ad recte ingrediendam studiorum rationē usui & emolumento fuisse, sæpenumero fatebatur Finkius. Anno sequente Giessensem Academiam accessit, ibiq; per annos aliquot audivit in Theologia Vinkelmannum, Mentzerum, Helvicum, Casp. Finchium: in Medicina Horstium, Jungermannum: in Philosophia Scheiblerum, Theodoricum, Breidenbachium: & interea temporis, data occasione, vicinas visitavit Academias: Marpurgensem, ut Goclenium, Hartmannum, Petræum: Herborensem, ut Alstedium audiret & Piscatorem. Dum in Giessensi Academia studiis incumberet adolescens,

supremum diem obiit Mater. Itaq; domum eum revocare decreverat Parens. Impetravit nihilominus filius, ut, postquam jam per tot annos vixisset in Germania, etiam alias peregrinas regiones sibi liceret adire: atq; per Helvetiam Rauracorum Metropolin, venit Coloniā Allobrogum: ubi per integrum pene annum Lingvæ Gallicæ, aliisq; honestis exercitiis animum applicuit. Cum ibidem à Nobili Silesio, ex familia Haugvitz, esset rogatus, vellet ad rectè ineundam conficiendamq; peregrinandi rationem ducem se ei & magistrum præbere, quamvis multa essent, quæ dissuaderent, ne oblatam provinciam in se susciperet, tamen consensit tandem: & postquam Italiam primo perlustrare statuisset, facti itineris initio, per Sabaudiam, venerunt Chamberiacum, ubi postquam substitissent, usq; dum absoluta essent nuptiarum solennia, quæ inter Sabaudorum Principem & Galliarum Regis Sororem celebrabantur, profecti sunt Lugdunum. Inde post mensium aliquot spatium, secundo flumine Viennam, Valentiam, Arausionem, Avenionem, tandemq; per Sabaudia littora & Ligusticum mare, appulere Genuam. Verum cum tum temporis, ex occasione orti nuperrimè in Germania belli, mutatus esset monetæ valor, indeq; ita turbaretur res nummaria, ut facta per Germanicos mercatores argentaria mox rejiceretur ab Italis, coacti sunt, mutato consilio, redire in Gallias: & lustratis, Massilia, cæterisq; prope Pyrenæos montes & Iberiæ confinia, Civitatibus, Narbone Martio, Carcassone, Tolosa, Aginno, Burdigala, porroq; Rupella, Augustorito Pictonum, Andegavo, Salmurio, Cæsaroduno Turonum, Blæsia, pervenere Aureliam: ubi postquam per æstatem commorati, rem nummariam constituissent, circa hyemem se

contulere Parisios : ibiq; , quamvis turbulentus esset rerum status , tamen , partim exercitiorum studiorumq; causa , partim ut apud Regiam Aulam essent , annum cum semestri transegere . An. 1620. per Normanniam profecti sunt Diepam : indeq; navigio vecti in Angliam , tantisper ibi subistere , donec quæ Londini , Oxonii , Cantabrigiæ , & in Regiis arcibus , Hamtoncourt & Vindesfor , erant visu digna , perlustrassent . Tum transvecti in Belgium , perlustratis , Flandriæ , Brabantia , Hollandiæ , Ultrajectensis Domini , Frisiæ , munitissimis locis & præcipuis oppidis , per Bremensem Archiepiscopatū venire Hamburgum : hinc Lubecam : postea per Ducatum Megapolitanum & Marchionatum Brandenburgicum , in Silesiam , ad dicti Generosi juvenis prædium in Ducatu Glogoviensi situm . Hinc FINKIUS , relicto , quem hætenus habuerat , comite , se contulit Pragæ Bohemorum : indeq; elapsis mensibus aliquot , Uratislaviam , Lignizium , Jauraviam , Glogoviam majorem , & , ineunte vere , Francofurtum ad Viadrum : ubi cum annum integrum esset studiorum gratia versatus , an. 1622. literis admodum honorificis ad Professionem in Regia hac Academia suscipiendam est vocatus . Quod publicum docendi munus , habita pro loco Disputatione ; editoq; præclaro eruditionis specimine die 18. Octob. an. 1623. est aggressus , postquam ejusdem anni 6. Id. Novemb. solenni more esset adscitus in Professorum numerum . An. 1625. postquam 12. Maji Magister Philosophiæ à Decano Facultatis M. Vulfgango Rhumanno renunciatus esset , cum , in feriis Academicis , ad redimenda avita bona , quæ multorum annorum decursu , longaq; majorum serie , Finkianæ familiæ fuerant in possessione , & per avi tutores , ipso puero erant abalienata

ta, in Jutiam Meridionalem Parentis nomine esset profectus, singulari Numinis providentia, uxorem sibi petiit ornatissimam Virginem, MARGARITAM TETENIAM, Experientissimi Viri Johannis Tetenii, Medicinæ Doctoris filiam: ex qua, celebratis Hauniæ an. 1627. 13. Calend. Septembr. matrimonii solenni- bus, quatuor suscepit liberos, duos filios, Thomam & Johannem, & totidem filias, Sofstratam, Experientissimo Viro Doct. Christiano Ostenfeld Medicinæ in Regia hac Academia Professore Publico: & Margaritam Viro Excellentissimo Mag. Erasmo Pauli f. Vindingio, Historiarum & Geographiæ in Regia hac Academia Professore Publico, nuptam. Cæterum castissimum illud conjugium an. 1637. dissolvit sæva mors, quæ lectissimæ feminæ vivendi finem fecit. A quo tempore cœlebs perpetuo mansit FINKIUS: contra dolorem illum potissimum se solatus præclara liberorum suorum indole, quos videbat exactissima similitudine referre splendidissimæ familiæ mores, & ad majorum virtutem avitis gressibus contendere. Summum in Academia Magistratum, magno cum Reip. emolumento, gessit quater: ut Rector Magnificus ter, an. 1637. 1643. 1652. ut Pro-Rector, semel, an. 1638. Et Philosophicæ Facultatis Decanatum quinquies, an. 1631. 1638. 1642. 1648. 1654. renunciatis prima vice Baccalaureis 19. secunda Magistris 18. Tertia, Magistris 32. Quarta Magistris 20. Quinta Magistris 15. Procurator interea quoque Templi D. Virginis fuit ab an. 1638. ad an. 1660. Extremis annis, cum jam post Patris obitum Academiæ Senior esset, Emeriti Professoris privilegia à Ser. Reg. Maj. impetravit. Annis pene quatuor ante obitum, gravissime cœpit laborare jecoris obstructione, quam se-
que-

quebantur Icterus, cordis palpitatio, vertigo, animi deliquium, aliaq; permolesta accidentia. Fregit tamen tum temporis quam felicissimè morborum vim conjuncta cum remediis firmior corporis constitutio, quæ à vitalibus visceribus malum versus pedes detrusit. Verum non est visus usq; adeo convaluisse, ut amissas vires recuperarit, & cum pristina sanitate redierit in gratiam; sed coactus est domi se continere, nisi cum vel sacram cœnam accederet, vel serenum esset cœlum & temperatus aër. Cum verò, quæ erat rei Medicæ experientia, partim ex subita valetudinis mutatione, partim ex ingravescente ætate & provecta senectute, conjiceret, persistere diu non posse illam corporis infirmitatem, à mundanis rebus, quantum permittebat officii ratio, mature avocabat animum, & in æternæ vitæ meditatione figebat mentem, atq; Sacræ Scripturæ lectioni quotidie certa impendebat tempora, cui per intervalla solebat adjungere Philippi Nicolai librum de Vita æterna, quem quinq; à se perlectum, jam sextum cœperat ab initio evolvere. Novissimis, qui Natalitiorum festum præcessere an. 1662. diebus, visus est morbus relictis pedibus, versus superiores partes ascendere. Quo comperto, Gener, qui multos jam annos valetudinis ejus curam gesserat, vir Experientissimus Doct. Chr. Ostenfeld, nihil reliquit intentatum, quod ad tollendum malum posset conferre: &, ne quid deesset, sibi adjunxit Excellentissimos Medicos, Doct. Paulum Moth, Ser. Reg. Maj. Medicum, Doct. Thomam Bartolinum, in Regia hac Academia Honorarium Medicinæ Professore Publicum, & Medicæ Facultatis Decanum, & Doct. Henr. Moinichen, Regiæ Aulæ Medicum: qui, dum vitæ spes ulla erat reliqua, communica-

tis consiliis, quæcunq; è re erant, præscribebant. Videbatur quidem morbus per intervalla remittere usq; adeo, ut de restituenda sanitate non exigua spes apparet: in primis postquam ægrotus vidisset salvum & incolumem jam in patriam reversum filium natu minorem Johannem, cujus reditum jam diu desideraverat. Sed cognitum est tandem, morbum tanto impetu vitalia viscera jam esse aggressum, ut remediis nullus omnino esset locus. Interea primo ineuntis novi anni 1663. die, vespertino tempore, vocato viro admodum Reverendo & Clarissimo, Mag. Erico Ol. Tormio, ad Deiparæ Virginis ædem Pastore, post editam peccatorum Confessionem, eorumq; impetratam remissionem, salutari Dominicæ Cœnæ Sacramento ad beatam ex hac vita discessum se præparavit: ideoq; Sacerdoti, cum de rebus Spiritualibus, iisq; quæ ad animæ salutem pertinent, haberet cum ipso sermonem, respondit, ita se æternæ vitæ desiderio jam dudum esse captum, ut nihil optaret magis, quàm ejusdem esse participem. Tandem, compositis membris, compressis oculis, animo fidei pleno, 4. Non. Januar. an. 1663. circa medium noctis, animam, quæ annos 70. menses 6. dies 10. in terreno corpore transegerat, Creatori reddidit. Funus à Rectore Academiæ Mag. Bartolo Bartolino indictum est programme publico. Corpus, sicut extremis jusserat, sepulcro Patris illatum est in Templo D. Virginis in Sacello S. Rochi: ubi Monumentum ei ponent Optimi Hæredes, cum hac inscriptione, in adversa facie:

JABOBUS FINCKIUS Profapiam Familiis Finckiorum & Ivariorum è Ducatu Slesvicensi: Lucem & Educationem Hafniæ Danorum, melioribusq; Europæ

Au-

Aulis & Academiis debuit : Mathesin , Physicam , Artesq; liberales in Academia Regia Hauniensi publicè docuit : Senior & emeritus immunitate à Rege donatus : Plus suis quàm sibi vivere studuit : Morum integritate , solidaq; eruditione , vivus æmulationem , mortuus admirationem meruit : Plus esse , quàm videri , voluit : Nec superbius quid tumulo inscribi optavit , quàm quod vivus semper in ore habuit : BEATI QVORUM NOMINA SCRIPTA SUNT IN COELO.

Aversa facies hæc exhibebit:

Duorum filiorum , totidemq; filiarum Parens , Conjugem MARGARETAM TETENS Oldenvorti apud Eyderstadorenses sepelivit : heic ossa tumulo Paterno inferri jussit : Natus 1592. Denatus 1663.

Scripta.

Quæstionum Philosophicarum Miscellanearum Dodecas. 1623. in 4.

Heptas Quæstionum Philosophicarum. Haun. 1632. in 4.

Disputationes Physicæ : De Primis rerum naturalium principiis. 1636. De Elementis. 1639. De secretiore Naturæ scrutinio instituendo. 1643. De Subjecto Caloris in Universo. 1647. De variis Caloris speciebus & effectis. 1648. De vero Frigoris subjecto in Universo. 1649. De nonnullis ad Frigoris naturã plenius explicandam necessariis. 1652. De Thermoscopio. 1655.

JOHANNES JOHANNIS RE- SENIUS

Natus est anno Christi 1596. die 19. Octob. Hauniæ: Patrem habuit Dn. Johannem Pauli Resenium, S.S. Theologiae D. & P. P. ejusdemq; Facultatis Theol. Decanum & Seniore, Sædlandiæ Superintendentem vigilantissimum: Matrem verò Barbaram, Andreæ Laurentii, S.S. Theol. Doct. & Profess. Publ. in hac Academia Regia, filiam lectissimam. Quibus præclaris parentibus fatus & ortus, statim ad sacrosanctum Baptismatis fontem adductus est, ubi gratiosum illud nomen JOHANNIS ipsi non sine omine fuit impositum. Posteaquam autem altioris animi infans fari cœpisset, & ad capeſſendam disciplinam fieret habilis, matre, jam quinquennis, orbus, ad pietatis, virtutum ac literarũ studia, magna magni Parentis cura domestica ductus est, ac fere in ipsis, quod ajunt, crepundiis subsequituræ vitæ documenta præclara satis edidit. Jactis itaq; domi privatim melioribus pietatis, virtutis, & bonarum literarum fundamentis, consulto & cogitato Parens ejus sanctissimus, publicæ institutionis amantissimus, hunc suum unicè dilectum filium, an. 1608. publicè in Schola Hauiensi instituendum tradidit Viro Clarissimo Dn. M. Johanni Kraftio, Scholæ Hauiensis Rectori perquam industrio, ut & ejus in tam arduo officio Successori dignissimo Dn. M. Francisco Georgii: à quo laudabili vitæ, morum, ac studiorum testimonio instructus, ad Patres Academiae Hauiensis concessit, humaniter an. 1614. exceptus, & Academica civitate jure donatus, à Viro Excellentissimo, M. Casparo Erasmi Brokmanno, Facult. Philosoph. Decano & Græcæ Lingvæ P. P. Rectore Dn. Cunrado

rado Aflaco S. S. Theol. Doct. & P. P. Numero Studio-
 forum adscriptus, tempus neutiqvam otiano vel pa-
 lando inaniter contrivit, sed fere totius Philosophiæ
 Encyclopædiam, lectiones, disputationes, & Collegia
 Philosophica diligenter & frequenter visitando, gnavi-
 ter absolvit: simulq; Theologorum lectionibus & dis-
 putationibus sedulo interfuit, partes suas utrobiq; tam
 opponendo, quam respondendo, mascule tutatus. Tan-
 dem an. 1615. animam, qui harum regionum angustiis
 concludi non poterat, ad peregrinationes, ex consensu
 Patris sui prudentissimi, constanter appulit: ac primum
 20. Novembr. venit Rostochium, mox 29. ejusdem Vi-
 tebergam se contulit, ubi diligenter cogitavit, cur illuc
 patriis missus erat ab oris, ac propterea in optimarum ar-
 tium studiis, adeo continenter & assiduè versatus est, bo-
 nos Auctores legendo, de quæstionibus controversis a-
 criter sub Professorum præsidio disputando, sese in ipso-
 rum familiarissimam consuetudinem & usum immiscen-
 do, imo omni arte irrependo. Didicerat enim ex Patre,
 quanti sit æstimanda virtutis exercitatio cum bonis, &
 familiaris cum doctis viris conversatio. Quamobrem
 etiam usus est familiarissimè D. D. Frantzio, Baldvino,
 Meisnero, Jacobo Mart. Schmidio, Spigelio, Buchne-
 ro, Trostio: & aliis viris apud omnes mortales æternam
 virtutis & eruditionis suæ laudem consequutis. Interea
 quoq; temporis Dresdam abiit, visurus illic præsentem,
 Imperatorem Romanum MATTHIAM, & Archidu-
 cem Austriæ FERDINANDUM electum Bohemiæ
 Regem, & postea Imperatorem. Hinc abiit Lipsiam,
 Halam, & quæ vel primo loco, propter celeberrimum D.
 D. Johannem Gerhardum, nominanda erat, Jenam: &
 ubiq; Viros quosq; clarissimos convenit. Sed ingens il-

lud, quod apud Patrem reliquerat sui in patria desiderium effecit, ut in patriam vocatus, rediret ad d. 14. Maji, 1618. Verum anno mox insequente, 26. Febr. iterum à Patre dimissus venit Hamburgum, unde rectà per urbes Germaniæ celebriores ivit Argentoratum: ubi annum cum semestri substitit, donec sese in familiaritatem & consuetudinem D. Beckettoldi, Gifanii, Lebelii & aliorum insinuaverat: in primis Sympatriotarum suorum inibi commorantium, Perillustris & Generosissimi Viri Dn. Nicolai Trolle, à quo propter veterem consuetudinem plurimi semper fuit habitus: itidem Viri Nobilissimi & Generosissimi Dn. Magni Sehested, quem comitatus est ad Helvetios, in primis Basileenses, ad Allobroges & Genevenses: quibus relictis per Galliam venit Lugdunum: inde rediit Argentoratum. Argentorato venit Tubingam motus celebritate nominis & famæ D. Thummii: in cujus, sicut & reliquorum Dn. Professorum consuetudinem se penitus immerisit. Hinc Augustanæ Trevirorum, Moguntiam, Coloniam, Francofurtum, Vormaciam, & alias urbes nominatissimas vidit: in quibus quicquid celebre & memorabile erat, cognovit. Tandem per Burgundiam in Gallias profectus, primo Lutetiam, mox Aurelias invisit: unde per Brabantiam & Bataviam in Daniam rediit d. 20. Decembr. an. 1620. Vix quadrimestre spatium post reditum ipsius in patriam abierat, cum expeditione Viri Perillustris & Generosissimi Dn. Palæmonis Rosenkrantzii, Scholæ Herlovianæ, cujus ipse Præses erat, à Patre suo, Seniore Resenio, præsentem D. Cunrado Aflaco præficeretur, & ejusdem cura ipsi singulariter à Præsidente loci, in ipsius absentia demandaretur, 11. April. an. 1621. Mense proximè sequente d. 14. Maji, Rectore Dn. D. Cunrado Aflaco,

&

& Decano M. Vulfgango Rhumanno Eloqv. P. P. honoribus ac titulo Magisterii, maximo omnium, qui aderant, applausu est exornatus. Nondum erat elapsum triennium, ex quo Recturam Scholæ Herlovianæ suscepserat, cum ex benignissima CHRISTIANI IV. voluntate, à Magnifico Academiae Rectore, Dn. D. Casparo Brokmanno, & reliquo Senatu Academico ad Professionem Philosophicam, 4. Martii, an. 1624. vocaretur: Pro loco sibi in Facultate Philosophica assignato disputavit 1. Maji. Orationem verò inauguralem habuit 1. Julii. & statim 5. Jul. publicas prælectiones in Ethica Nicom. Aristotelis aggressus est. Eodem anno, sed ætatis suæ 28. ad matrimonium animum adjecit, ac sibi delegit & 14. Nov. matrimonio junxit, ex instinctu divino, & utriusq; Parentum consensu THALIAM VINSTRUPIAM, virginem pietatis, pudoris, omniumq; virtutum laude conspicuam, viri admodum Reverendi Clarissimi & excellentissimi Dn. D. Petri Vinstrupii S. S. Theol. in hac Academia Regia P. P. & Sædlandiæ Superintendententis vigilantissimi filiam. In hoc Conjugio quod Dei beneficio 28. annos, 4. menses, & 20. dies duravit, factus est Parens 9. filiorum, & 4. filiarum. E filiis Petrus J. U. D. Professor in hac Academia Regius & Urbis Consul: Johannes Magister Artium, Ecclesiæ Ydstadiensis Pastor: Paulus Medicinæ Doctor fuit: Filiarum Anna M. Vilhelmo Langio Professore in hac Academia Regio, Judici Provinciali Jutiæ: Johanna M. Georgio Pastori Rønnebyensi nupsit. An. 1630. 26. Maji, Academiae Notarius factus, Arithmeticã de mandato Magistratus prælegere cœpit, eamq; nova methodo proposuit, & omnia ad regulas demonstrativas applicuit. Eodem anno locum inter 6. ordinarios Philosophos

phos sortitus, Metaphysicam & Logicam professus est. An. 1632. 31. Maij, Decanus Facult. Philos. designatus, supremam lauream Philosophicam 29. Clarissimis & Eruditissimis Viris contulit. An. 1635. 24. Januar. vacante primarii Pastoris ad D. Virg. loco, vocatus est à Magnifico Academiae Rectore & reliquis Professoribus ad Consistorium, ipsiq; Spartam vacantem obtulerunt. Verum brevi post literis Regis CHRISTIANI IV. & Cancellarii Regii CHRISTIANI FRISII, post obitum D. Nicolai Petræi, ad Professionem Theologicam vocatus est, ac statim suam orationem habuit inauguralem, & publicas prælectiones Theol. auspicatus est. Anno mox sequente 1636. 5. Octob. Doctor Theologiae renunciatus est, vice-Decano Dn. D. Casparo Erasmi Brokmanno, Rectore Academiae Dn. D. Olao Vormio, & interea prælectiones suas in Johannem continuavit, ac plusculas eruditas disputationes in eundem edidit, & multa alia *πολυδαίδαλα* partim concinnavit, partim addidit in Epistolas Paulinas. Laborioso Rectoratus officio præfuit à 1. Julii, an. 1641. ad annum vertentem. Fatis an. 1652. concedente, Viro celeberrimo & immortalitate donato Dn. D. Casparo Brokmanno, Superintendente Sædlandiæ vigilantissimo, à primariis Pastoribus omnium Urbium Sædlandicarum 25. Maji electus est in ipsius locum successor: quam electionem Rex Augustissimus FREDERICUS III. clementissimè approbavit. Sacramento autem Episcopali in arce Hauniensi dicto, in Templo Academico Dom. 5. post Trin. Præsul Ecclesiarum & Scholarum Sædlandicarum, à Viro admodum Reverendo & Excellentissimo Dn. D. Petro Vinstrupio, Scanicarum Ecclesiarum Superintendente meritissimo, auspicio creatur felicissimo. Sacro
huic

huic muneri nunc inauguratus, omnes suas curas, cogitationes & conatus eo convertere cœpit, ut singula Boni Episcopi munia laudabiliter exsequeretur & adimpleret. Cum autem brevi post suam inaugurationem occuparetur in sacris Personis ordinandis, & singulis officii sibi concrediti partibus disponendis, aëris fervida febris ipsum invasit, quæ corpus per se haut antea validum, ita nunc durius, nunc mitius in diem usq; mortis afflixit, attrivit & labefactavit, ut tandem, accedentibus aliis quoq; periculosis symptomatis, omnem Medicorum etiam peritissimorum industriam fallens, inevitabilem Viro immortalitate digno, & ad relinqvendum omnibus bonis, ob incredibilem ejus erga omnes candorem, amorem, benevolentiam, & summam erga Pauperes beneficentiam, perpetuum desiderium nato, attulerit ex hac vita migrandi necessitatem. Quam cum acrius imminere persentisceret, advocari jussit Virum Clariss. Dn. M. Ericum Olai Tormium, ad D. Virginem Pastorem ac Præpositum vigilantissimum, animæ suæ curatorem fidelissimum, à quo die 2. April. præmissa peccatorum admissorum ingenua, & altis suspiriis ex imo pectore profecta confessione, animam suam salutifero Corporis & Sangvinis Domini epulo refici, & Aaronica benedictione signari curavit. Post abitum Dn. Præpositi, universam domum suam disposuit: Uxori suæ carissimæ, cum qua vixerat concordissimè, extremum Vale dixit: Liberis magno cum gemitu & planctu moribundo Patri adstantibus singulatim benedixit, & paterne monuit, ut pietatem & virtutem colerent, vitia sedulo fugerent. Hinc ad Deum conversus, post pluscules pios & svaves sermones ex verbo Dei habitos, & preces, capitis sui tegmine ori & oculis admoto, fusas, placidè, tan-

tan-

tanquam quietissimo somno correptus, exspiravit, circa mediatam decimam pomerid. Domin. Palmarum, 3. April. an. 1653. postquam an. 56. mens. 5. d. 15. vixerat: Professor an. 29. sed Theologus an. 18. Episcopus verò 9. menses fuerat: ac summam in omnibus laudem promeruerat. Funus publico Programmate à Rectore Academiae M. Jacobo Finkio indictum est: Sepultus est in Choro Templi D. Virginis, ubi in columna Septentrionali monumentum ei positum est, cum hac inscriptione:

D. M. S.

JOHANNI JOH. RESENIO, Theol. Doctori, ejusdemq; in Regia hac Academia Profess. Sædlandiæ Episcopo: qui ærumnosam hanc vitam cum beata commutavit, die Dom. Palmarum, anno Christi 1653. æt. 56. Nec non THALIÆ VINSTRUPIÆ, Matri 13. liberorum: quæ eodem Christi anno, annos nata 49. vitam beata finiivit. Parentibus hisce piis Ben. meren. hoc memoriæ monumentum filii & filia lugentes meritoq; poni curavere, anno Christi 1657.

Lapidi Sepulcrali hæc incisa sunt:

Pietati & Posteritati sacrum.

JOHANNES JOHANNIS RESENIUS, Regius S. S. Theologiæ Professor atq; Doctör, & Præsul Seelandiæ Venerandus, Deo ac Regi fidus, Patriæ utilis, Omnibus carus, Amicis animo constanti amicus, Letus letis, Miseris patronus, Delicium juventutis, Decus Academiæ, ingenio, doctrina & candore, THALIÆ VIN-

VINSTRUPÆ Maritus, Parens novem natorum,
 & natarum 4. hoc tegitur tumulo: in quem liberis po-
 sterisq̄ ejus, ad latus hujus saxi venerabilis, jus est infe-
 rendi perpetuum. O triste jus sepulcri! Tristi fato ere-
 ptus est anno 1653. magno Ordinis Scholarumq̄ dispen-
 dio, majori amicorum & liberorum luctu, maximo stu-
 diosæ juventutis desiderio, cum vixisset annos plus 56.
 In Academia Hafniensi docuisset 29. Præfuisse Episco-
 patui annum circiter. O Patriæ dolor! Verum vivit
 adhuc vitam: vitam mutavit, non reliquit: secessit,
 non decessit: abiit, non obiit: Mors Superum ministra
 eum mortalibus eripuit, immortalibus reddidit: Tu-
 um, Lector, adde, quisquis doctrinam & candorem
 amas, quorum ille thesaurus erat. Abi, flores spar-
 ge, si non lacrymas. Plangebatur & pangebatur PETRUS
 RESENIUS, major natu filius, J. U. D. & P. P.
 die S. Johannis 1660.

S. D. S.

Micha. Apost. Cent. 14. num. 25. Ὁ κόσμος & σκηνή ἰ-
 βί & πάροδος. ἦλθες, εἶδες, ἀπῆλθες.

Scripta.

Heptas duplicata Quæstionum Philosophicarum. Haun.
 1624. in 4.

Disputationes Logico-Metaphysicæ duæ. 1633. 1634.

Ἐπεροδοξία Pontificiorum de Adoratione Sanctorum.

Logologiæ Sacræ Disputationes duæ. 1641.

Amnologia Sacra.

Uranologiae sacrae Disputationes duae.

Idea boni Pastoris. Haun. 1652. in 4.

Oratio in obitum Cancellarii Christiani Fris de Kragerup. Haun. 1640. in 4.

Concio in publicis Supplicationibus proponenda. ex Psal. 6. Haun. 1643. in 8.

NICOLAUS PETRÆUS

Natus est Aurilesiæ, Sædlandiæ vico, an. 1601. Parentibus honestissimis, Petro Nicolai, & Dorothea Johanna. Primo statim lucis rudimento, mystica ablutione renascitur. Mox optimi Parentes infantem inter crepundia & incunabula primis pietatis elementis informari curarunt. Ne vero ullis sive laboribus, sive expensis pepercisse viderentur, cum per ætatis annum jam octavum liceret, privatae institutioni annuo spatio domi addicitur. Quibus intra patrios lares peractis primæ ætatis annis, primùm ad annum Coægiensi, inde quadriennium Roëskildensi Scholis, pietatis & diligentia sacramento se obstrinxit. An. 1615. Herlovianæ militiæ nomen dedit: Clariss. & Excellentiss. studiorum suorum Ducibus, Dn. M. Johanni Knophio & Dn. M. Jacobo Eras. Brokmanno, ob ingenii amœnitatem, dexteritatem atq; modestiam acceptissimus. Quo loci integrum sexennium commoratus, cum ingenii & industriæ melioris documenta edidisset luculentissima, jam Solem Academicum subiturus, anno 1621. in hanc Academiam concessit. Initiatus autem Sacris Academicis, ea lingvarum artiumq; cognitione se instruxit, ut memoriam, judicium, ingenium, cæterasq; quas à Natura præclaras acceperat animi dotes, crebra diligentia, laboreq; assiduo.

duo in majus indies provexerit. Præter publicas enim lectiones & disputationes, quibus frequentissimè auditis, Præceptoribus singularem suam industriam probavit, publicis ipse exercitiis subinde vacans, & Agentis & Negantis partes, modo Disceptator, modo Orator, summa sui laude sustinuit. Quamobrem nec carebat sive rivalibus, sive æmulis, quibuscum nobile illud ad famam, ad gloriam, ad æternitatem certamen susciperet. Quibus tamen tantum abfuit ut palmam reliquerit, ut potius ipsi eam deferendam ultro agnoverint. Post completum tandem in hac Academia biennium, cum Musis suis novas jam sedes deligere occœpisset, etiam ob industriam, fidelitatem & integritatem singularem prædicto Viro Clariss. Dn. M. Jacobo Brokmanno adeo gratus fuit, ut ille valetudinis firmandæ causa ad Thermas Carolinas in Bohemiam concessurus, omnem & proprii corporis, & rerum suarum curam fidei sui PETRÆI & diligentia crediderit. Cum autem optimum Virum salubre hoc alias restaurandæ incolumitatis compendium frustraretur, post aliquamultum temporis in patriam contendens, Præceptori suo desideratissimo feralia officia persolvere in ipso itinere cogitur. Ex quo luctuoso itinere reversum PETRÆUM Nobilissima Matrona Catharina Daa de Ølingsøe, studiis Generosi filii Dn. Erici Pors, præficiendum expetiit. Quibus cum operam suam addixisset, cum Nobiliss. Porsio, primo Rostochium, exinde per Brandenburgum, Berolinum, cæterasq; urbes, facto itinere, Vitebergam se contulit. Bi-
enne postquam ibi spatium delituisse, non otiosus, sed ipsius sapientiæ cultor individuus & inseparabilis, an. 1624. in patriam revocatus, sub præsidio Viri admodum Rev. & Amplissimi Dn. D. Caspari Brokmanni Theol.

Celeberrimi, solenni ad præscriptum Regium disputatione habita, Regium stipendium obtinuit. Quas partes cum insigni applausu exsequutus, Vitebergam revisit, semestre adhuc integrum ibi commoratus. Sed etiamnum studiorum suorum castra mutaturi, Vitebergensem cum Tubingensi Academia commutarunt, haut obiter in ipso itinere perlustratis Urbibus insignioribus, Lipsia, Jena, Coburgo, Noriberga, Altorfio, reliquisq; plurimis. Quo in loco tantam omnium, suavissimis moribus, & eruditione minimè vulgari, benevolentiam sibi conciliavit, ut Thummio, Osandro, Mullero, Schikardo, cæterisq; Academiae Tubingensis Academiae luminibus fuerit quàm acceptissimus, quàm familiarissimus. Quibus memoriam sui commendans, spissa & erudita, de Justificatione, disputatione integrum biduum continuata, atq; Bellarmino opposita, Moderatore Theologo summo Dn. D. Thummio, Argentoratum concessit. Inde Augustæ Rauracorum ob insignem Lingvæ Sanctæ peritiam Joanni Buxtorfio, ejusdem lingvæ callentissimo & Professore celeberrimo unicè acceptus fuit. Basilea verò relicta, atq; Helvetia penetrata, Genevæ annum substitit. Et jam denuo orbis visendi studio, in remotiores regiones se contulisset, nisi fama vellebris citata pinnarum pernecitate, protinus arduè defecati ingenui exemplum passim in patria narravisset. Literis itaq; Brokmannianis, Illustrissimi Herois Dn. CHRISTIANI FRISII Dn. de Kragerup, Cancellarii magni, & Academiae Conservatoris à Deo & Rege summi, auctoritate sibi transmissis, parendum ratus, jam tandem à latere Nobiliss. sui Porfii, itionem in Italiam parantis, ægrè divellitur. Cum autem non nisi extremo salutis discrimine per Germaniam reditus in patriam ipsi pateret,

ret,

ret, Galliis peragratis, Oceanum Occidentalem trajecit, minimeq; fuscis avibus jam tertium an. 1626. Helsingoræ, patrio solo se stitit. Accito itaq; actutum ipsi, prævia Disputatione Hebræo-Chaldæo-Aramæo-Arabica, ad Statuta Academica, Orientalium Lingvarum Professio demandata est. Quam provinciam tanta diligentia administravit, ut & discentes incredibile in Lingvis Orientalibus incrementum ejus auspicio sumserint, & animum in eorundem studiis juvandis propensum, editis Grammatica Lexicoq; Hebraicis, satis superq; ipse testatum fecerit. Præter exactam autem Græcæ pariter atq; Latinæ Lingvæ cognitionem, in Philosophia, cujus supremam lauream à Decano Facultatis M. Petro Gelstrupio, an. 1627. 28. Aprilis accepit, tantum præcelluit, ut plusculis in ista facultate monumentis publicatis, Nominis sui famam adauxerit. Hujus itaq; Viri ad maxima quæq; nati, eruditioni condignum tandem statuens pretium Superior Magistratus, à Rev. atq; Amplissimo Sædlandiæ Episcopo Dn. D. Johanne Resenio, an. 1630. d. 28. Sept. insignibus Doctoralibus ornatum, priorem eum Theologica Professione commutare eum gratiosè voluit. Qui in Bartolini an. 1629. è terris evocati locum susectus, id unicè egit, ut functioni gravissimæ ornamento esse posset. Interea temporis summum etiam in Academia Magistratum, an. 1632. ad omnium vota & applausus gessit. An. 1628. sociam solitario thalamo adscivit Virginem lectissimam & pientissimam METTHAM, Dn. D. Petri Vinstrupii, Episcopi Sædlandiæ bene meritissimi filiam natu juniorem. Quæ etiam utriusq; familiam mascula unica, quadrupla verò femella prole auxit, & sextum gravida Viro superstes fuit. An. 1634. 7. Sept. ad extremam captivitatem corporis viri-

bus spoliari cœpit, frustra obnitente Medica cura. Tandem verò vitæ præcedentis innocentia fideq; tam præclarum de Divina Majestate meruit patrocinium, ut necdum completo ætatis anno 34. an. Christi 1634. die 4. Octob. inter 10. & 11 horas matutinas, ejus animam piis mentibus associaverit, relicto ipsius apud summos & infimos, ut acerbo & luctuoso, sic longè honestissimo affectu & desiderio. Funus publico programme indictum est à Rectore Academiæ M. Christiano Longomontano. Sepultus est in Templo D. Virginis, extra chorum, ubi in columna Septentrionali choro proxima monumentum ei positum est cum hac inscriptione:

D. O. M.

NICOLAO PETRI S. S. Theol. ac Philos. Profess. ingenio & industria incomparabili: qui postquam varias Germ. & Gall. Academias lustrasset, in Regia hac, prius per quadrienn. ferme Oriental. Lingvar. Profess. fructuosè egisset; ac post per totidem ann. cum semestri Cathedram Theol. religiosè animasset, animam Creatori suo 4. Octob. an. Chr. 1634. ætatis verò 34. piè reddidit. MEDEA VINSTRUPIA cum 4. filiabus, præmissis 2. fil. post conjug. 6. an. & 5. mens. superstes, Marito desideratiss. hoc monumentum P. C. mæstiss.

Scripta.

Disputatio de Bono Originali, Transcendentali, Naturali & Morali Haun. 1624. in 4.

Disputatio de Justificatione, contra Bellarminum. Tübingæ.

Di-

Disputatio Hebræo-Theologica, Hebræo-Grammatica, Hebræo-Peruschica, Chaldæo-Grammatica, Syriaco-Lexica, Arabico-Grammatica, Arabico-Targumica, Critico-Masorethica & Talmudica. Hauniæ 1626. in 8.

Enchiridion Politicum. Argentor. 1625. in 12.

Compendium Grammaticæ Hebrææ. Haun. 1627. in 8.

Colloquia Hebræa. Haun. 1628. in 8.

Nomenclator Hebraicus. Haun. 1629. in 8.

Lexicon Hebraicum. Haun. in 8.

Nahum & Habacuc Prodrumi. Haun. 1629. in 8.

Disputationes Theologicæ tres de S. Scriptura : cum Animadversionibus in Galatinum de Arcanis Catholicæ Veritatis. Haun. 1631. 1632. 1633 in 4.

Meditationes Spirituales. Haun. 1633. in 16.

CHRISTIANUS JANUS

Natus est Hauniæ an. 1596. d. 24. Januar. Patre Jano Christiani, Matre Anna Christiani f. Prima bonarum artium fundamenta Scholæ Patriæ debuit, in qua annos 10. eruditus est. An. 1611. numero Musicorum Regionum adscriptus est ; sed exorto inter vicina Regna bello in Scholam Regiam Sorensem est missus : unde à Rectore Scholæ M. Jano Dionysio Jersino dimissus an. 1614. mense Januar. Civitatem Academicam Hauniæ impetravit, vixitq; hic annum & semestre, plerumq; apud M. Longomontanum. An. 1616. mense Junio, in exteras Academias concessit, & Vitebergæ penè biennium subsistit : sumtibus præbitis ex Præbenda Capituli Bergensis, quam ipsi procurarat Cancellarius CHRISTIANUS FRIS de Borreby. Cum anno 1618. rediisset in patriam, commendatione D. Casp. Brokmanni, stipendium:

dium **CHRISTIANI THOMÆI**, tum Principis
CHRISTIANI Aulæ Magistri, obtinuit, quod ipsi
 sumtus, quos Vitebergæ iterum fecit, biennii penè mo-
 ra, suppeditavit. Reversus in patriam an. 1620. mense
 Majo, vixit apud D. Brokmannum Hauniæ annum,
 ejusdem **THOMÆI** munificentia. An. 1621. d. 14.
 Maj. Philosophiæ Magister creatus à Decano M. Vulf-
 gango Rhumanno: primum Con-Rector d. 10. Jul. de-
 inde an. 1622. d. 11. Decemb. Rector Scholæ Otthini-
 anæ constitutus est. Anno insequente 1623. d. 13. Oct.
 Professionem Græcæ Lingvæ in Gymnasio Otthiniano
 suscepit: Quam reliquit an. 1624. d. 25. Januar. inau-
 guratus Ecclesiastico muneri Urbis Vedelensis ab Epi-
 scopo D. Hemmetæo: In ea urbe viduam M. Clemen-
 tini, cui successerat, **ELISAM JOHANNIS F.** uxo-
 rem duxit, die 19. Sept. ejusdem anni: Ex ea natus fili-
 us M. Laurentius Christiani Pastor Ecclesiæ D. Canuti
 Otthinienensis: Filia Helena, nupta M. Iohanni Mule-
 nio, Pastori Ecclesiæ Nyburgensis. An. 1627. dicto d.
 24. Januar. Sacramento, Regius Concionator constitu-
 tus est. An. 1629. Theologiæ Professor, in hac Acade-
 mia, Successor D. Casp. Bartolini designatus, sacramen-
 to se Academiæ obstrinxit d. 8. August. Quo minus au-
 tem docendi munere fungi inciperet, dimissa juvenus
 Academica ob sævientem luem, obstitit. Verum an.
 1630. d. 10. Januar. significatum ipsi est à Cancellario
 Regio **CHRISTIANO FRIS** de Kragerup, Regem
 velle, ut omissa Professione, in munere Concionatorio
 persisteret, stipendiq; augmentum acciperet ex Nidro-
 siensi Præbenda. Eodem anno d. 28. Sept. Theologiæ
 Doctor renunciatus est à D. Iohanne Paul. Resenio. Ob-
 iit Fredericiburgian. 1635. d. 5. Januar. Corpus con-
 di-

ditum est in Templo D. Virginis Hauniensis extra Au-
strale Chori latus, habetq; Lapis Sepulcri hanc inscri-
ptionem:

*Αρτοι Nathan fuit alter Regis in aula,
Qvi cubat hic, Satis est. cætera fama dabit.*

*Jesum & animam reducem præstolatur heic tumultus
Venerabilis Vir CHRISTIANUS JANUS Hafni-
ensis, S.S. Theologiæ Doctör, qvi natus anno 1596.
24. Januarii, Rector quondam Scholæ Otthonianæ 10.
mensibus. Professor Gymnasii Otthoniani mensibus 2.
Pastor Viellensis annis 3. Concionator Aulicus primùm
binis annis. Designatus Theol. Professor in Regia Aca-
demia Hafniensi 5. mensibus. Iterum Concionator Au-
licus annis 5. Maritus ann. 11. Parens liberorum 4.
Filiorum 2. & Filiarum totidem. Fredericiburgi beatè
obiit anno ætatis 39, anno Christi 1635. 10. Januarii.
Id quod cippo mæstissimè testatum voluit Vidua super-
stes ELISA JOHANNIS Ripen-Consulis Flottersne-
siensis filia.*

*Ego vadam ad eum ; Ille verò non revertetur ad me.
2. Sam. 12. 23.*

Scripta.

*Sermo funebris in Exsequiis Reginae SOPHIÆ an.
1631. 14. Novembr. Roëskildæ habitus. Haun. 1032.
in 4.*

R r

THO-

THOMAS BANGIUS

Natus est Flenlosiæ Fyonorum, anno æræ Christ. 1600. 13. Calend. Mart. hora pomeridiana nona. Patrem habuit Reverendum Dn. Joannem Bangium, ibidem Verbi Divini Ministrum: Matrem Catharinam Severiniam, iis, quæ muliebrem sexum decent, virtutibus conspicuam feminam, quam lethali morbo sibi creptam an. 1602. Cal. Jan. amisit infantulus necdum bimus. An. 1604. cum vim suam exerceret pestilens morbus, avo paterno Dn. Nicolao Bangio, Klintensium Pastori, vicinarumq; Ecclesiarum Præposito, datus est educandus: apud quem substitit, donec, postquam remisisset contagio, a patre revocaretur domum: ubi postea sub ejusdem disciplina, qui primus doctoris ei præstabat operam, vixit usq; ad annum seculi decimum. Etenim tum temporis primum ad Asniensem: indeq; anno 1617. ad Otthinianam Scholam missus, Præceptores habuit viros præclaros, Mag. Johannem Vellejum, M. Canutum Richardium, primumq; ejus Scholæ Con-Rectorem M. Sve-nonem Petræum, sub quorum informatione quàm egregiè profecerit in liberalium artium studiis, vel inde haut obscure constat, quod fundato circa eadem tempora ibidem Gymnasio, ipse præ reliquis Condiscipulis sit judicatus dignus, qui de Schola ad Gymnasium primus ascenderet. An. 1621. Generosissimo Heroi Oligero Rosenkrantzio, admodum Reverendo Viro, Fyonix Episcopo, cæterisq; Gymnasii Lectoribus, Viris Clarissimis, eos est visus fecisse in literis progressus, ut ad audiendas Academicas prælectiones admitti cum fructu posset: ideoq; cum honesto testimonio, Rectori & Professoribus Regiæ hujus Academix, commendatus, editis in stylo

lo atq; artibus eruditionis suæ argumentis, ultimo prædicti anni mense, est adscitus in Civium Academicorum numerum, Rectore Magnifico, D. Claudio Plumio, Philolophicæ Facultatis Decano Spectabili, D. Olao Vormio: cumq; more majorum profiteretur nomen, jacta sorte, privatum Præceptorem nactus est Virum celeberrimum, D. Casparum Brokmand S. S. Theologiæ Professore Publicum, & Sædlandicæ Diœcesis Episcopum vigilantissimum. Cui tantopere probavit indolem & ingenium, ut tum filio ejus, quem habebat unicum, tum Nobilissimo puero, Christiano Frisio, Perillustris Herois Dn. CHRISTIANI FRIS de Kragerup, S. R. M. Cancellarii, filio natu maximo sit datus morum ac studiorum Magister. In quo munere postquam fidei ac industriæ varia edidisset specimina ultra quinquennium, & interea temporis docentes audivisset viros excellentissimos, D. Joh. Pauli Resenium, D. Casp. Brokmand, D. Casp. Bartolinum, Regio donatus stipendio, se contulit Rostochium: ibiq; præter D. Valentinum Legdæum, cum quo fecit hospitium, Paulum & Johannem Tarnovium, Joh. Qvistorpium, Doctores habuit: donec interruptis, ob Cæsarei exercitus adventum, studiis, rediret Hauniam: ubi mensium aliquot spatio, nonnunquam Opponentis, aliquando Respondentis partes gerendo, Præside Excellentissimo Viro D. Brokmand, Theologici studii circulum absolvit. Hinc ad Belgas facto itinere, in Franekerana Academia, ad intelligendas Chaldaicas & Rabbinicas literas, magistro usus est Sixtino Amania, Viro doctissimo: à quo tantam iniiit gratiam, ut non rogatus, absentem, & in superiorem Germaniam profectum BANGIUM, per literas majorem in modum commendaverit Brokmanno. Quæ res

ad existimationem juvenis, adq; vocationem ejus ad eam docendi provinciam, quam postea in Regia hac Academia est professus, permultum contulit, magnumq; pondushabuit. Et quoniam non intra unius scientiæ disciplinæve fines continebatur ejus diligentia, Franekeræ in Mathematicis audivit Bernh. Schotanium: in Græcis, Georgium Pasorem. Relictis Frisiis, Harlinga maritimo itinere, appulit Hamburgum: indeq; perlustratis oppidis Luneburgo, Brunsviga, Halberstadio, Hala, Lipsia, Vitebergensem Academiam elegit studiorum sedem, ibiq; Theologos audivit Paul. Koberum, Jacobum Martini, Vilhelm. Lyserum: in Mathematicis Reinhardum: in Syriacis Mart. Trostium: in Latinis literis Aug. Buchnerum. An. 1630. mense Januario, traditæ sunt ei Rectoris & Academici Senatus literæ, quibus offerebatur Lingvæ Hebrææ Professio. Ad quas ille, dato humanitatis modestiæq; pleno responso, pro tanta erga se benevolentia summas agere gratias, & dicere, gravius esse illud munus, quàm ut eidem gerendo sibi sufficiat animus, proindeq; rogare quàm officiosissimè, ut alii idiplum committatur. Verum, cum datis denuo literis, eum ad suscipiendum illud munus esset adhortatus Excellentiss. Vir D. Caspar Brokmand, tum temporis Magn. Academiae Rector, accepturum se respondit, modo venia daretur, ex ejusdem Professionis redditibus, apud Gab. Sionitam Parisiis aliquot annos impendere Syriacæ & Arabicæ lingvæ studiis. Quo condicto, in patriam reversus, mense Septembri, habita solenni disputatione, Hebrææ lingvæ Professionem retulit, moxq; summam Philosophicæ Facultatis lauream obtinuit an. 1631. d. 21. Maj. Decano M. Vulfgango Rhumanno. An. 1636. 6. Cal. Sext, uxorem duxit Virginem ornatissimam.

tissimam, ELISAM, Dieterici Barskeri, Senatorii Ordinis Viri filiam, genuitq; liberos 14. filios octo, filias sex. E quibus Folia natu maxima Christina M. Johanni Rosingio Episcopo Asloënsi nupsit. Facultatis Philologicæ Decanus designatus an. 1633. 1637. 1643. 1639. singulis vicibus multos Philosophiæ Baccalaureos creavit. Rectoratum etiam interea gessit an. 1646. Postquam vero Hebræam linguam in Regia hac Academia docuisset, publice privatimq; annos 22. tanto cum studiosæ juventutis emolumento, ut ipso Magistro eximium in Sanctæ linguæ studio profectum fecerint permulti: an. 1652. mortuo Viro Celeberrimo, D. Casparo Brokmand, ad Sacrarum literarum Professionem, ex clementissima Serenissimi Regis voluntate, est vocatus: annoq; proximè sequente, quo ipse iterum summum in Academia Magistratum gerebat, die 20. Decemb. præsentibus Augustissimo Rege, & Cellissima Regina, creatus Theologiæ Doctor. An. 1656. publicæ Academicæ Bibliothecæ ei est commissa cura: quam ut redigeret in ordinem, jam plurimum auctam & ex vetere loco in Augustum palatium super Templum Trinitatis translata, plurimum habuit negotii: eodemq; anno, cum Divino cultui consecraretur Augustum ipsum sacris Academicorum exercitiis destinatum Templum Trinitatis, jussu Serenissimi Regis, pro concione verba fecit latinè. Tum quoq; an. 1627. d. 7. Jul. ipsam Bibliothecam, luculenta oratione dedicavit. De singulari ejus eruditione satis superq; perhibent, tum crebra cum eruditis instituta literarum commercia, tum doctissima ingenii monumenta, quæ partim confecta, partim affecta habebat. An. 1661. d. 5. Id. Oct. circa vesperam feбри correptus est, quam Catarrhalem vocare solent Medici, quæ pri-

mo insultu vires præter modum debilitavit, partesq; vitales ita affecit, ut malignitatis suspicione initio non careret: quam tamen ipso progressu nullam fuisse deprehensum est. Advocatus mox Vir Celeberrimus D. Simon Pauli Reg. Maj. Medicus Aulicus, qui pro insigni, quo in medendi scientia usu pollet, ad infringendum morbi impetum, lectissima quæq; medicamenta adhibuit. Æger, sub ipsum morbi initium, animæ potissimum rationem habendam esse ratus, 17. Cal. Nov. impetrata peccatorum remissione, salutare Dominicæ Cœnæ Sacramentum, à Viro admodum Reverendo M. Erico Olai Tormio, porrigi sibi curavit, & ad ferendum æquo animo, quicquid imponeret Divina manus, se totum paravit. Quinto morbi die, cum Clarissimo, quem diximus, Medico operam quoq; suam sociare cœpit Vir Excellentissimus, D. Christianus Ostenfeld, Medicinæ in hac Regia Academia Professor Publicus, eamq; per omnia morbi momenta, omni diligentia fidelissimè præstitit: & ne quid sollicitudini erga optimè meritum senem deesset, vocatus quoq; in societatem curarum Vir Experientissimus D. Christianus Fabricius, Medicinæ Doctor & Practicus eximius: idq; effecit tot Clarissimorum Virorum industria, ut sopito febrili ardore, sublatisq; gravioribus symptomatis, haut levis spes sanationis, novissimis ante obitum diebus, affulserit. Sed elucit spem omnem fatalis terminus, qui lenissima morte, somno similima, vivendi finem attulit sexto decimo morbi die: atq; ita 27. Octobr. die, inter 3. & 4. horam pomeridianam, an. 1661. supremum diem obiit, Vir à pietate, modestia, mansuetudine in primis commendabilis, in adversis constans, concordiaæ amans. Funus indictum est à Rectore Academix D. Petro Scavenio, program-

mate.

mate publico. Sepultus est in Choro Templi D. Virgini-
nis: & monumentum ei positum est super gradus sepul-
cri juxta columnam chori extremam Septentrionalem,
cum hac inscriptione:

*Memoriae & meritis Viri admodum Reverendi, Cla-
rissimi, D. D. THOMÆ JOAN. F. BANGII,
Lingvæ Sanctæ 22. Theologiæ annos 9. in Regia Hau-
niensi Academia Professoris Publici & Regii, Palatii
Librarii Præfecti. Qui iterato Academiæ hujus Recto-
ratu, Quarto Facultatis Philosophicæ Decanatu, atq;
Duodecenniali publicæ Bibliothecæ Administratione, fe-
liciter functus, Ann. Chr. 1661. Ætat. suæ 61. in-
ter mortales esse desuit. Cujus cineres huic Conditorio, no-
men saxo, effigiem tabulæ, famam posteritati commen-
darunt, Vidua relicta ELISA THEODORICI F. &
Sex Liberi superstites: anno 1664.*

*Iusti in perpetuum vivent, habentq; in Domino posi-
tam mercedem, eorum curam gerente Supremo: ideo Re-
gnum præclarum adipiscentur, & Domini manu diade-
ma pulcherrimum. Sap. 5.*

Scripta.

Exegetis dicti Jerem. c. 23. v. 24. Haun. 1627. in 4.

Vindiciæ locorum Gen. c. 48. v. 16. & c. 4. v. 1. Psalm.

19. v. 1. Haun. 1630. in 4.

Nupera Divina beneficia erga Daniam. Haun. 1630. in 4.

Fontium Israël trias, Jonam, Micheam & Ruth publi-
cè editos exhibens. Haun. 1631. in 8.

Exer-

- Exercitatio Glottologica de Ortu lingvarum. Hauniæ
1634. in 4.
- Exercitationes literariæ Antiquitatis octo. Haun. 1638.
seqq. in 4.
- Observationum Philologicarum libri duo. Haun. 1640.
in 8.
- Laurus Danica supremis Magisterii Philosophici hono-
ribus dicata. Haun. 1641. in 4.
- Hermes & Pan Hebraicus, quo vivum absoluti Lexico-
graphi Hebraici exemplar proponitur. Haun. 1641.
in 4.
- Verna Sponsalia Divæ Philosophiæ. Haun. 1647.
- Phosphorus Inscriptionis Hierosymbolicæ paræneticus
& votivus Coronæ Ser. Regis FREDERICI III. Je-
hovæ ter opt. max. ope feliciter susceptæ consecratus,
quo Pyrgographia Stellæburgii Regii Hauniensis il-
lustratur. Haun. 1648. in fol.
- Tropæum Protevangelicum, quo ostenditur veram esse
lectionem, *Ipse conteret tibi caput*. Haun. 1649. in 4.
- Exercitatio Acroamatica de 10. boni Auditoris curis.
Haun. 1650. in 4.
- Exercitatio Elenctica de Nephilimis contra Bouldu-
cum. Haun. 1652. in 4.
- Oliva Sacræ Pacis repurgata, initiis Professionis Theo-
logicæ consecrata. Haun. 1654. in fol.
- Jersini Grammaticæ Latinæ Præcepta majora, revisa,
mutata, adauctâ, in usum Scholarum Dan. & Norveg.
Hauniæ 1640. in 8.
- Præcepta Gram. Lat. minora. Haun. 1640. in 8.
- Aurora Latinitatis. Haun. 1638. in 8.
- Cœlum Orientis & prisca Mundi. Haun. 1657. in 4.
- Oratio in Obitum Cancellarii Christiani Thomæi.
Haun. in fol. 1657,

JACOBUS MATTHIÆ

Natus est Arhusiæ Cimbrorum an. 1602. die 17. Octob. circiter 7. vespertinam, Patre Viro Clarissimo, Matthia Jacobæo, Philos. & Medicinæ Doctore, Archiatro CHRISTIANI IV. & Prælato Arhusiensi, M. Jacobi Matthiæ Episcopi Fyonensis filio: Matre, femina optima, Ingeburga, M. Jani Ægidii, Episcopi Arhusiensis filia. Ingenii in infante argumenta eluxerunt, quod intra quartum ætatis annum septingenta rerum vocabula latina in ædibus paternis edidicerit. Inde in publicam Urbis disciplinam traditus est, Rectore Scholæ M. Jano Krogio. Sed cum mater an. 1614. obiisset, & Pater Aulicis negotiis distineretur, ne domestica curare posset, curæ M. Christiani Fossii, Canonici Arhusiensis, Viri doctissimi, commissus est. In cujus domum receptus, in Schola Publica sub M. Christiano Johannis f. Krogii Successore, studiorum cursum continuavit usq; ad an. 1619. d. 12. August. quo à Patre Othiniam missus est, ut sub Rectore clari nominis M. Svenone Petræo ad Academica studia perficeretur. Ita exacto illic anno cum semestri, an. 1621. d. 25. Maji, Civitatem Academicam impetravit, Decano Facult. Phil. Mag. Vulfgango Rhumanno, Rectore D. Cunrado Aslaco, Professore Theologo: Et studiorum morumq; moderationem accepit D. Casp. Brokmannum Theol. Professore: à quo hospitio acceptus, & singulariter ob ingenii & indolis præstantiam dilectus, in ejus ædibus vixit, nullum in otio diem transigens, usq; ad an. 1623. d. 18. Januar. quo cum sibi domesticum adscivit Magnus pietate, eruditione & genere Heros Oligerus Rosenkrantz de Rosenholm. An. 1624. d. 18. Aug. benigne à Rosenkrantzio dimissus,

S f

sus, in Germaniam abiit, ac Vitebergæ substitit, Vi-
 rum doctorum ibi usus summa familiaritate. Sed dum il-
 lic maximè fervent ejus studia, an. 1625. in Sept. in Pa-
 triam revocatur. Brevis tamen ibi mora fuit. nam primo
 vere an. 1626. rediit in Germaniam, & paululum mora-
 tus Rostochii, Lugdunum Batavorum concessit, ubi in-
 genii elegantia & morum suavitate sibi maximos istius
 Academiae Viros facilè conciliavit, Pontano nostro, qui
 Hardevici habitabat, in primis familiaris. An. 1629. d.
 8. Aug. in Angliam trajecit: cumq; illic more suo nihil
 omisisset, quod augendæ eruditioni & prudentiæ servi-
 ret, rediit Arhusiam an. 1630. d. 21. April. Æstate illa
 decreverat in Galliam ire; sed quia clara jam erat apud
 Principes in utraq; Rep. viros Eruditionis & facundiæ
 ejus fama, jussu Regio, literis Professorum hujus Acade-
 miæ, Professio Eloquentiæ & Humanitatis ei demanda-
 ta est: quam tamen provinciam, nisi incitante Patre &
 aliis amicis, non suscepisset: tanto Galliæ videndæ de-
 siderio, & familiaritatis cum inclytis doctrina viris ine-
 undæ cupiditate ferebatur. Disputavit pro Cathedra
 Professoria an. 1630. d. 2. Octob. Et cum niveum cal-
 culum consentientibus omnium Professorum suffragiis
 obtinuisset, Sacramentum Professorium dixit die 16.
 ejusdem Mensis, & initium Lectionum Publicarum in
 Curtium, quem frequentissimis Auditoribus interpre-
 tatus est ore disertissimo, fecit, habita oratione d. 29.
 sequente. An. 1631. d. 24. Maji, renunciatus est Philo-
 sophiæ Magister à Decano M. Vulfgango Rhumanno.
 Paulo post jussu Cancellarii CHRISTIANI FRIS de
 Kragerup, à D. Casp. Brokmanno, cum eo actum est,
 de suscipiundo aliquo munere in Cancellaria Regia: cu-
 pere enim Regem virum apud se perpetuo habere, in La-

tina dictione, in qua certè omnium confessione excellerebat, promptum, & cujus opera ad Exteros uti posset; sed modestam ejus excusationem benigna interpretatio excepit. Notarius interea Academiae fuit, magna cum laude, in primis ob summam styli elegantiam, quæ in Programmatis & Testimoniis ab eo scriptis elucet, annos duos cum semestri. An. 1632. d. 26. Aug. Uxorem duxit Virginem omni virtute ornatissimam, Summi Viri D. Casp. Bartolini, Professoris Theologi filiam, D. Thomæ Finkii ex filia Anna neptem: vixitq; cum ea in conjugio pio ac concordia annos fere 28. suscepitq; ex ea interea filios quatuor, & tres filias: E quibus filius natus maximus Matthias an. 1664. Regiis literis Academiae hujus Professor designatus est. Filiarum natus maxima Ingeburga M. Erasmo Vindingio: minima Softrata D. Petro Scavenio, utriq; Professori Regio, nuptui data. An. 1634. Decanus Facultatis Phil. designatus, Magistros 19. creavit. An. 1638. 4. Jul. Concionator Regius Aulicus constitutus est, postremus sacro muneri inauguratus à D. Johanne Pauli Resenio. In eo munere cum officium ex conscientia & prudenter faceret, summam Regis sui Christiani IV. gratiam expertus est, donis liberalissimis, & Canonicatibus sibi & liberis impetratis, literarum communicatione, & frequenti ad Regem admisione, testatam. An. 1640. d. 8. Decemb. Theolog. Doctor primo loco renunciatus est à D. Casp. Brokmanno. An. 1645. d. 2. Jul. designatus jam Episcopus Arhusiensis, post præstitum juramentum, Regiæ mensæ, ut sæpius antea, clementissime à Concionatorio munere Aulico dimissus est. In hoc Episcopali munere, dum omnia summa fide, cura, prudentia ac comitate gerit, omnibus, ob vultus, vocis & vitæ gravitatem, reve-

rendus, literas à Serenissimo Rege **FREDERICO III.** accipit an. 1653. d. 30. April. quibus ad Sædlandiæ Episcopatum & Professionem in hac Academia Theologicam vocatur: quam ille vocationem modestissima valetudinis, quæ jam aliquot annos tenuissima fuerat, excusatione deprecatus est. An. 1660. d. 25. Maij ad morbum jam inveteratum, & temporum calamitatibus auctum accessit malignitas quædam, quæ vires ita prostravit, ut intra decimum diem finem illi vitæ fecerit. Particeps enim factus Dominici Corporis & Sangvinis, & totus in meditationibus Vitæ cœlestis defixus, obiit d. 3. Jun. cum vixisset annos ferè 58. Episcopatum administrasset annos 15. & interea 26. Præpositos constituisset, ac 112. Pastores Ecclesiis ordinasset. Sepultus est in Têplo Cathedrali Arhusiæ, ex voto, in sepulcro **Avi materni M. Jani Ægidii, Arhusiensis Episcopi.** Monumentum illi positum in columna australi choro proxima, cum hac inscriptione:

D. S.

Memoria JACOBI MATTHIÆ F. Arhusiensis, Doctoris, olim Eloquentiæ in Academia Hauniensi Professoris: inde Regis CHRISTIANI IV. Concionatoris Aulici: demum Episcopi Arhusiensis Canonici: Viri pietate, doctrina, fide, prudentia & gravitate insignis: Theologi, Oratoris & Philologi Excellentiss. Conjugis sui desideratissimi, ANNA BARTOLINA CASPARI F. uxor, cum superstitionibus 5. Liberis, & 2. Generis, mæsta sed merito F. C.

Na-

325

*Natus fuit anno J. C. 1602. die 17. Octobris : Obiit
anno J. C. 1660. die 3. Junii.*

Scripta.

Exsilium pietatis. Lugdun, Batav. 1627. in 4.

Oratio Jubilæa. Haun. 1630. in 4.

De rectè tradendis Disciplinis & Artibus. Haun. 1630.
in 4.

De usu Philologiæ in omni studiorum genere. Haun.
1635. in 4.

Conciones funebres ling. Dan. in obitu Eilhardi Ulfeld.
Nicolai Krag. Oveni Jul. Nicolai Fris.

JOHANNES CHRISTO- PHORI F.

Natus est Hauniæ an. 1604. 19. Febr. Patrem habuit
Dn. Christophorum Dietericum, Virum pietate in De-
um, fide in Regem & Regium Ærarium, cujus rationi-
bus præfuit, & bene meritorum gloria erga singulos ne-
mini Civium Hauniensium secundum : Matrem Alhe-
dam Iohannis, feminam omnibus virtutum ornamentis,
quibus seqvior sexus condecorari solet, conspicuam.
Salutaris lavacri confors factus, pro accrescentis ætatis
modulo primis salutaris doctrinæ, artium & lingvarum
initiis assvevit intra paternarum ædium conclavia. Du-
odecim verò annos natus, pientissimi Parentis jussu, do-
mesticas studiorum sedes in pl. Venerabilis Sædlandiæ
Episcopi D. D. Caspari Erasmi Brokmand S. S. Theo-
logiæ Professoris in hac Reg. Acad. Excellentissimi, su-
oq; merito celeberrimi, domum, tanquam omnis pieta-
tis, virtutis & eruditionis officinam transtulit. In qui-
bus

bus triennium præter propter vixit, tantosq; in re literaria fecit progressus, ut in omnium animis maximam de se concitarit spem, & non uno documento ostenderit naturæ quodam impetu se adhuc adolescentem ferri ad excolendum studium Græcanicæ Lingvæ, quam adultior professus est. Cæterum, veluti planetæ transplantatæ in fœcundum solum lætius efflorescunt: ita optimorum Parentum cura effectum est, ut Patriam cum terris Exoticis commutaret, & nova apud ignotos eruditionis incrementa tam laudabile ingenium caperet. Quamobrem Vitebergam ablegatus, tam diu in ludo Vitebergensium literario Musis Scholasticis litavit, donec dignus habitus est, qui Civitate Academica ibidem donaretur. Qua impetrata, Olavum Vindium, postea Concionatorem Aulicum, morum & studiorum suorum moderatorem in Academia Vitebergensi an. 1621. nactus est. Cujus auspicio tantum in Græcanica literatura, ad quam natus videbatur, profecit, ut omnibus postea fuerit admirationi. Vitebergæ usus est hospitio longè Celeberrimorum Virorum, initio quidem D. Bartolomæi Reufneri J. U. D. Facultatis Juridicæ Antecessoris & Senioris: deinde Exercitatissimi Theologi D. D. Balthasaris Meisneri: familiaritate verò nunquam satis laudatorum Virorum, D. D. Jacobi Martini, D. Sennerti, M. Schmidii & e quorum ore frequenter pendere & utile & volupe duxit. Deinde lustratis Dresda, Lipsia, Thermis Carolinis, an. 1625. patriæ salvus redonatus est. In qua optimo Parenti carus, amicis & consanguineis acceptus, Musis verò gratissimus tam diu morabatur, donec ejusdem anni Mense Majo coronatus Laurea suprema, Magister Philosophiæ publicè renunciaretur à Spect. Phil. Facult. Decano, Dn. M. Vulfgango Rhumanno, Rhe-

Rhetorices Prof. Publ. Qua conspicuus, iterum novum ad Belgas suscepit iter, & Lugdunum Batavorum suorum studiorum sedem elegit. Ubi præclaræ Eruditionis Viris, Cunæo, Gerharo Vossio, Heinsio, aliisq; familiarius innotuit, & nunquam non doctior ab eorum publicis lectionibus & privatis colloquiis rediit. Tandem perlustratis Belgii Academiis, & magna parte Angliæ, in Patriam revocatus, an. 1632. 14. Januar. edito prius an. 1631. die 17. Decemb. pro Cathedra Professoria, præclaræ eruditionis publico specimine, dignus judicatus est, qui Literas Græcas in hac Regia Academia profiteretur. An. 1639. designatus Facultatis Phil. Decanus, Baccalaureos 34. creavit: Iterum an. 1644. Magistros 14. renunciavit. Anno verò 1635. solitariam cum focia commutaturus vitam, Deo sic disponente, lætissimam & modestissimam Virginem, ANNAM LAURENTII JACOBI Civis ac Mercatoris Hamiensis honestissimi filiam duxit uxorem: ex qua quatuor suscepit filios & unam filiam. In quo conjugio illud cum primis triste accidit, quod quo majori ingenii & eruditionis gloria excelluerit: eo fragilius tantorum bonorum vas corporeum circumgestarit. Dolendum itaq; est, ingentibus immedicabilis morbi cruciatibus eximias illas animi & eruditionis dotes non rarò suppressas fuisse. In primis mense Augusto an. 1641. quò latens malum valde recrudescibat. Et inveteratum hoc malum variis circa Martinalia an. 1647. morborum generibus cumulari cœptum est. Cæterum cum sacris Christi Natalitiis, & in primis sub auspiciis an. 1648. invalesceret morborum congeries, & collabescerent corporis vires, de salutari animæ medicina piam & feriam meditationem suscepit, subinde ingeminans Crucem & Mortem Christi

tanquam Panaceam æternam profuturam. Qua curatus, circa matutinam octavam 4. Januarii, ejusdem diei quinta hora vespertina animam Deo immortalis inter pia suspiria reddidit, cum vixisset annos 43. menses 10. septimanas 2. dies 3. Funus publico programme indictum est à Rectore Academiæ, D. Laurentio Scavenio. Sepultus est in Templo D. Virginis.

Scripta.

Decas Quæstionum Philologicarum Græcarum. Haun. 1631. in 4.

Disputationum ad N. T. Philologicarum Præliminaris, Haun. 1640. in 4.

Variarum Exercitationum prima.

Potiora Meteorologiæ Generalis capita. Haun. 1645. in 4.

PETRUS WINSTRUPIUS

Natus est Hafniæ an. 1605. die 30. Aprilis, Clarissimis & honoratissimis Parentibus; Patre plur. Reverendo, Excellentissimo & Amplissimo Dn. Petro Jani Winstrupio, Episcopo primùm Arhusiensi, deinde Hafniensi, & S. S. Theol. Doct. ac Profess. P. atq; facultatis Theolog. Decano; Matre Spectatissima & Laudatissima Matrona, Anna Eisenbergia, quæ defuncto illo Marito, ad secunda vota transiit, nupsitq; plur. Reverendo, Celeberrimo & Excellentissimo Viro Dn. D. Johanni Pauli Resenio, prioris mariti in tanta dignitate & officio successoris meritissimo. Adeò feliciter genitus, moxq; feliciter regenitus, in ædibus Parentum liberaliter educatus fuit, usq; ad annum 1615. quem etiam annum cum sequente, jam ex umbratili & domestica institutione in pul-

pulverem & solem publicę disciplinę missus, ludo literario, hic in patria urbe, optimis artibus aperto impendit. Anno 1617. Scholę Roëskildensis Musas salutavit, ejusq; Magistris, ejusdem anni spatio, operam dedit. Inde ut nihil inexpertum omitteret, sed apum instar, optimi cujusq; in patria Lycei florem delibaret, ad Regiam Scholam Soranam profectus, ejusdem Scholę Præceptores à primordio anni 1618. ad decursum anni 1622. audivit. Unde anno 1623. dimissus, editis laudatissimi profectus speciminibus, civitate Academica Hafniensi donatus est. Anno 1625. Germaniam invisit, ibiq; varias Academias, Rostochiensem sc. Wittebergensem, Lipsiensem, Jenensem, studiorum suorum sedes & officinas elegit, ac habuit ad annum 1632. expletum. Rostochii audivit præ aliis frequentius celebratissimum Theologum D. Tarnovium: Wittebergę in primis usus est opera magnorum Theologorum, Baldvini, Meisneri, & Frantzii: Jenę gaudebat familiaritate Celeberrimorum Virorum D. Gerhardi, D. Johan. Majoris & D. Himmeli, præsertim D. Gerhardi, è cujus quotidiano contubernio, & communi Musæo ac Bibliotheca, arctiq; studiorum consortio præclaros fructus reportavit. Exacto jam in Germania, cum summo studiorum profectu, octo annorum intervallo, alias etiam regiones, Bataviam puta, Britanniam, Gallias, Italiam, ulterius peregrinando, lustrare proposuerat: proposito autem ipsius obstiterunt dulcissimorum Parentum preces, jam non diutiùs post tot annorum absentiam, desiderii ipsius igniculos ferentium, sed anteqvam novum illud iter susciperet, reditum ipsius ad se & suos avidè expetentiù. Quibus etiam digna filio pietate anno 1633. satisfactum est. Paucis autem post reditum ipsius septimanis, cum jam

denuò iter adornaret, Rectori & Professoribus Academiae Hafniensis datae sunt literae Regiae, gloriosissimae memoriae CHRISTIANI IV. cum mandato, ut ipsi autores & sutores essent in patria remanendi, & professionem, longa jam expectatione Johanni Rhodio destinatam, suscipiendi. Ille verò renuebat, excusationem suscepti itineris afferendo: quam cum non admitteret Serenissima Regia Majestas, sed per Magnificum Cancellarium CHRISTIANUM FRISIUM, ipsi iterum mansionem in patria, & oblatum munus serio demandaret, devotissima gratissimae mentis submissione Regiae voluntati paruit, & abjecta omni cunctatione, habitâ inaugurali disputatione, Professor Physices renunciatus est: quam provinciam cum laude administravit an. 1633. & 1634. usq; ad Pascha 1634. Interea etiam familiae & posteritatis curam gessit, & uxorem duxit lectissimam ac ornatissimam virginem, MARIAM ERNESTI fil. BADENIAM, Consulis Hottersnensis filiam, ex qua, optatissimo 24. annorum conjugio, quinque liberos suscepit, quorum tres superstites sunt, nempe unus filius Nobiliss. juvenis, PETRUS WINSTRUPIUS, qui jam apud exteros studiis & exercitiis suo ordine dignis operam dat; duae v. filiae, è quibus natus Major Anna Catharina nupsit plur. Reverendo, Excellentiss. & Celeberrimo Viro Dn. Johanni Wandalino S. S. Theool. Doct. & Profess. pr. nobis postea pluribus memorando; altera natus Minor, nobilissima & florentissima Virgo ANNA MARIA, sexus sui decus ac ornamentum existit. An. 1635. à Sereniss. Regia Majestate jam jam laudata vocatus est ad Concionatoris aulici primarii officium, in quo opera ejus Maximo Regi ita placuit, ut Majestati ipsius, per totam gloriosissimam

mam

mam vitam, semper acceptus & gratissimus fuerit. Eo-
 dem anno Theologiæ Doctoris titulo insignitus in Re-
 gia hac Hafniensi Academia, postea munus illud Eccle-
 siasticis Aulici continuavit, usq; ad Pascha anni 1638. In-
 terca singulari Ser. Regis gratiâ, insigni Canonicatu in
 Exedra Arhusiensi donatus est. Eodem, quem jam nota-
 vimus, anno Episcopus Diœceseos Scaniensis constitu-
 tus est, & inauguratus à Dn. D. Johanne Michaëlio Epi-
 scopo Fionensi in templo Lundensi Domin. 1. Trini-
 tatis. Moxq; alterum Canonicatum ex amplissima Re-
 gia munificentia in Capitulo Lundensi adeptus est. An-
 no 1648. cum solenni ac festivali pompa Ser. & Poten-
 tifs. Rex Daniæ **FRIDERICUS TERTIUS** cum Ser.
 Regina, sumpto Regio diademate, ungeretur, destina-
 to ordinatore D. Casparo Brochmanno, Hafniæ in æde
 divæ Virgini Sacra, ipse etiam D. **WINSTRUPIUS**
 una cum D. Johanne Michaëlio Episcopo Fionensi, al-
 tari adstitit, suis in sacerrimo & augustissimo negotio
 partibus functus. Anno 1658. die 20. Aprilis ipse libe-
 riq; ejus superstites à Sereniss. gloriosæ memoriæ Rege
 Sveciæ **CAROLO GUSTAVO** nobilitatis juribus ac
 privilegiis gratiosè donati sunt. Anno 1659. in Novem.
 postquam uxor ipsius laudatissima ex hac vita ad beatio-
 rem in cœlo commigraverat, alteram conjugem duxit,
 generosissimam Virginem, **DOROTHEAM** von **AN-**
DERSON, cum qua concordi conjugio quintum jam
 annum agit. Ad annum, qui jam labitur, 1665. quo
 etiamnum in vivis est, annos ferme 27. in Episcopali of-
 ficio exegit: quo temporum tractu aliquot centenos Pa-
 stores creavit, Præpositos multos constituit, sex Episco-
 pos inauguravit; nempe quatuor Sælandinos, sive Haf-
 nienses, D. Casparum Brokmannum, D. Johannem Jo-

han. Resenium, D. Laurentium Martini Scavenium, D. Johannem Svaningium, unum Viburgensem, M. Franciscum Rosenbergium, & unum Stavangriensem in Norvegia, M. Marcum Christiani Humble. &c.

Scripta.

Libri III. Epigrammatum Lat. in juvenili ætate editorum.

Dissertatio de lingvarum, Ebreæ & Græcæ, nec non disciplinarum Philosophicarum usu in Theologia.

Varia Orationes Synodicae latinæ in conventu Ecclesiastico Lundensi habitæ, in primis *Θαυμάσια* belli Dano-Svecici an. 1645. Oratio de Fuga Pastorum tempore belli, persecutionis, & pestis. Parentalis oratio in excessum glor. memoriæ Regis CHRISTIANI IV. Alia in excessum Sereniss. Principis CHRISTIANI. Alia in obitum Perillustris Herois Oligeri Rosæcrantzii, omnes jam editæ; aliæ verò plures deinceps edendæ, si Deus vitam prorogaverit.

Varia multæq; conciones funebres Danicæ, in exequiis Illustrium & Nobilissimorum hominum habitæ, jamq; publici juris factæ, quas recensere nihil attinet.

Jam sub prælo gemit, suiq; complementum anhelat, PANDECTARUM SACRORUM, sive COMMENTARIORUM IN LIBROS NOV. TESTAM. & quidem in MATHÆI EVANGELIUM, Tomus Primus in folio, qui Lundæ Scanorum imprimitur. Cui plures subijcere instituit, si vitæ spatium Numen propitium indulserit.

JOHANNES SVANINGIUS

Natus est Hottersnesiæ, loco honestissimo: Patre, Io-
han-

hanne Ripense, Urbis Consule, Matre, Anna Svanin-
 gia. Post privatam institutionem, in Regiam Scholam
 Sorensem missus est: Unde in hanc Academiam trans-
 iit. In qua cum aliquot annos vixisset, in Belgium con-
 cessit; Sed quia illi Regium stipendium Theologicum
 decretum erat, in Patriam regressus, ut eo potiretur,
 Disputationem publicam instituit. Ita illo impetrato,
 Vitebergam abiit. Qua post anni moram relicta, iterum
 per Patriam in Belgium profectus, ibi quatuor annos
 substitit. Tum in Angliam concessit. Illic degenti, Re-
 giis literis, demandatur Professio Lingvarum Orienta-
 lium in hac Academia, simulq; in Gallias prius secedere
 permittitur. E Gallia in Patriam reversus Professionem
 suscepit, cum pro Cathedra, an. 1635. d. 2. Maji publi-
 ce disputasset, ac sequenti 23. sacramentum dixisset. E-
 jusdem anni d. 12. Maji Philosophiæ Magister à Deca-
 no M. Jacobo Matthiæ renunciatus est. Ipse Facultatis il-
 lius Decanus designatus an. 1640. Baccalaureos aliquot,
 & Magistros 29. creavit: iterum an. 1645. Baccalaure-
 os 34. renunciavit. Uxorem interea duxit, bonam &
 bonis prognatam, Virginem MARIAM FYRENI-
 AM, D. Georgii Fyrenii & Margaritæ Finkiaë filiam:
 è qua sex Liberos Pater factus est. Successit in Profes-
 sione Theologica D. Nicolao Scandorfio, defuncto an.
 1645. sequente anno renunciatus Theologiæ Doctor à
 D. Casparo Brokmanno: Et in Munere Episcopali D.
 Laurentio Scavenio an. 1659. inauguratus ab Episcopo
 Lundensi D. Petro Vinstrupio. Et jam Facultatis Theo-
 logicæ Decanus, Theologiæ Doctorem an. 1657. crea-
 vit M. Johannem Vandalinum, Theologiæ Professo-
 rem. Præter Pastores & Ministros Ecclesiarum sacris in-
 itiatos, & constitutos Præpositos, etiam Muneri Episco-
 pali

pali Sacrorum Antistites inauguravit, Islandis unum; Stavangriensibus unum, Afløjensibus unum, Viburgensibus duos, totidemq; Arhusiensibus. Magistratum Academiae summum ab an. 1650. in an. 1651. gessit. An. 1660. ab Augustissimo Rege, Regii Consilarii, Assessoris in Collegio Status, Præsidis Consistorii & Archiepiscopi dignitate auctus est. Plura de se scribi aut prædicari viventis modestia noluit, incorrupto Posteritatis iudicio ea relinqvens.

Scripta.

Disputatio Philologica in Psalmum 22. Haun. 1635.
in 4.

Disputationes 2. de Anima. Haun. 1641. in 4.

Disputatio Miscellanea. Haun. 1646. in 4.

Disputationes Theologicae 4. in Augustanam Confessionem. Haun. in 4.

Commentarius in Danielis capita 6. priora. Haun. 1654.
in fol.

Capitis 7. Danielis succincta expositio. Haun. 1657.
in 4.

Panegyricus in Obitum CHRISTIANI V. Haun.
1648. in fol.

Idea boni Principis. Haun. 1648. in 4.

Conciones in Publicis Supplicationibus proponendæ
ling. Dan.

Commentarius in Danielis capita 6. posteriora, sub prælo est.

PETRUS SPORMAND

Editus est in lucem Helsingoræ an. 1608. d. 28. Sept.
Patrem habuit Johannem Petræum, Civitatis Consul-
lem;

lem: Matrem, Margaretam Davidis f. feminam perhonestam. Utroq; genere nobilissimas in Scotia attigit familias: ac paterno quidem, Spormandos: materno autem Comites Perillustres Pætersen & Rabin. Literas & artes, quibus imbui prima ætas solet, cum ingenii, quo præstabat, magna docilitate percepisset domi, anno ætatis decimo, mittitur Herloviam: & elapso biennio, in Fyonorum præcipuum oppidum Otthiniam. Ubi per triennium eos fecit in liberalium Artium studiis progressus, ut ad audiendas Academicas prælectiones judicaretur idoneus: ideoq; Civitatem hic solenni more petiit: datisq; laudabilibus diligentia documentis, impetravit. Mox in familiam est admissus Excellentissimi Viri, Doct. Caspari Bartolini, Professoris in Regia hac Academia celeberrimi: cujus summa in omni scientiarum genere, doctrina & singularis virtus cum in omnium versetur memoria, fuisse à tanto Viro amatum, conceptæ jam tum in juvenili ætate de SPORMANDO præclaræ spei magnum est argumentum. Exacto in Academia ipso, quod jubent Leges, triennio, Rostochium transtulit studiorum sedem. Ubi cum substitisset annos prope tres, Vitebergam venit. Inde q; post anni moram, reversus in Patriam, dispositis domi rebus suis, anno ætatis 22. abiit in Belgium. hinc in Angliam. Porro in Scotiam, ut salutaret Gentiles: & in Oxoniensi ac Sanct-Andreana Academiis aliquid temporis transegit. Tum maritimo itinere perrexit in Galliam, & perlustratis potissimis Academiis, Civitatibus, Aulis, Parisiis, Aureliæ, Lugduni, studiorum causa, aliquantisper hæsit. Inde in Italiam venit: cujus variis peragratis territoriis, Urbem vidit: oppida, Neapolin, Florentiam, Venetias: Academias, Bononiensem, Patavinam. Ex Italia per Hun-

gariam & Germaniam, quinto postquam discessisset anno, rediit in Patriam. Ubi, cum protinus innotescerent præclaræ ingenii dotes, Nobilissimi juvenis, Christiani Fris, studiis præficitur. Apud quem cum in Regia ac Eqvestri, quæ Soræ Danorum est, Academia, alterum jam annum ageret, an. 1635. ad Historico-Geographicam Professionem in Regia hac Academia est vocatus: & cum pro Cathedra Professoria disputasset, sacramentum dixit d. 10. Junii, an. 1636. An. 1638. Uxorem duxit Virginem Nobilissimam, SIBILLAM VALSTRUP, qui cum egit annos 19 summa conjunctione animi, suscepitq; ex ea liberos 9. & in his filios 5. filias 4. An. 1641. d. 1. Junii, Magister Philosophiæ à Decano M. Johanne Svaningio renunciatus est. Facultatis Philosophicæ Decanus designatus an. 1646. Magistros 34. Et an. 1650. Magistros 18. Et an. 1656. Magistros 9. renunciavit. Academiae Rectoratum gessit an. 1649. & 1655. Collega percarus: Vir egregiè doctus, non in Philosophicis tantum disciplinis, sed humanioribus etiam literis, & in re Juridica ac Civili Prudentia. Mathematicis Scientiis dederat non vulgarem operam. In Romana, Græca, Patria, Peregrina Historia versatissimus. Regum ac Principum stirpes & propagines habebat in numerato. Jubente Gloriosissimæ memoriæ Rege CHRISTIANI IV. tabulas composuerat, quibus uno intuitu exhibebantur omnium Daniæ Regum origines. Præterea FREDERICI II. Gloriosissimi Daniæ Regis res gestas, ab incerto Auctore primùm conscriptas, & necdum editas, à se in popularem linguam translatas, auctasq; decreverat typis committere. Quæ ad Geographica pertinent, ita memoria tenebat omnia, ut vix sua cuiquam domus sit notior, quam essent ei præcipua

cipua terrestris Orbis loca. An. 1661. d. 10. Febr. invasit eū febris, eaq; primo accessu ita debilitavit omnes corporis vires, ut nulla Medici industria potuerint restitui, fracto jam dudum domesticis curis ac emaciato corpore. Nec aberat incendio malignitas: quæ nullis evicta remediis, ne quidem iis, quæ ἀλεξιφάρμακα vocant Græci, undecimo postquam accesserat die, morti eum tradidit: cum ea, quæ ultimam proximè præcessit, luce, à Reverendo & præclaro Viro M. Severino Laurentio, Sacræ, quæ à Deipara Virgine nomen habet, ædis Diacono S. S. cœnæ usu ad cœleste iter præparasset solvendam corpore, & à Sanctis Angelis in Abrahamæ sinum deportandam animam: & liberis præcepta pietatis, quæ crebro ab ipso audiverant, adversus cujuscunq; fortunæ adversa vel prospera, repetiisset. Atq; ita d. 21. Febr. an. 1661. inter 7. & 8. hor. vespertinam decessit, morte lenissima, cum annos 52. & menses pene 5. confecisset. Funus publico programme à Rectore Academiae D. Johanne Vandalino indictum est. Sepultus est in Templo D. Virginis.

Scripta.

Conclusiones 40. partim Geometricæ, Sphæricæ & Geographicæ: partim Chronologicæ & Historicæ.

Haun. 1636. in 4.

Disputatio quæ Geographiam esse omnibus Literarum Studiosis summè utilem asseritur. Haun. 1647. in 4.

Chorographica, quibus Palæstina leviter adumbratur.

Haun. 1651. in 4.

Ægypti brevissima Diatyposis. Haun. 1657. in 4.

ERICUS OLAI TORMIUS

Anno 1607. 13. Sept. Tormiæ Sallingorum in Cimbria natus est, Parentibus Honestissimis, Patre Olao Francisci, Matre Dorothea Christiani, Præpositi Nomarchiæ Harrensis filia. Qui postquam filiolum ædibus paternis Pietatis & literarum initiis imbui & educari curassent, ad Scholam Nicopiensem an. 1615. ablegarunt, quinquennio inibi transacto, consilio parentum Viburgum adiit, auctioris eruditionis incrementum capeffiturus. Anno 1627. Academica civitate donatus est. annuo vix in eo spatio expleto, in familiam Eminentissimi & Celebrissimi Theologi Dn. D. Caspari Brokmanni, *νῦν ἐν ἀγίοις*, adscitus, Nobilissimi & præclarissimæ spei juvenum, Dn. Joannis Kaasii & Christiani Brochmanni studiis præficiatur. Spectata Erici in instituenda juventute pietate & industria, ejus inspectioni in iisdem ædibus traditur instituendus Illustrissimi ArchiCancellarii filius Dn. Christianus Frisius, cui cum operam suam ultra biennium locasset, gratiosè ad exteros iturus dimissus est. Mox in Belgium digressus, Leidam Musarum sedem elegit, inibiq; Salmasio, Heinsio, Buxhornio, & propter studia Mathematica, Golio & Hortensio: Amstelodami verò Wossio & Barlæo, (quod publica scripta testantur) gratissimus vixit. Vocatus à Reverendissimo Dn. Episcopo Dn. D. Martino Matthiæ ad Rectoratum Scholæ Arhusiensis, in Angliam transit, voluntatem Dn. suorum Patronorum in patria præstolaturus. Londini & Oxonii illustratis & excussis Amplissimis Bibliothecis, Præclarorum Virorum D. Prideau & D. Joh. Brambrags, nec non Johannis Gravii favorem meruit. Anno 1634. in Galliam se contulit ac Parisios studiorum sedem elegit, integro inibi

inibi biennio commoratus, Mydorgio, Morino, Merfeno, Erigonio, Roebrvallio, Ciriaco, gratus & acceptus, inceptam studiorum telam, discendo aliosq; natalium splendore celsos & illustres docendo, pertexuit. Hac aliquali fama, magnorumq; virorum in exteris commendatione, & in patria spectata diligentia, Amplissimus Senatus Academicus permotus, eum Illustrissimo Dn. ArchiCancellario Dn. **CHRISTIANO FRISIO** Academiae post Deum & Regem Conservatori summo, de meliori nota commendavit. Anno 1635. Serenissimæ Regiæ Majestatis literis ad Professionem Mathematicam revocatus est: Reversus 12. Aug. an. 1636. die 21. Octobr. pro Cathedra impetranda disputavit, ac die 27. ejusdem mensis solenne juramentum dedit. Et sequenti anno Suprema laurea Philosophica ornatus est, Decano M. Vulfgango Rhumanno. Eodemq; anno Augustissimus Rex Divus **CHRISTIANUS IV.** in Turri Astronomica exstruenda, eandemq; instrumentorum Tychonicorum necessario apparatu adornaturus, occupatus erat: Qui, conspectis Quadrantum Azimuthalium & circuli æquinoctialis modellis ab Erico confectis, aliisq; laudabilis ingenii speciminibus, eum Gratia & Clementia Regia dignatus est. In hac Academia Bibliothecarii & Notarii officiis aliquot annis defunctus est. Anno 1640. Virginē ab omni virtutis decore commendatissimam **SOSTRATAM VORMIAM**, Excellentissimi & Celeberrimi Viri Doct. Olai Vormii Regii Professoris filiam, in Genialem thorum introduxit. Castissimum horum thalamum quatuor liberorum fecunditate beavit Deus. Anno 1641. Facultatis Philosophicæ Decanus 32. Lectissimis Juvenibus lauream primam contulit. Anno 1645. Patria, insperatis bellorum motibus

tibus attrita, cum de restauranda tam cito in patria Astronomiæ gloria dubitabatur, ei Ecclesiæ D. Virginis à Magnifico Rectore & Venerando Professorum confes-
 su Pastoratus iteratò oblatum est; cum verò septende-
 cennali decursu singularem Dn. Professorum Paternum
 & Fraternalium favorem ac benevolentiam expertus erat,
 in vota ipsorum consensit, eidemq; Ecclesiæ viginti mo-
 dò annis, divina annuente gratia, Ecclesiastes & Præpo-
 situs præfuit.

Scripta.

Disquisitiones ex universa Mathesi depromptæ, quibus
 Analytica Vietæa primus in hac Academia illustravit.
 Haun. 1636. in 4.

Disquisitiones Mechanicæ duæ de Instrumentis Mathe-
 maticis, quibus Globi Tychonici usus ostenditur &
 illustratur. Haun. 1643. 1645. in 4.

Disputatio de *μετρίαις ἐνοσίχθωνος*. De Mensuris. Haun. 1642.
 in 4.

Antiquitatum Danicarum Sermones 16. ex Jo. Aventi-
 ni Bojaricæ Historiæ lib. 1. & Comment. Jo. Lyschan-
 dri. Haun. 1642. in 4.

Effigies Regum Danorum, annexa Chronotaxia & com-
 pendiosa rerum Gestarum narratione. Haun. 1640.

Conciones Funebres in exsequiis Jani Hóg, Equitis Au-
 rati; Medæ Rosenkrantz, Cancellarii Sehestedii
 uxoris: Ingeburgæ Ulfstand, Archithalassi Vindii
 uxoris: Sillæ Antonii f. D. Brokmanni Episcopi
 uxoris.

FREDERICUS ANDREÆ

Designatus, primum Lingvæ Arabicæ; & deinde Diale-
 cticæ,

eticae, post defunctum an. 1637. M. Vulfgangum Rhu-
mannum, Professor, indulgente Serenissimo Rege, in
Exteras Regiones Cancellarii CHRISTIANI FRIS
de Kragerup, filium Christianum, deduxit: Quo post ali-
quot annorum spatium, in Patriam reducto an. 1630.
iterum paulò post, eadem Indulgentia Regia, cum Ar-
chistrategi Georgii Skeel Equitis Aurati & Regni Se-
natoris filio Christiano, in Belgium concessit, & inde
in Galliam: ubi in urbe Aurelianensi an. 1644. obiit.

NICOLAUS PAULI SCAN- DORPHIUS

Natus est Scanderupii in Cimbria an. 1596. Kalend.
Sext. Patre Dn. Paulo Andreæ, Regio Scanderburgi
Concionatore, ac Nomarchiæ Hiellumslóvianæ Præ-
posito, Exedræq; Arhusianæ Canonico: Matre Catha-
rina, Nicolai Petræi Cotulis Arhusiensis primarii filia.
Posito domi literarum tyrocinio, annum agens 13.
Herloviam venit, ut ingenium, quod docile ei contige-
rat, in Nobili isto Pædagogio plenius excoleret. Septem
illic militavit annos, sub auspiciis trium Rectorum, M.
Caspari Brokmanni, M. Petri Hienii, M. Johannis
Knopsii, tanta alacritate ac diligentia, ut retinaculo ac
freno, non stimulis aut calcaribus opus habuerit. Quem
eius discendi ardorem cum animadverterent Præcepto-
res, miro eum complexi sunt amore: & quicquid ad lo-
cupletandum tam pulcræ indolis pectus pertinere potu-
it, faciles communicaverunt. Hinc factum, ut cum in
annum ingressus esset vigesimum, jamq; didicisset quæ
scire Studiosus debet, singulariter adhæc à postremo suo
Moderatore Knopsio commendatus, nullo negotio Ci-
vitatem Academicam à Magnifico Rectore, Dn. M.

Christiano Longomontano, impetraverit. Notæ sedulitatis hominem mox in ædes suas assumpsit Dn. D. Casparus Brokmand, pollicitus ei patrocinium ac curam: & quem Herloviæ pridem erga eum conceperat amorem, hic exseruit luculentius: nihil intermittens quod ex re ejus esse posset. Mansit apud eum, vel hic, vel Helles-oræ, pene triennium. Fluebant jam ei ad votum omnia, cum an. 1618. sæva mors, vix menstruo intervallo, utrumq; illi eriperet parentem: & ipse deinde cogeretur non tantum sibi providere, verum etiam pupillorum fratrum curam in se suscipere. Qui casus quantum studiis ejus remoram injicere potuisset, vident facile illi, qui, non ad versitatis ignari, proximi in angustiis constituti commiserescere didicerunt. Ille tamen nihil territus, Deo committens causam suam, ad negotia Academica rediit ferventior: & eodem anno propter singularem eruditionem, primos in Philosophia consequutus honores est, conferente illi tales celeberrimo Viro M. Christiano Longomontano. Poscebatur jam pro Scholis opera ejus, ut quas ipse adhuc fideliter didicerat literas, iis alios imbueret. Primam igitur Scholastici muneris functionem habuit Soræ an. 1619. in qua Schola supremus Hypodidascalus tertiæ Classis Discipulos instituit menses 9. Alteram verò, jubente Episcopo, Dn. D. Johanne Resenio, cum in prima dextrè egisse deprehensus esset, Slaglosiæ habuit: cui Ludo Moderator præfuit sesquiannum. Illic eum ardor incessit videndi Vitebergam, (quam appellare solebat Evangelicam Hierosolymam) atq; ibi uberius eruditionis acqvirendæ gratia aliquandiu commorandi. Quocirca resignato Scholastico officio, in viam se eò dedit: Ubi locorum, cum iterum strenui Musarum Alumni ac diligentis Au-

Auditoris impleret partes, ac usitato obsequio se Professoribus illis acceptum redderet, auctus ab Academia hæc est stipendio Regio, traditusq; ei simul in disciplinam est Nobilissimus adolescens Nicolaus Krabbe, Tagonis f. cujus studia gubernavit prudentissimè. Labebatur jam annus 1624. tertius, à quo extra Patriæ fines egressus Vitebergam incolere cœpit. Illius anni æstate domum revocatus, primo regendam accepit Illustrem Scholam Herlovianam; atq; interea Magister Philosophiæ an. 1625. d. 12. Maji. à Decano M. Vulfgango Rhumanno renunciatus est. Deinde an. 1625. in Julio, voluntate Magnificentiss. Cancellarii Regii, Dn. CHRISTIANI FRISII, Cathedralem Viburgensem. Illam habuit amplius anno: hanc non integrum. Accitus demum an. 1626. ad Ministerium Ecclesiasticum, docuit Alburgi ad S. Bodulphum annis q. octo: in hujus Urbis Templo Academico in quintum annum, supremus utrobique Ecclesiastes, & hic etiam Præpositus. Postremis vero septem vitæ annis, cooptatus an. 1639. in Collegium Professorium, apud Academiam hanc magna cum laude & singulari induitria Theologica professus, & anno sequenti 1640. d. 8. Decemb. à Celebratiss. Episcopo, Præceptore olim ac Patrono suo Dn. D. Casparo Brokmand, publicè in eodem templo Academico coram altari, in magna celebritate, S. S. Theologiæ Doctor renunciatus est, Rectore quartum M. Christiano Longomontano. Initio Officii Ecclesiastici in matrimonium accepit Virginem lectissimam ac pudiciss. HEDVIGEM PALUDANAM, M. Vilhelmi Paludani, Viburgensis primarii Pastoris ac Canonici filiam, celebratis an. 1627. Viburgi nuptiis. Cum ea vixit conjunctissimè: ita ut vix conjugium aliud fuerit magis placens Deo & delecta-

&abilius bonis. An. 1644 Magistratum in Academia habuit, ea, difficili belli Svecici tempore, cura ac sollicitudine, ut administratæ sapienter provinciæ amplissimas ei gratias egerint Collegæ Professores. Si scribenda essent omnia, tam de ejus rara pietate, & religiosis meditationibus, & quotidiana ad mortem præparatione, & memoria beneficiorum Dei, gratissimoq; erga eum animo: quam de fideli ejus diligentia in obeundis muneribus, & mansuetudine, & humili faciliq; congressu, & ardenti erga Conjugē caritate, & paterna de Consanguineis sollicitudine, & humanitate in inferiores ac servos, & beneficentia erga Pauperes, quibus etiam in supremis 1500. Imperiales legavit, & aliis virtutibus ejus, res foret magni voluminis. Constituerat an. 1645. 24 Octob. in Templo se, cum aliis piis, spirituali cibo ac potu reficere. Id quo minus perficeret, morbus noctu eum invadens impediit. Particeps tamen domi cum uxore factus est Corporis & Sangvinis J. C. per Ministrum Dei, Clariss. Dn. M. Ericum Olai, Pastorem ac Præpositum: qui & deinde illi frequens adfuit, & luctanti, cum Reverendis suis Collegis, adstitit. Ipsemet consolationum plenissimus erat. Visitabatur & creberrimè à Celebrissimo Medico Dn. D. Olao Vormio, qui valetudinem ejus sibi habuit commendatissimam, nihil intermittens quod morbi vires frangere potuit. Initio morbus non credebatur lethalis. At quia macilentum erat ei corpus, laboribusq; attenuatum, repetitos morbi vehementes impetus sustinere diu non valuit. Igitur cum Deo Patri, complicatis manibus & ductis ab imo pectore suspiriis, supplicasset, & nomen Jesu identidem ingeminasset, vocem ac vitam posuit, an. 1645. die 1. Novemb, circa septimam matutinam. Funus publico programme inditum

dictum est ab Academiae Rectore D. Claudio Plumio. Sepultus in Choro Templi D. Virginis, ubi in Columna Australi monumentum ei positum est cum hac inscriptione:

D. N. P. H. W. D.

*Piae memoriae Viri admodum Reverendi & Religiosi
Dni. NICOLAI SCANDORPHII S. S. Theol. Do-
ctoris, & in Regia hac Academia Professoris Ordinarii.
qui die 1. Novemb. anno 1645. ærumnosam hanc vi-
tam cum beata illa commutavit: Uxor superstes HEL-
VIGE PALUDANA poni curavit.*

Scripta.

Disputatio Philosophico-Theologica de Malo. Haun.
1622. in 4.

De Justificatione. Haun. 1641. in 4.

Disputationes tres de Rejectione Judæorum & Adopti-
one Gentium. Hauniæ 1643. 1644.

De usu Christianæ Libertatis circa Adiaphora.

Explicatio Orthodoxa ex Epistol. ad Philip. c. 2.

Lucta Carnis & Spiritus.

Joadæ Pontificis Vita & mores. in obitu D. Joh. Paul.
Resen. ling. Dan.

LAURENTIUS MARTINI SCAVENIUS

Natus est an. 1589. d. 6. August. Skagæ in Cimbria. Pa-
trem habuit Virum honestum & famæ integrum, Marti-
num Laurentii: Matrem pientissimam Marinam Seve-
rini f. Latentes quidam igniculi virtutum ab honestis &

piis parentibus in eum propagati in primo statim vernantis ætatis flore emicuerunt : unde à pueris eximiam quendam ingenii indolem, & oris vultu, & discendi ardore spondebat, ac velut præstabiliore quodam virtutum seminario concretus, egregium ac præclarum quid designabat. Octennis jam natus unà cum Parentibus suis, inundatione maris graviter afflictis, Hauniam venit, inferiori hujus Urbis officinæ pietatis & literarum consecratus : ubi prima literarum & artium rudimenta tanta attentione & facilitate addiscebatur, ut eorum potius reminisci, quàm de novo ea addiscere videretur. Inde à Præceptoribus suis amari, multisq; beneficiis ornari cœpit, Parentibus statim orbatus, plurimis ærumnis deformatus, inops, alienæ prorsus opis indigus. An. 1599. afficitus est in domum Viri Celeberrimi Dn. D. Thomæ Finkii : qui & 13. annorum spatium quælibet vitæ necessaria ipsi cum liberis suis jam degenti benignè subministravit. Interea hospitem suum adeo gratiosum in Germaniam, Bohemiam, & domum redeuntem in Norvegiam comitatus est, cum Electo Daniæ Principi homagium ibidem præstaretur. Domum reversus omine auspiciatissimo Sacris Academicis est initiatus. Paulo post in numerum Collegarum Scholæ Hauniensis receptus, functionem sibi delegatam supra biennium fideliter administravit. An. 1612. cognita atq; perspecta jam singulari ipsius industria, Vir nominatissimus, Consul hujus Urbis amplissimus, Michaël Vibe curam duorum suorum filiorum cum uno patruele ad exteros una abituro, huic industrio juvenicommissit : ac primum cum illis ad Illustrem Scholam Misnensem pervenit; hinc rectà Marpurgum & Giessam Hassorum abiit. An. 1616. domum revocatus, summos in Philosophia honores indeptus est

an. 1617. in Majo, à Decano M. Johanne Alano. Mox ad exteras nationes iterum cum suis Discipulis concessit, veniens Heidelbergam, Argentoratum, Basileam: inde per Helvetiam, Friburgum, Bernam, Lausanam, & Genevam: ubi 16. mensium spatio substitit: hinc Lugdunum per aliquot menses: unde profectus est Aureliam, Parisios, Tolosam, Massiliam, iterumq; Lutetiam Parisiorum: postea per Picardiam descendit Bruxellas, Antverpiam, Lovanium, in Belgium. Ita nunc demum Virtus, Fides & Industria ipsius domi forisq; spectata fuit, ut per literas in Patriam redire juberetur, & Celsissimo Principi FREDERICO Regis CHRISTIANI IV. filio à studiis esse. Verum ob pestilentielle contagium, quo universa hæc regio an. 1619. erat correpta, literæ sunt aliquandiu interceptæ, & ampla illa functio alii commissa. Sed ne Virtus sua mercede careret, jussu Regio Pastor primarius & Theologiæ Lector Roëskildia constituitur per septennium cum semeltri. An. 1620. d. 15. Octob. Uxorem duxit Virginem lectissimam & pudicissimam ELISAM PETRÆAM, ex qua 15. liberos, 6. filios, & 9. filias suscepit: E filiis Petrus, J. U. Doctör & Professor Regius: Martinus Supremi Tribunalis Notarius & Sylvarum Regiarum Generalis Præfectus: Filiarum Elisa primùm M. Georgio Fromio Professore, & deinde Christiano Fossio Med. Doctör & Canonico Lundensi nupsit: cæteri 12. ante patrem è vivis excesserunt. An. 1627. de voluntate Gloriosissimi Regis CHRISTIANI IV. Pastor Ecclesiæ S. Nicolai in hac urbe primarius constitutus est: unde an. 1639. 10. Junii ad Professionem Theologicam in hac Academia vocatus est. Quod sacrum munus ut eo majore auctoritate obiret, supremi in Theologia honores ipsi collati

sunt 8. Decemb an. 1640. à Dn. D. Casparo Brokman-
no, Sædlandiæ Episcopo, & Facult. Theol. Decano. Va-
cabat autem non multo post Episcopatus Viburgensis,
cujus administratio à Ser. Maj. Regia ipsi fuit oblata: sed
in valetudinis causa excusari petiit. Veruntamen sum-
mus ille rerum nostrarum Moderator & Arbiter Deus,
non propterea ipsum tali officio prorsus exemptum volu-
it. Nam an. 1653. fati concedente Viro admodum
Rev. & Præcellentissimo Dn. D. Johanne Joh. Resenio,
Sædlandiæ Episcopo, communi suffragio primariorum
hujus regionis Pastorum electus est 24. Maji, qui Rese-
nio surrogaretur. Quam electionem Rex Augustissi-
mus **FREDERICUS III.** clementissimè approbavit.
Itaq; Episcopali Sacramento in arce Hauniensi 5. Junii
dicto, in Templo Academico Dom. 4. post. Trinit. Præ-
sul Ecclesiarum & Scholarum Sædlandicarum ab Excel-
lentiss. & Celeberrimo Viro Dn. D. Petro Vinstrupio,
Scanicarum Ecclesiarum Superintendente meritissimo,
auspicio creatur felicissimo: qui postea 6. præcellentes
viros, M. Thomam Bangium Theol. Profess. & tum A-
cademiæ Rectorem: M. Andream Andreæ f. Episco-
pum Alburgensem: Dn. Laurentium Jacobi f. Episco-
pum Fyonensem: M. Petrum Kragelund Episcopum
Ripensem: M. Johannem Theodorici Concionatorem
Aulicum: & M. Jacobum Canutium Theol. Professo-
rem, an. 1653. d. 20. Decemb. Theologiæ Doctores cre-
avit: & 55. Verbi Divini Præcones Sacerdotum Colle-
gio diversis temporibus inauguravit. An. 1655. die
19. Junii, quæ sui officii erant, sedulo curaturus, Roëskit-
diam profectus est, Synodum anniversariam ibidem ce-
lebraturus: vesperi statim in gravissimum morbum inci-
dit: die verò mox sequenti jussit advocari Virum Cla-
riss.

riff. & Religiosiff. Dn. M. Envaldum Nicolai, Pastorem, Præpositum, & Canonicum Roëskildensem meritissimum : à quo Sacrosancto Corporis & Sangvinis Christi viatico fideliter instructus, ad mortem se composuit, assiduas ad Deum preces fundendo, è sacris literis plurima solatia, quæ certissima sunt contra mortem remedia, repetendo : donec 22. Junii, circa 9. vespertinam. beatam efflaret animam, & ad cœleste migraret politeuma, annum ætatis agens 66. Corpus Hauniam delatum : Funus à Rectore Academiae D. Thoma Bartolino programmate publico indictum est : & corpus in Templi D. Virginis choro conditum : ubi monumentum ei in columna Septentrionali positum est cum hac inscriptione :

D. O. M.

Et memorie perenni Parentum Optimorum Dn. LAUR. MART. SCAVENII S. S. Theol. D. Prof. & Sædland. Episcopi : qui an. 1589. in lucem editus, a puero stud. bon. artium innutritus, animum porrò in peregrinat. per German. Helvet. Gall. & Belgium, ubi riore doctrina exornavit, quam in Schol. Past. Prof. & Episc. munere ab an. 1620. ad d. obitus an. 1655. ea solertia, integr. pruden. impendit, ut Deo piet. Regi fid. Auditoribus dilig. Cunctis Viri boni officium probarit. Nec non ELISÆ PETREÆ : quæ nata an. 1601. & facta conjux an. 1620. sæcunda 15. liber. mater, totam vitam raro pietat. pudicitie ac conjugalis amoris exemplo ad an. 1653. transegit : Debitæ pietatis &

amoris erga Par. benè mer. monumento hoc subiectum tumulum erigendum curarunt tres superstites liberi, PETRUS, MARTINUS, ELISA SCAVEN. anno Christi 1663.

Scripta.

Redemptio Zionis Haun. 1633. in 8.

Domus Domini, quam inhabitant Filii Dei. ex Psalm. 27. 4. Haun. 1635. in 4.

Disputationes duæ Theologicæ extraordinariæ. Haun. in 8.

Geneleos Mosaicæ Hexaëmeron. Haun. 1641. in 4.

De Spirituali inter Christum & Ecclesiam conjugio.

De bonis operibus.

De Sanctorum Invocatione.

De Persona & invocatione Jesu Christi.

Disputationes 4. de Sacramentis. Haun. 1643. 1650. 1652. 1653. in 4.

De Fidei salvificæ principio ac fundamento in J. Christo. Haun. 1653. in 4.

Oratio in obitum Regis CHRISTIANI IV. Haun. 1649. in fol.

Conciones in Publicis supplicationibus proponendæ. Haun. 1655. in 8. ling. Dan.

CHRISTIANUS STOUVGARDUS

Natus est Stenlofemagliæ in Sædlandia an. 1600. prid. Idus Mart. Patre Dn. Johanne Jani Stougardo, Parœciæ Presbytero & Merlosianæ Nomarchiæ Præposito: Matre Barbara, Johannis Paludani Med. D. Regis FREDERICI II. Archiatri filia. Mater bimum destituit,

peste an. 1602. extincta. Ex eo tempore inter optimi & solertissimi Genitoris amplexus crevit ad usq; annum ætatis septimum. Tunc ipsum domo eduxit Pater, & in ædibus primum locavit Viri ex veteri necessitudine sibi conjunctissimi Dn. Severini Montani, Arcis Regiæ Anderskovianæ Pastoris : ut illic cum filio ejus Johanne Montano, bonis literis animum imbueret. Sed illo, amissa conjuge, ad officium Ecclesiasticum Høense migrante, transtulit ipsum Hauniam, tradiditq; in disciplinam Studiofis Rudolpho & Johanni Musculis, qui ea tempestate Pædagogium in cœmeterio D. Virginis erexerant. At nonum agens annum factus est Nobilis Scholæ Herlovianæ alumnus : quæ ipsum Schola deinde per octo integros annos fovit, aluit, erudiit : regentibus interea eam D. Casparo Brokmand, M. Petro Hienio, & agnato ipsius M. Johanne Knopio. Exacti tunc erant anni seculi sexti 17. totidemq; ætatis ipsius, cum ipsum è Schola dimissum Magnificus hujus Academiæ Rector, Doctor Johannes Pauli Resenius, Sædlandiæ Episcopus, adscisceret Civem : postquam Spectabili Domino Decano, M. Christiano Longomontano probasset profectum. Substitit hic biennium : donec peste an. 1619. per Urbem invalescente, svasu agnati Præceptoris M. Knopii, jussus à Patre est adire Germanos. Dicto parens Rostochium, ac deinde Vitebergam se recepit, commoratus illic per hyemem. Primo vere tristis à Norvegia ad aures ipsius allabatur nuncius, obiisse Patrem. Percussus fama patrios lares repetiit : & hanc altricem Academiam, apud quam iterum annum egit. An. 1621. præfectus est à Doct. Casparo Bartolino, Præceptore suo Academico, qui ipsum paterna semper benevolentia complectebatur, studiis Nobilissimi Christiani Ske-
 lii,

lli, Otthonis Toparchæ Hammelmofensis filii Eum
 eum annuo spatio instituisset, auxit ipsum Pater Gene-
 rosus ad continuanda apud Exteras Academias studia;
 stipendio suo per triennium. Igitur isto adminiculo suf-
 fultus, Leidam profectus, Heinsium, Vossiumq; docen-
 tes audivit: & quia animum ad Medicum studium ap-
 plicaverat, Heurnium, Vorstiumq;. Sed & an. 1624. lu-
 strata circa Festum Pentecostes Anglia, Parisios venit:
 ubi tam lectionibus D. Riolani, D. Charles, D. du Val,
 quam curandis ægris, in commereio D. Læti, & celebris
 istius Chirurghi, cui cognomen erat Juif, operatus est.
 An. 1626. in Daniam regressus est, viditq; in itinere,
 quod ipsi per Belgium & Germaniam fuit, Regia Castra
 in Ferdensi Episcopatu, juxta urbem cognominem,
 Cætareanis copiis opposita: & quod reliquum erat anni
 istius tempus Viburgi, apud percarum sibi avunculum
 Dn. M. Vilhelmum Paludanum traduxit. An. 1626.
 publicam Præside D. Olao Vorm, pro stipendio Regio
 Medico, Hauniæ disputationem habuit: eaq; finita,
 quod petierat, impetravit: consentiente cum Magni-
 fico Dn. Cancellario Dn. CHRISTIANO FRISIO,
 universo Senatu Academico. Seqventi anno (postquam
 ipsum summis in Philosophia honoribus, per Spectabi-
 lem Decanum, Dn. M. Petrum Gelstrupium Facultas
 ista decorasset,) ex consilio Præceptoris D. Casp. Bar-
 tolini, comitem itineris accepit Simonem Vibe, Mi-
 chaëlis, Consulis Hauniensis primarii, filium: & perlu-
 strata iterum Anglia Galliaq;, per Lotharingiã, difficili
 propter motus Gallicos itinere, Argentoratum deve-
 nit. Ea ipsum Urbs quadriennium habuit: nisi quan-
 do Tubingam, visum Illustre, quod illic est, Collegium,
 excurrit. Tandem à Ser. Reg. Majestate impositum
 ipsi

ipsi fuit, ut Mathematica studia quàm studiosissimè excoleret : quo posset, quando ejusmodi Professio ipsius curæ commendaretur, in istis juventutem Academicam in Patria cum laude & fructu exercere. Hæc causa ipsum perpulit, ut Basileam migraret. Ubi tamen breves habuit moras. Namq; revocatus in Patriam à Matris morte Contubernalis ipsius Simon Vibe, ipsum secum traxit. Vix verò mense Augusto an. 1632. domum redierat, quam sollicitare ipsius operam pro Nobilissimo Affine Oveno Lunge, Georgii, Regni Senatoris & Archistrategi filio, cœpit Illustris Præses Soranus Justinus Hóg : quem extra patriam iturum voluit comitaretur Ephorus. Non ausus abnuere conditionem, dummodo ipsum curis Mathematicis à Magistratu injunctis exsolveret. Et ille hanc ipsi veniam impetravit. Ergo quartum Regni finibus egreditur, ducitq; Nobilem suum per Holsatiam, per tractum Bremensem, per Frisios, per Batavos, per Brabantiam & Flandros in Gallias. Quo in Regno, vel Parisiis, vel Salmurii, vel Andegavi substitit biennium. At an. 1635. novum orsus iter per Allobroges in Italiam descendit : & salutata Genua atq; Pisa, primam mansionem Senis habuit : alteram Romæ & tertiam Neapoli : quartam ac quintam Romæ iterum ac Senis. Cum verò, visis Venetiis, Patavii esset, incidit Ovenus ipsius in morbum, qui illi 21. Febr. an. 1637. fatalis fuit. Hæsit ipse apud funus, donec quid fieret illi, nuncius ab amicis perferret. Quod cum reducendum in Patriam esset, iter habuit per Forum Julii, Carinthiam, Stiriam, Austriam, Moraviam, Bohemiam, Misniam, utramq; Saxoniam, Hamburgum usq;. Inde Haterlebiam delatum : atq; inde Viburgum : ubi justis illi ex more solutis, majorum tumulis illatum est.

His ita peractis, manfit vel in prædio ejus paterno, apud Generofam matrem Sophiam Brahe, vel Viburgi cum amicis: donec juffu Magnifici Cancellarii, CHRISTIANI FRISII, ad Profefionem Eloqventiæ in Academiam hanc evocaretur. Illud munus, poftquam pro Cathedra Profeforia publicè difputaffet die 31. Junii, & Sacramento fe Academiae obligaffet die 17. Jul. an. 1639. fufcepit. An. 1641. juffu Regis feqvutus eft Illuftriffimū Comitem Voldemarum in Moskoviam. An. 1640. d. 8. Decemb. Medicinæ Doctor creatus eft à Celeberrimo Dn. D. Olao Vormio. Cum in morbum incidiffet an. 1645. mense Januar. ftatim vereri cœpit, ne epidemius is effet: ideoq; pro pietate fua, (cujus etiam monumentum reliquit, forte 300. thaler. Imper. Studiofis pauperibus legata.) providendum animæ fuæ ratus, dum fensus adhuc integri effent, Pastorem Dn. M. Olaum Vindium ad fe arceffivit, qui verbo Dei atq; viatico falutari animum ipfius confortavit. Adfuit etiam benevolus Collega Dn. D. Olaus Vormius, curamq; corporis ejus habuit quàm diligentiffimè. At cum naturam à morbo vinci animadverteret, mundanas omnes curas atq; cogitationes depofuit, nil nifi cœleftia meditās. Extremum Vale dixit amicis abfentibus juxta atq; præfentibus: Deum precatus ut eos folaretur in hifce ærumnis. Seipfum verò fuffentavit memoria fœderis cum Deo in Baptifmo initi, & fpe futuræ vitæ. Et inter hæc fpiritualia oblectamenta animam nocte intempefta die Januar. an. 1645. placidiffimè edidit, cum feciffet annos quafi 45. Funus programmate publico indictum eft ab Academiae Reftore D. Nicolao Scandorfio ipfius affine: in-cujus quoq; fepulcro in Templi D. Virginis Choro ipfius corpus eft conditum.

Scri-

Scripta.

Disputatio de Lingva Latina. Haun. 1639. in 4.

SIMON PAULLI

Sverinò oriundus , Ducum Megapolitanorum aulis, jam usq; ab Heroicis temporibus clara civitate : Avo Simone Paulli Sverinensi , Superintendente, ac in Rostochiensi Academia S. S. Theologiæ Doctore ac Professore: cujus virtus etiamnum post funera vivit, vivi per ora virum volitans, quam præ aliis M. Casparus Hoëflerus Crimnicensis, eleganti hoc epigrammate, illius effigiei subscripto, posteritati commendare voluit :

Eloquio nulli, nulli pietate secundus,

Hoc SIMON PAULLI præditus ore fuit.

Cui postquam meritas meditabar carmine laudes ;

Sic mea subridens Pieris ausa loqui :

Pono chelin, majora tuis nec viribus aude,

Dignâ laude Virum tollere nemo potest.

Patre Henrico Paulli Rostochiensi , Medicinæ Doctore, ac in patria Academia P. Professore, nascitur Rostochii Anno 1603. 6. Aprilis. Hic à S. R. M. Daniæ ac Norvagiæ Regia Vidua, Incomparabili Heroïna ac Dna. Dna. SOPHIA, nata Ducissa Megapolitana in aulâ Nycopingensem evocatus, stipendii Regii Medici anno 1604. circiter festum Michaëlis mereri cocepit; Cum verò is anno 1610. Naturæ cessisset, sui ingenti, ipsius Serenissimæ Regiæ Matris Regiæ, ceu fidissimo Medico orbæ, relicto desiderio, illius sive vidua sive mater, iterum Nycopinga Rostochium transfert familiã, ac inter eam abducit septennem filium. Qui postquam ex ephebis excessit, id studuit unicè, nudus à Patronis, cum

Publ. Syrus, optimum esse existimavit, Parentum vestigiis insistere, si rectè præcesserint, ut quam Parentum virtutem superare non posset, eam ex parte æmularetur, ipsi matrimonio re angusta domi, potentissimaq; Atheniensium Dearum, bonæ mentis sorore, aliàs virtutis comite dicta, obsistente. Hinc Deo Duce & Auspice Deo, Promotoribus Nobilissimo ac maximè strenuo Viro, Regiæ Nycopingensis aulæ Magistro, Joachimo Barne-Witzio, ac Johaâne Oberbergio S. R. M. à consiliis secretis, quibus cum olim illius Parens Henricus Paulli vixerat conjunctissimè, confisus S. R. M. Daniæ ac Norvagiæ Regiæ Reginæ Matris singulari clementia, antithac comprobata Regia munifica liberalitate, anno 1622. natus quasi annos novendecim, humillimè sua studia S. R. M. commendavit, quibus eadem Serenissima Regia Mater, postdein usq; ad urnam suam clementissimè cupivit ac favit. Unde quoq; factum, ut ipse in Germania natus, relicta patria, hic in Dania altera ipsi & dulcissima patria eductus, maximam vitæ partem transegerit, primò Nobiliss. Adolescentum Langiorum, Gyldesterniorum, deniq; Christiani Rantzovii, Magni istius Herois Literarum Mæcenatis Henrici Rantzovii Nepotis, postmodum Illustris Comitis studiis ac moribus admotus, usq; dum id ferret suorum ipsius studiorum ratio, ob quæ & præsertim Anatomica studia excolenda, Christophoro von der Lippen S. R. M. Regiæ Viduæ Cancellario, Henningo Arnisæo Archiatro ac Johanne Oberbergio Secretario Patronis suis, auspiciis Regis in Galliam, cum antea Belgium, ac Britanniam peragrasset, contendit, ut Anatomicorum Roscio altero, Celebrerrimo Anatomico, Johanne Riolano Præceptore, ea non levi brachio Lutetiæ Parisiorum tractaret. In Germanico

manico autem itinere Regiis sumtibus in inclutissima Witebergensi Academia Celeberrimo Medico Practico, Daniele Sennerto promotore, anno 1630. summos in Medicina honores indeptus est. Redux in Daniam Regio Reginae Matris clementissimo consensu, praxin quam Lubecæ auspicatus erat, excoluit, usq; dum anno 1632. Serenissimus Princeps ac Dns. Dns. JOHANNES ALBERTUS DUX MEGAPOLITANUS, illum Collegio Ducali Professorum, inclutissimæ Rostochiensis Academiae clementissimè adscripsit: ac Johanni Bachmeistero D. Medico ac P. P. enucleatis Patrum conscriptorum suffragiis, surrogavit. In qua septennio exacto, Germania inferiore ac superiore belli cladibus afflictissimis, de familia sua in florentissimum Daniæ Regnum transferenda consilium inivit, quò una Socero Jacobo Fabricio Archiatro, qui non ita pridem Arnifæo successerat, porrò practicæ Medicinæ præceptis alius studia obfirmarentur: Sed nullo in Regia hac celeberrima Hafnienti Academia vacante loco, rebus suis familiæq; non melius prospici posse arbitratus est, quam ut primus studia Anatomica, Chirurgica, & Botanica, Serenissimo Potentissimoq; Daniæ ac Norvagiæ Regi ac Dno. Dno. CHRISTIANO IV. gloriosissimæ memoriæ anno 1639. Perillustri ac Generosissimo Heroë Dno. CHRISTIANO FRISIO Regis ac Academiae Regiæ Hafnensis Cancellario, Mecenate summo, parariô Selandiæ Episcopo D. Casparo Brokmanno, inclytissimi nominis Theologo, digno laude viro, commendaret, eaq; primus in illam introduceret; in quæ S. R. M. ex singulari clementia ipsi honestum stipendium constituit, cujus ingens auctarium Mœcenate altero eoq; summo Perillustri ac Generosissimo Heroë ac Dno.

Dno. CHRISTIANO THOMÆO Regis ac Academiæ Regiæ Hafniensis Cancellario, postmodū ex Regia Clementia obtinuit: Egregiā operam multumq̄; in rem eam amicissimis amicis, & inter eos, quibus domi forisq̄; familiarius usus est, Regio Cancellario Magnifico, Dno. Theodoro Lente, studiosissimè conferentibus. Excoluit ergo in Regia hac Academia pro virili Anatomica practica studia, usq̄; dum S. R. M. Sereniss. ac Potentiss. Daniæ ac Norvagiæ Rex ac Dns. Dns. FRIDERICUS TERTIUS vivat! vivat! vivat! Patriæ Pater ac Regni DANIÆ STATOR anno 1648. rerum potiretur, quo is studiis ac exercitiis Anatomicis se abdicavit, successore Celeberrimo Thoma Bartholino, stipendia Regii Medici humillimè Regis in aula faciens.

Opera hæc in lucem emisit.

De Hæmorrhagia Disputationem. Hafniæ 1629. in 4.

De Dolore Dentium Disputat. Hauniæ 1639. in 4.

Germanicam Anatomix Bartholinianæ Versionem. Hafniæ 1648. in 8.

Quadripartitum de simplicium Medicamentor. facultatibus. Rostoch. 1640. in 4.

De Arthritide Disputationem. Witebergæ 1630. in 4.

Versionem Germanicam Anatomicar. Tabular. Jul. Casserii, & de Form. Fœt. Spigelii, cum Appendice. Francofurti 1656. in 4.

Orationem Introductoriā cum Galen. de Ossibus, ad Sceleton, publicè in Collegio Finkiano esset interpretaturus. Hafn. 1641. in 4.

De Catarrho disputationem Annivers. Rostoch. 1637. in 4.

Floram Danicam cum Figuris. Hafn. 1648. in 4.

Viri-

Viridaria varia Regia & Academica publica. Hafn. 1653.
in 12.

De Anatomix Origine, Præstantia & Utilitate Syntagma. Hafn. 1634. in 4.

Παρέκβασις de Feb. malignarum vera causa &c. Francofurti 1661. in 4.

Qui novam Quadripart. sui editionem in Nobiliss. Hujus Regni honorem, utilitatem, & commodum indefesso labore conscriptam, Deo volente, una cum auctario de abusu Tabaci & usu herbæ Theé proximis nundinis autumnalibus hujus anni 1665. publicare meditatur.

GEORGIUS FROMMIUS

Incunabula habuit in prædio Haterflebiæ vicino, cui nomen Hofgaard, editus 5. Id. Octob. an. 1605. Parentibus spectatæ conditionis, Johanne Frommio, Viro honestissimo, & Cæcilia Georgia, femina ornatissima: qui partim illic, opera fidelis Pædagogi, partim apud publicam Scholam Haterflebiensem, cum erudiri curarunt in annum pubertatis usq; . Tum amandatus Lunæburgum, in Illustri, quod in ea est urbe, Pædagogio, per sequentes quatuor annos, laudabiles in lingvis atq; artibus fecit progressus. Inde eum Civem habuerunt variæ per Germaniam Academia: Helmstadiensis primum, in qua sacris Musarum legitimè est initiatus. postea Lipsiensis, Vitebergensis, Francofurtensis, Rostochiana: donec in hanc concederet. Ubi locorum literis & auditioni ita operatus est diligenter, ut avidum pectus multiplici doctrinarum notitia ditaverit. Jam aptus ad docendum & gubernandum alios erat, cum studiis Nobilissimorum Fratrum, Otthonis & Chilonis Kragiorum præficeretur. Apud eos Soræ, per annos aliquot, officium
fecit

fecit fideliter. Et post cum majore natu, qui postea Regni Senator lectus est, comite assumto, Generoso juvene Christiano Skelio, qui curæ itidem fidei q; tunc ejus ab Illustri Parente permissus erat, Belgium omne, Angliæ regiones meridionales, Galliam universam, & quicquid est Italæ terræ ab Alpibus Neapolin usq; obiit & peragravit. In eo itinere hautquaquam perlustrare intermiserunt quidquid erat visu dignum: Urbes præcipuas & Academias, & opera magnifica, & terrarum admiranda, quæq; oculo non vulgari & plebejo, sed qui Viros de set Reip. regendæ destinatos. Redux post peregrinationis quinquennium, magnis Parentibus sibi credita pignora salva reddidit & incolumia, & gratiam ab iis iniiit, laudisq; promeruit plurimum: Fluebat tunc à N.Ch. annus 1635. Ea fama excitatus Venerabilis Episcopus Dn. D. Casparus Brokmand, defunctum officio mox excepit FROMMIUM, operamq; ejus in deducendo ad exterar Academias filio, maximæ spei juvene, Christiano Brokmand flagitavit. Annuit ille & deduxit, & apud eum Contubernalemq; ejus Iohannem, Matthiæ Ioh. Consulis Hauniensis filium, Leidæ Londiniq; commoratus est biennium. Sed non pari eum fortuna, qua priores alumnos, reduxit. Quippe egregium juvenem ad summa anhelantem, vita Londini destituit, exsuviis tantummodo Patriæ redditis. Exinde eum filiis suis junioribus tribus, Georgio, Johanni, Gregorio, Frisiis moderatorem optavit Regius Archi-Cancellarius Illustriss. Dn. CHRISTIANUS FRISIUS. Iis instituendis Hauniæ & Soræ operam locavit, donec ad publicum docendi in hac Academia munus admoveretur: quod munus nunc Logicam, nunc Oratoriam, nunc Mathelin tradendo, ad obitum usq; obiit, fide & industria incomparabili,

rabili, publicè privatiniq; , cum summo auditorum fructu, nec minore sua laude. Disputavit verò pro Cathedra Professoria d. 21. Januar. 1643. & d. 1. Febr. sacramentum dixit. An. 1641. d. 1. Junii Philosophiæ Magister à Decano M. Johanne Svaningio renunciatus est. Decanus ejusdem Facultatis ipse designatus an. 1647. Baccalaureos 27. creavit. Iterum an. 1651. Uxorem duxit an. 1645. ELISAM, Dn. D. Laurentii Scavenii Theologiæ Professoris, & post, Episcopi filiam: ex qua Pater factus est filiorum trium & unius filix. Obiit an. 1651. Decanatus sui iterati mense secundo, die 19. Augusti, tertio ex quo decumbere cœpit. Funus publico programmate à Rectore Academiae Johanne Muller J. U. Doct. & Professore indictum est. Sepultus est in Templo D. Virginis extra Chori valvas.

Scripta.

- Disputatio Philologica de legendis cum fructu Latinis melioris notæ Scriptoribus. Haun. 1643. in 4.
 Responsio ad Morini defensionem Astronomiæ restitutæ. Haun. 1645. in 4.
 Dissertatio de Astronomico Theatro pro Longomontano contra Morinum. Haun. 1642. in 4.
 Arithmetica Danica. Haun. 1649. in 4.
 Exercitationes Sphæricæ tres: De Principiis. 1648.
 De Terræ ac Maris superficie. 1649. De Terræ parvitate. 1650. Haun. in 4.
 Exercitatio Physico-Mathematica. Haun. in 4.

JOHANNES ZOEGA

Natus est Hauniæ, an. 1608. Parentibus honoratissimis & honestissimis, Patre Johanne Adolpho Zoëga, Cive

Hauniensi, Matre Thyra Elkenbergeria. Sub horum oculis, magna sollicitudine, & suspiriorum ardentissimorum ad Deum effusione, per elementa Christianæ Religionis, & linguarum, artiumq; rudimenta exercitatus fuit, Præceptorum diversorum dexteritate in Patria, ad an. 1625. quo studia ampliora præsidia requirere videbantur. Itaq; eo anno Vitebergam de suorum consilio adiit. In alterum usq; annum cum ibi studiis litasset, an. 1627. Hauniam rediit, hujus Universitatis Professorum usus opera ad augmentum studiorum suorum amplius. An. 1629. ad Scholæ Viburgensis in Cimbria administrationem evocatus est, traditurus juventæ, quæ ipse adolescens didicerat. Perstitit in eo officio, obsequioq; superiorum usq; ad an. 1631. Eo verò exorsus est curriculum, quod exeunte ferè anno 1638. demum terminavit: nam peragravit Bataviam, Angliam, Scotiam, Galliam, translaturus in usum suum, quicquid passim præclarum ad doctrinæ augmentum pertinere censuit, conciliavitq; sibi passim viros incomparabiles. Domum reverso, facultatem instituendorum Collegiorum, ut vocant, Philosophicorum concesserunt Professores Philosophi: quam collatis an. 1639. honoribus Magistrii luculenter obsignarunt, Decano M. Jacobo Finkio. An. 1640. excurrit denuo in Britanniam, & lustratis amœnitatibus & raritatibus Londinensibus, in Academiis præcipuè Cantabrigiensi & Oxoniensi florantissimis substitit usq; ad an. 1642. quo demum ab istis amœnitatibus potuit avelli, & à se impetrare, ut domum reverteretur. Cum verò illum recuperasset Patria, jussit Academia Regia eum Clarissimi Viri, Frederici Andree, designati Regii Professoris vices agere & locum implere. Cum verò is naturæ debitum solvisset, Ordina-

narius Logicæ & Metaphysicæ Professor pronunciatus est. Disputavit pro Cathedra an. 1644. d. 28. Septemb. & seq. 26. Octob. Sacramentum dixit. In hac Academia palestra, Serenissimum Regem CHRISTIANUM IV. gloriosissimæ memoriæ, tam clementem expertus est, ut an. 1643. eum Canonicatu, ut vocant, apud Capitulum Lundense in Scania magnificentissimè donaverit. Sic constituta re literaria, uxorem duxit Virginem omnibus ornamentis conspicuam BARBARAM, Erici Clementis, J. U. Doctoris & Canonici Lundensis filiam, D. Joh. Paul. Resenii Episcopi ex filia neptem: quæ eum Patrem sex liberorum fecit, ex quibus hodie unus filius superstes. Decanus Facultatis Philosophicæ designatus an. 1651. Baccalaureos XIII. creavit. Iterum an. 1655. Baccalaureos LII. pronunciavit. An. 1656. d. 15. August. Rostochii publicè disputavit, Præside Johanne Georg. Dorscheo, Theologiæ Doctore & Professore, pro consequendis summis in Theologia honoribus & Privilegiis Doctoralibus.

Scripta.

Disputationes multæ, Logicæ, Metaphysicæ, miscellaneæ ab an. 1638. usq; ad an. 1656.

Disputatio inauguralis de Purgatorio & Causa Peccati. Rostoch. 1656. in 4.

BARTOLUS BARTHOLINUS

Casparo Bartholino S. S. Theologiæ, Medicinæ & Philosophiæ Doctore, atq; in Academia Hafniensi Prof. Regio, viro ab eruditione varia omnibus noto, & Anna Finchia, Hafniæ anno 1614. 21. Septembr. ante meridiem hora 7. cum min' 45. natus est. Vix exivit de gre-

mio, cum docendi peritis traderetur, ut tirocinia studio-
 rum domi ageret: tantumq; in moribus, lingvarum atq;
 artium cognitione profecit, ut anno ætatis XIV. jus ei
 civitatis Academicæ daretur. Cum itaq; integrum lu-
 strum eloquentiæ & sapientiæ magistros publicè docen-
 tes audivisset, à Viro Nobilissimo ac Illustrissimo Dn.
 Oligero Rosencrantz Senatorii ordinis, qui clarum me-
 ruerat inter doctos nomen, (ob veterem necessitudinem
 quæ ipsi cum parente intercesserat, & quæ ad mortem
 usq; firmissima duravit) Rosenholmium, sedem ac Ma-
 gistrum pietatis atq; studiorum, evocatus, ubi trienni-
 um cum sex mensibus per omnem honestarum artium
 cultum transegit. Inde in Belgium se contulit, & Lug-
 duni Batavorum tres annos commoratus, multis ab eru-
 ditionis fama claris innotuit: sed maximè charus fuit
 magnis seculi luminibus, Salmasio, Cunæo, Heinsio,
 Boxhornio & Mæstertio, quorum nomina consecrata
 sunt æternitati; Hinc Galliam adiit, & Lutetia bimen-
 sis tempus lustrata, Aureliæ annum literarum & Juris
 Civilis studio impendit. Anno 1641. in Italiam iter
 capessit, & Patavii quidem summorum virorum eruditi-
 one motus, in primis Casparis Scioppi Comitis à Clara-
 valle, Octavii Ferrarii, Joannis Rhodii & aliorum, an-
 num ferè egit. Cum itaq; veteris Jurisprudentiæ, Phi-
 losophiæ & Antiquitatis studiis deditus esset, Floren-
 tiæ, Serenissimi Principis Leopoldi indulgentiâ, ocium
 veteribus libris manu scriptis inter se comparandis in
 Bibliotheca Medicea sesquimensem addixit, simul viris
 eruditis, Victorio & Donio notus fuit. Pisas deinde ab-
 iit, ubi Paganinus Gaudentius ingenio ejus delectatus,
 cum hospitio excepit, & cum eo familiariter propter stu-
 diorum societatem vixit. Pisis Romam se contulit, atq;
 Emi-

Eminentissimo Cardinale Francisco Barberino acri ingeniorum æstimatore salutato , Vaticanæ Bibliothecæ excutiendæ veniam impetravit , atq; ubi per ocium licuit, viros celebres salutandi causa adiit, qui doctis sermonibus aures ejus imbuebant, Illustrissimo quippe Equiti Cassiano Puteo, Lucæ Holstenio, Leoni Allatio, Petro Servio innotuit, & placuit. Illic exactis sex mensibus, Neapolim concessit, ut Vesuvium, Campaniæ plagam, & stupenda illa artis atq; naturæ miracula oculis subjiceret. Cum igitur Italiam relinquere animo destinarat, prius Ambrosianam Bibliothecam videre constituit, quam optimi Viri D. Francisci Bernardini Ferrarii beneficio vidit, optimos Codices MSS. evolvit, & Mediolani mensem vixit. Voti jam compos factus peregrinationem per Rhetorum provinciam in Galliam instituit, Lutetiæq; hybernavit, & sub veris initium in Belgiū profectus, Amstelodami annum commoratus est, ut diligentissimus Magni viri Gerardi Vossii auditor esset. Unde in patriam accersitus, à Divo CHRISTIANO IV. Anno 1645. Eloquentiæ Professor, post 8. & quod excurrit annorum peregrinationem, designatus est. Uxorem duxit SILIAM MARIAM GLOB honestis natalibus ortam, ex qua octo liberos suscepit. Etiam Antiquarii Regii titulo auxerit Serenissimus Rex FREDERICUS III. Facultatis Phil. Decanus ter fuit, & Doctores Philosophiæ XIII. anno 1653. creavit. Summo in Academia Magistratu semel functus est, cum Rectoratum anno 1657. omnium suffragiis ipsi delatum, ob graviora negotia, modestè recusasset.

Præter ea quæ meditatur

Scripta ab eo edita hæc sunt:

Exercitatio Philologica de Latini Sermonis Puritate.

Hafn. 1645. in 4.

Oratio in Excessum Serenissimi Daniæ & Norvegiæ Regis CHRISTIANI IV. Ibid. 1648. in Fol.

Philologiæ studium Theologis, Juris, Medicis, Philosophis & Oratoribus utile esse atq; necessarium. Ibid. 1653. in 4.

De Penula antiquorum. Ibid. 1655. in 8.

ERASMUS ENVALDIE. BROK- MANNUS

Honestissimis Parentibus ortus, an. 1619. d. 8. Sextil. in prædio Valdbygaard editus est in lucem. Patrem habuit Envaldum Er. Brokmand, Coagianæ Civitatis Consulem, singularis prudentiæ solertiæq; virum: Matrem Margaretam Erasmiæ, feminam præstantissimam. Horum summa cura cum educaretur puer, nati ad perdiscendas liberales artes ingenii, prima statim ætate, haut obscura dedit indicia: ideoq; studiis maturè traditus, tum sub domestica disciplina, partim in ædibus Viri celeberrimi, deq; hac Academia & Universa Ecclesia optimè meriti Doct. Caspari Brokmand, tum temporis Summi in Regia hac Academia Theologi, posteaq; Sædlandiæ Diœcesis Episcopi, qui eum habebat non secus ac filium: partim apud Parentes, ubi juxta cum fratre nato minore Johanne, qui post Arhusiæ Diœcesis Episcopus fuit, literarum rudimenta posuit: tum sub publica informatione, in Illustri Herloviana Schola, ad quam an. 1633. mense Augusto mittebatur, sub Scholæ Rectoribus, Viris Clarissimis, M. Jacobo Spelderupio, &

& M. Johanne Theod. Barskero, qui postea S. S. Theologiae Doctor & Episcopus Viburgensis fuit, in liberalium artium studiis progressus fecit adeo egregios, ut anno 1637. ad Academiam dimissus, magna cum laude adscitus sit in Civium Academicorum numerum, & ob singularem in Latina Lingva profectum, inter eos, qui simul donabantur civitate, obtinuerit locum supremo proximum, Rectore Academiae Magnifico, Viro Celeberrimo, Doct. Olao Vormio Med. P. P. & Facult. Phil. Decano Spectabili, Viro Clariss. Mag. Vulfgango Rhumanno, Logicæ P. P. A quo tempore in Regia hac Academia substitit per quadriennium, vixitq; apud utrumq; Patrum: primum in ædibus Excellentissimi Viri Doct. Johannis Er. Brokmand, S. S. Theol. P. P. qui indefesso studio ita dirigebat ejus studia, ut summa cum gratitudine ei retulerit accepta optima solidioris eruditionis fundamenta: deinde post religiosissimi illius viri obitum, apud Celeberrimum Virum Doct. Casparum Er. Brokmand: qui quemadmodum sua ætate habebatur Oratorum princeps, ita, cum animadverteret, ad Eloquentiam aptum esse juvenem, ad suscipiendum illud studium auctor ei fuit & svasor: consuluitq; ejus commodis tantopere, ut sæpenumero fateretur, se summi illius Viri erga se beneficiis nunquam posse referre parem gratiam. Accedente porro ad fidelissima utriusq; Patris præcepta, propria diligentia, in optimarum artium studiis usq; adeo profecit, ut inter Clarissimos Regiæ hujus Academiae Professores, illam sit consecutus celebritatem nominis, quam postea toto vitæ tempore cum laude sustinuit. An. 1640. d. 14. Septemb. in exterarum regiones profectus, Belgium petiit: & Franckeræ Frisiorum per semestre spatium commoratus, præter cæ-

teros doctissimos Viros, audivit P. Vinsemium, ibidem Eloquentiæ P. P. Inde ad celeberrimam, quæ Lugduni est Batavorum, Academiam factò itinere, Eloquentiæ, Politicæ & Historiarû studio se totum tradidit, Nobiliss. Dan. Heinssii, aliorumq; Clarissimorum Virorum, & in his potissimum M. Zverii Boxhornii consiliis usus, cujus opera præclarum in studiis illis profectum fecit. An. 1644. reversus in Patriam, apud superstitem Patrum, Celeberrimum Doct. Casparum Er. Brokmand, transegit annum spatium, donec ob singularem eruditionem, ad Illustris Herlovianæ Scholæ vocaretur Rectoratum. Cui muneri quanta cum industria præfuerit, satis arguunt amor & veneratio, quibus eum prosequuti sunt Discipuli. Anno sequente, à Gloriosissimæ memoriæ Rege CHRISTIANO IV. ad docendam in Regia hac Academia Eloquentiam est vocatus, & edito d. 28. Febr. an. 1646. publicè, ex recepto more, insigni eruditionis specimine, probatus, Professorium juramentum præstitit, eandemq; 16. annos summa cum laude est professus. An. 1647. in Majo Philosophiæ Magister renunciatus est à Decano M. Petro Spormanno. Ipse Facultatis Philosophicæ Decanatum administravit bis, nempe an. 1653. & an. 1661. dixitq; Philosophiæ Magistros 11. Baccalaureos 13. Studiosos 600. Et Academiæ Rectoratum gessit semel, quem anno 1658. susceptum, sequente anno ejuravit: & quamvis ob incidens bellum difficilima essent tempora, tamen quæ ad Academiæ honorem ac utilitatem videbat pertinere, omnibus viribus ac laudabili prudentia & sedulitate expedivit. An. 1647. proxima quæ Pentecostes festum antecedit Dominica, celebravit nuptiarum solennia cum lect. Virgine BOTHILDA MATTHIÆ F. sed con-

jugio

jugio sterili : quem defectum ut monumento aliquo compensaret, sortem 500. thal. Imper. legavit, ut ex ejus annuo fœnore stipendium Academiae Sub-Bibliothecario numeretur. Per annos aliquot gravissimis morbis fuit expositus, quibus paulatim fractæ sunt corporis vires, & attenuatæ magis magisq; : sed sexto Junii, an. 1662. cum primis cœpit malè habere, cum vehementissimo paralytici & scorbutici catarrhi assultu usq; adeò corriperentur inferiores corporis partes, ut primo impetu universa membra omni penitus sensu privarint. Accessiti sunt Excellentissimi Viri Doct. Paulus Moth, Ser. Reg. Majestatis Medicus & Doct. Thomas Bartolinus in Regia hac Academia Professor Honorarius & Medicæ Facult. Decanus, qui, pro summa, qua pollent in re Medica, experientia, ut prostratis ægroti viribus succurrerent, & infesti morbi pertinaciam vincerent, nihil reliquere intentatum. Sed ea incrementa jamdudum ceperat morbus, ut frustra essent remedia. Quamobrem conversa ad animæ salutem omni cura, & vocato Reverendo Viro M. Severino Laurentio, serio de peccatis dolore, devotoq; Sacræ Cœnæ usu, ad pium ex hac vita discessum se præparavit, actisq; Deo Opt. Max. pro infinita sua misericordia gratiis, & uxorem solatus, ut pium decuit, cum morte luctatus, nono lethalis morbi die, sub octavam antemeridianam, anno ætatis 43. Christi 1662. die 15. Junii, exspiravit. Funus ab Academiae Rectore D. Petro Scavenio publico Programme indictum est. Corpus conditum est in Templi S. Trinitatis choro.

Scripta.

Disputatio de Præcipuis Latinæ Lingvæ Scriptoribus

A a a

ab

ab Excessu Augusti ad Excessum Trajani. Haun. 1646.
in 4.

Disputationum Variarum de Cæsarum Principatu, de
Julio Cæsare tres. Haun. 1648. 1649. 1654. in 4.

Quæstiones decem ad Disputandum propositæ. Haun.
1661. in 4.

Dissertatio de Sectæ Christianæ origine, prærogativis,
ejusq; interim æstimatione ingrata, & tristi quondam
in terris fato. Haun. 1661. in 4.

SEVERINUS PETRÆUS

Natus est an. 1607. die 23. Octob. Calingburgi Sædlandorum, honesto loco. Pater erat Petrus Jacobi, cujus nomen ob humanitatem & beneficentiam à multis laudatur. Mater Bothilda Christiani f. femina, quæ moribus & vita ad laudatam superiorum temporum simplicitatem accedebat. Prima mox cura fuit, ut Deo dicata proles, ea virtutum semina primis statim annis conciperet, quæ devotam consecratamq; animam possent Cœlo unicè asserere. Quem ipsorum conatum adjuvabat pueri indoles ab otio, lusu, rerumq; inanium amore penitus aversa. Etenim docile atq; ad quævis studiorum genera aptum nactus à Natura ingenium, nihil majore cum animi alacritate cupere videbatur, quam ut in studiis omne ætatis tempus collocaret. Quam discendi cupiditatem cum animadverterent Pædagogi, ad puerum publicè privateq; informandum, quasi certatim concurrerunt: rati, tantam sibi aliquando deberi ejus, ad quam adspirare videbatur, gloriæ partem: quantam ad tyrocinia rectè tradenda operam contulissent. Inde ductu M. Andreæ Johannis, qui post Ecclesiæ Hasingensis in Cimbria Pastor fuit, Scholasticorum studio-
rum

rum metas tanta cum industriæ laude est assequutus, ut 19. ætatis anno Civium Academicorum numero sit adscriptus. Hic apertum spatiosumq; campum cum videret natus publico bono adolescens, in quo explicare liberrimè ingenii vires posset, sibi ipse non defuit; sed ex privati Præceptoris, Viri cui magnam celebritatis suæ partem debet Regia hæc Universitas, D. Thomæ Finkii consilio, inter Divinarum Humanarumq; Scientiarum studia tam providè tempus divisit, ut quantum his impendebatur, tantum augmentum illæ sibi accedere sentirent. Huic industriæ dignum præmium conferebatur primus in Philosophia gradus, cum applausu summorum Virorum, qui præclaræ spei gratulabantur. Ea jam ediderat omnis virtutis atq; eruditionis specimina, ut dignissimus judicaretur à summi iudicii Viro D. Casparo Bartolino, quem studiis filiorum suorum posset cum laude præficere. Nec fefellit Celeberrimum Virum expectatio, cum ea esset Civis hic indole, ut à quibus cognoscebatur, non posset non penitus probari atq; laudari. Ut apud peregrinos se exerceret, iisq; in locis, quæ veræ Religionis studio maximè inclarescebant, studia persequeretur, habita instituti sui ratione, Lipsiensem Academiam adiit, ibiq; Lingvarum, Latinæ, Græcæ atq; Hebrææ studiis annum impendit. Cumq; nihil haberet ulla scientia tam difficile, abstrusum aut reconditum, quod ille assequi non valebat, Doctissimos Viros in variis studiis docentes summa cum diligentia audivit; in Theologicis Hopfnerum, Polyc. Lyserum, Langium: in Mathematicis Phil. Mullerum: in Philosophicis Hier. Rechleben, Reiherum: in Philologicis Corvinum, Graulium, Verbesium, Rhemium. Cum verò minus commodus studiis esset hic locus, quod hoc

ipſo tempore Urbs à Cæſareanis obſeſſa caperetur, & cruentum prælium inter utrumq; hoſtilem exercitum committeretur, Jenenſem Academiam ſibi ſedem elegit, in primis ut Celeberrimi Viri D. Johannis Gerhardi conſiliis uteretur. Qui, perſpecta juvenis indole, tum privatam ipſi operam addixit, tum liberam menſam, quod beneficium exteris concedi non ſolet, in Jenenſi communitate obtulit. Heic in Theologicis, præter Gerhardum, Himmelio, Majori: in Historicis Ortolpho Fomanno: in Mathematicis Henr. Hofmanno: in Philoſophicis Stahljo, Prætorio, Horſtio: in Philologicis Glaſſio, Slevogtio, Dilhero, aſſiduam operam dedit, & tres diſſertationes conſcripſit, quarum unam Philologicam ſub Slevogtio: reliqvas Theologicas Præſide Gerhardo publicè defendit. Hinc paucorum dierum itinere Erfurtum contendit, ut auguſtis ritibus intereſſet, quibus Sveciæ Rex Academiam denuo inſtitui, & primarium oppidi Templum, Pontificiis ablatum, ſacris Auguſtanæ Confeſſionis exercitiis dicari curabat. Tranſacto Jenæ ferè ſeſquianno, honorificè de vita honeſtè decenterq; acta teſtimonio à D. Gerhardo donatus, Vi-tebergam venit, atq; ſemeſtri ſpatio, in Theologicis, D. Jacobum Martini, Roberum, Vilh. Lyſerum, Hulſemannum: in Philoſophicis Sennertum, Rhodium, Scharſium, Sperlingium, Zapſium & in Philologicis Er. Schmidium, Buchnerum, Troſtium, ſummos in omni ſtudiorum genere Viros audivit: donec à ſummo Theologo D. Johanne Pauli Reſenio, Sædlandicæ Diœceſis Epifcopo Religioſiſſimo, qui ſtudia ipſius crebro ſuppeditata pecunia fovebat, juberetur quam primum ſe in Patriam conferre. Altero poſt reditum die examini Candidatorum Magiſterii ſe ſubjecit, & poſt edita pri-
vatim:

vatum publiceq; præclaræ eruditionis specimina, Philo-
 sophiæ Magister an. 1633. d. 28. Maji, à Decano M. Jo-
 hanne Joh. Resenio est proclamatus. Inde Præpositi
 in Regia Communitate munus gessit ferè biennio. Hinc
 ad Scholæ Hauniensis Con-Rectoratū vocatus, exactoq;
 triennio ob præstitam industriã Scholæ Rector an. 1638.
 constitutus. Cui provinciæ quanta cum laude præfue-
 rit, testantur juvenes, qui ex ipsius disciplina prodire
 humaniorum literarum notitia instructi, 285. qui postea
 suis quicq; locis, partim Scholis, partim Ecclesiæ & Aca-
 demiaæ utilem & salutarem operam impenderunt. In-
 terea uxorem duxit Virginem honestissimam, iisq; vir-
 tutibus, quæ in femineo sexu laudari præcipuè debent,
 ornatissimam **CHRISTINAM CASPARI BUK-**
MAND, Civis Hauniensis filiam: ex qua filiorum qua-
 tuor, uniusq; filia factus est pater. An. 1646. April. d.
 18. ad Ethicam in Regia hac Universitate docendam
 est vocatus: præmissaq;, recepto more, Disputatione
 publica d. 12. Septemb. Professorium dixit Sacramen-
 tum. Quod munus tanta cum fide atq; industria ad-
 ministravit, ut omnes officii partes abundè sit exsequu-
 tus. Summam semper cum æqualibus comitatem, cum
 inferioribus mansuetudinem exercuit. Abstinencia ne-
 minicessit. Nullum unquam elati animi signum præ se
 tulit. Viduis, Orphanis atq; afflictis consilia promptis-
 simo animo suppeditabat. In rebus dubiis & perple-
 xis ingenio erat peracuto, judicio solerti. Quin imo ad
 difficilima quæq;, suscipienda paratissimus, & ad eadem
 expedienda tam aptus, ut quicquid ageret, ad id
 unum quasi natus videretur. Qua erat singulari pieta-
 te, in quotidianis precibus Deo Opt. Max. ut de omni-
 bus beneficiis, ita præcipuè de tribus humilimas gratias
 agere:

agere solebat : quod integris membris ac optimo ingenio : quod inter Christianos : quod honestis & Christianis Parentibus de ipsius educatione sollicitis, natus esset. Verum , cum maximè videbatur omnium votis expectendus, quam citissime est auditus vivendi finem fecisse, atq; morte adeo accelerata est è vivis sublatus , ut prius obierit, quam lethali morbo laborare censeretur. Postquam 16. die Novemb. medicamentum aliquod assumsisset , sequenti die est colica passione infestatus : quæ tanta ipsum vi adorsa est, ut omnes corporis vires subito prostraverit. Quocirca arcessi mox curavit Experientissimos in Arte Medica Viros, D. Thomam Bartolinum, Medicæ Facult. in Regia hac Universitate P. P. ac Decanum, & D. Ahasverum Payngk, Practicum Versatissimum : qui præscriptis idoneis remediis tantum effecerunt, ut de sanitate restituenda nullum amplius superesset dubium, nemoq; amicorum adveniret, quin de superata ægritudine ipsi gratularetur. Nihilominus ipse, quod morbo parum fideret, ad excipiendam mortem se præparans, amicis conjugem liberosq; commendabat. Verum tertio die, quasi simulata fuga ludos fecisset morbus, ex intestinis, tanquam ex insidiis, insperato assultu erumpens, auctis viribus tam vehementer irruit, ut non nisi cum vitæ exitu finem minaretur. Præviderat dolos, secretiore forte inspiratione , sanctissimus æger, atq; quasi mortem singulis momentis expectaret, averso à mundanarum rerum cura animo , crebra suspiria piâsq; voces emittebat. Nocte, quæ ultima ipsi fuit, à Religiosissimo Viro, M. Erico Olai Tormio, post impetratâ peccatorum remissionem, salutari Sacramento refectus, mortē sensim advenientem desiderabundus excipiebat. Interea memor Hauniensis Scholæ, unde simul, & rē, &

gloriã tulerat, trecentos eidẽ Imperiales legavit. Ita inter pia atq; sancta desideria, d. 25. Novemb. an. 1657. animam Servatori tradidit, quæ jam annis 50. mense 1. & diebus 2. in terrestri domicilio erat peregrinata. Funus publico programme indictum est à Rectore Academiae D. Christiano Ostenfeld. Sepultus est extra Australe Chori latus, ubi monumentum in pariete ei & Uxori positum est cum hac inscriptione:

Iniqua plerumq; hominum judicia: Qui DEO placet, sat habet, si vel toti mundo displiceat.

SEVERINO PETRÆO CALINBURGIO,
 Regio in Academia Hauniensi Professore annos fere 12.
 Nato anno 1607. die 23. Octobris: Mortuo an. 1657,
 die 25. Novembris. Et **CHRISTINÆ BUK-**
MANNÆ Caspari fil. Natæ anno 1614. die 27.
 Januarii: Mortuæ anno 1659. die 20. Maji, Paren-
 tibus benè meritis posuerunt liberi Superstites **CASP-**
RUS. PETRUS. BODILLA.

Scripta.

Disputatio Philologica. Jenæ.

Disputationes Theologicæ duæ. Jenæ.

Disquisitio Ethica de Fundamento Philosophiæ Mora-
 lis. Haun. 1646. in 4.

Exercitationes Ethicæ novem. Haun. in 4. 1648. 1649.
 1660. 1651. 1652. 1653. 1655. 1656.

Grammatica Hebræa. Haun. 1642. in 8.

Grammaticæ Græcæ idea Synoptica. Haun. 1642. in 8.

THO.

THOMAS BARTHOLINUS

Natus Hafniæ XX. Octobr. c10 Ico xvi. Patre D. Casparo Bartholino, Matre Anna Finckia: Privatis in familia Fuieniana usus præceptoribus, ad Academiam patriam cœpta literarum scientiarumq; studia transtulit, ubi triennium inter sacra Philologiæ, Philosophiæ, Theologiæ transegit, jactisq; medicinæ fundamentis Lugdunum in Batavis, cum fratre Bartolo Bartholino 1637. concedens, auspiciis Medicorû Magnorum, Vorstii, Walæi, Falcoburgi, medicam artem & Anatomicam, triennij spatio, & Philologiam, ducibus Salmasio, Heinsio, Vossio, Golio, Boxhornio, excoluit pro virili, subinde ad linguam Arabicam & Juris prudentiæ initia deflectens. Seposito tamen vario studiorum genere, cui brevis ætas non sufficit, faventio rem valetudini Galliam petiit, ibiq; biennio apud principes ævi Medicos, in primis Parisiis & Monspeli consumpto, Italiam cum fratre Casparo Bartholino cogitavit. Patavij Anatomicæ, Botanicæ & Practicæ medicinæ tres annos apud Sylvaticum, Salam & Vellingium impendit. Interea Consilarii primum Inclytæ Nationis Germanicæ, mox Prorektoratus munere in Gymnasio Patavino functus est, & Venetijs à Principe Academia Illustri Jo. Fr. Lauretano, Academicorum Venetorum numero adscriptus. Visis reliquis Italiæ urbibus, in primis Romanâ urbe, ubi amicitiam meruit Equitis Puteani, Holstenij, Servij &c. Neapoli substitit per semestre apud Marc. Aurel. Severinum, & Marium Schipanum, magni nominis Medicos. Hinc in Siciliam trajiciens, ubi P. Castello familiaris, ad lautam Cathedram à Republica Messanensium invitabatur, visisq; Æthna & Syracusanorum reliquiis, Melitam Insulam,

lam, S. Pauli naufragio nobilem, accessit. Resalutato deinde Patavio Helvetiam peragravit, & Basileæ Rauracorum supremam in Medicina lauream cum Conso-brino Henrico Fuiren Prid. Id. Octobr. 1645. diribitore Jo. Casp. Bauhino impetravit, in Facultatem Medicorum ibidem adscitus. Deinde per Galliam, Belgium & Germaniam A. C. 1646. in patriam reversus, sequenti anno post excessum Christiani Longomontani, inter Professores Regios locum invenit, moxq; ad aulam evocato D. Simone Pauli, Anatomicam Professionem addi sibi passus est, quam decem & trium annorum decursu solennibus in Theatro Anatomico sectionibus & demonstrationibus, quibus Ser. Reg. Majestas non semel interesse dignata est, & privatis exercitiis in usum Medicorum undiq; confluentium, ea felicitate, quamquam magno valetudinis dispendio, ornavit, ut detecta illi primo fuerint varia Anatomicis ante non visa, inprimis Lacteus Thoracis ductus in homine, & Vasa Lymphatica, quæ ipsi & nomen debent, & publicam famam. De hoc invento Clarissimus Collega D. Ostenfeld, hoc monumentum erexit.

Principi. ac. Instauratori. suo. inclyto.

Gentis. Danorum. gloriæ.

Orbis. ac. literarum. decori.

Magnoq; Medicinæ incremento.

THOMÆ BARTHOLINO.

Quod. infelicibus. tot. seculorum.

Ac. doctarum. mentium. erroribus.

ostensis. expurgatis. profligatis.

Victaq; invidi. malitia. seculi.

Imperante. Regum. Optimo.

FRIDERICÒ. TERTIO.

Bbb

An

Anno. seculi. decimi. septimi. LII.

VASA. LYMPHATICA.

Perennes. illos. Lymphæ. vitalis. latices.

Seculisq; omnibus. ignota. ac. invisæ.

Limpidissimi. roris. fluenta. & alveos.

Qua. per. partes. humani. corporis. universas.

Sinusq; ac. recessus. intimos. decurrit.

Cælo. congener. verumq; ac. familiare.

Nectar. ingenuum. corporis. nutrimentum.

Alimenti. pars. cælestissima.

Et. quintum. quasi. elementum.

Primus. invenerit. ostenderit.

Clarissimi. gloriam. inventi.

Lauros.

Adoreas.

Aras.

Æternitatem.

L. M. Q. decernit. offert.!

Anatomia.

Per.

CHRISTIANUM. OSTENFELD.

Med. D. & P. P.

In. Reg. Acad. Hafniensi.

A. C. 1649. uxorem duxit, lectissimam Virginem, ELISAM, Christophori Johannis Consulis Hafniensis filiam unicam, ex qua, optatissimo in hunc diem conjugio, tres suscepit filios, Casparum, Christophorum, Thomam, & quatuor filias. A. C. 1654. in defuncti D. Olai Wormii Academiæ Rectoris & Medicinæ Professoris locum successit, quumq; an. 1656. Avus illius maternus D. Thomas Finkius senex mortalitatem explevisset, Facultatis Medicæ Senior fuit & Decanus. Variis interea
 {labo

laboribus publicis fractus, libris edendis fessus, & commercio literario cum præcipuis eruditi orbis Medicis fatigatus, indulgentia Serenissimi Regis vacationem onerum Academicorum A. C. 1661. impetravit, deq; Honorarii Professoris titulo sibi gratulatus, empto prædio nobili Hagested, otium sapientis, quod reliquum est vitæ, optat speratq;. Ad vitæ perituræ finem inter hæc peritura prospiciens, sepulturæ locum in Templo B. Virginis, in vicinia conjunctissimi Collegæ & Affinis D. Erasmi Pauli Vindingii, elegit, hocq; sibi monumentum vivus posuit:

THOMAS BARTHOLINUS

Professor Medicinæ Honorarius

Spe futuræ quietis quam vivus animo possedit & corpori optavit, ut posteritati suæ interesset superstes sibi suisq; M. H. F. 1663.

Opera edita.

Anatomia Casp. Bartholini Parentis Novis observationibus & figuris locupletata. Lugd. Batav. 1641. in 8.

Anatomia secundum Locupletata. Lugd. Bat. 1645. in 8. Gallicam versionem Abrahamus Prææus Parisiis divulgavit 1646. in 4.

Anatomia tertium ad sanguinis Circulationem Reformatam, cum novis iconibus. Lugd. Bat. 1651. in 8. Hagæ Comit. 1655. 1660. in 8. In Belgicam linguam transtulit Thomas Staffart Lugd. Bat. 1653. in 8. Hagæ Comit. 1658. in 8.

Anatomica Aneurysmatis dissecti Historia. Panormi 1644. Lugd. Gallor. 1648. in 8.

De Unicornu Observationes Novæ. Patavii 1645. in 8.

- De Monstris in Natura & Medicina.** Basil. 1645. in 4.
- De Angina Puerorum Campaniæ Siciliaeque; Epidemicae Exercitationes.** Paris. 1646. Neapoli 1653. in 8.
- De Latere Christi aperto Dissertatio cum Epistolis Cl. Salmasii.** Lugd. Bat. 1646. in 8.
- Antiquitatum veteris Puerperii Synopsis, operi magno ad Eruditos præmissa.** Hafn. 1646. in 8.
- De Luce Animalium Libri III.** Lugd. Bat. 1647. in 8.
- De Armillis Veterum, præsertim Danorum, Schedion.** Hafn. 1648. in 8.
- Anatomicæ Vindiciæ Casp. Hofmanno, aliisque oppositæ.** Hafn. 1648. in 4.
- Animadversiones in Anatomica Hofmanni.** Ibid.
- De Variis Reipublicæ Christianæ morbis, & placidis illorum Remediis.** Hafn. 1649. in 4.
- Collegium Anatomicum Disputationibus XVIII. adornatum.** Hafn. 1651. in 4.
- De Cruce Christi Hypomnemata IV.** Hafn. 1651. in 8.
- De Lacteis Thoracicis in Homine Brutisque; observatis Historia Anatomica.** Hafn. 1652. in 4. Londin. 1652. in 12. Paris. 1653. in 8. Genev. 1654. in 8. Lugd. Bat. 1654. in 12. Ultraject. 1654. in 12. Heidelbergæ 1659. in 8.
- De Lacteis Thoracicis dubia Anatomica.** Hafn. 1653. in 4. Parisiis, Leidæ, Heidelb. &c.
- Vasa Lymphatica in Animalibus inventa, & Hepatis Exsequiæ.** Hafn. 1653. in 4. Paris. Leid. Heidelb. &c.
- Vasa Lymphatica in Homine inventa.** Hafn. 1654. in 4.
- Defensio Vasorum Lacteorum & Lymphaticorum adv. Jo Riolanum.** Hafn. 1655. in 4.
- Examen Lactearum contra Riola, & Harvejum.** Hafn. 1655. Francof. 1656. in 4.

- Spicilegia duo ex Vasis Lymphaticis. Hafn. 1660. in 4.
Amstelod. 1661. in 12.
- Paralytici N. T. Medico & Philologico Commentario
illustrati. Hafn. 1653. in 4. Basileæ 1662. in 8.
- Oratio in obitum Olai Wormii. Hafn. 1655. in 4.
- Dispensatorium Hafniense. Hafn. 1658. in 4.
- Oratio in Obitum Henrici Fuiren. Hafn. 1659. in 4.
- Historiarum Anatomicarum Rariorum Centuria I. &
II. Hafn. 1654. in 8. Hagæ Com. Roterodami, Am-
stelodami in 8. Germanicè edita à G. Sehero Francof.
1657. in 8. Belgicè Amstelodami 1657. in 8.
- Historiarum Anatomicarum Rariorum Centuria III. &
IV. Hafn. 1657. in 8. &c.
- Historiarum Anatomicarum & Medicarum Rar. Cent.
V. & VI. Hafn. 1660. in 8.
- Observationes Anatomicæ P. Pawi selectæ posthumæ.
Hafn. 1656. in 8.
- Panegyricus Augustissimo Regi Daniæ Friderico III.
primo Regnorum hæredi. publicè Acad. nomine di-
ctus. Hafn. 1660. fol.
- De Nivis Ufu Medico Observationes Novæ. Hafn.
1660. in 8.
- Epigrammatum variis in locis editorum, Volumen.
- Disputationes variæ Medicæ. Hafn. in 4.
- Cista Medica Hafniensis, variis Consultationibus, Ca-
sibus, Vitisq; Medicorum Hafniensium repleta. Haf.
1661. in 8.
- Responsio ad Novas Observationes Bilsianas. Hafn.
1661. in 8. Amstelod. 1661. in 12. Belgicè in 8. Ibid.
- De Hepate defuncto Dissertatio Hafn. 1661. in 8.
- Cornari Vita sobria ad usum vulgarem accommodata.
Hafn. 1657. in 12.



Domus Anatomicæ Hafniensis descriptio. Hafn. 1662.
in 8.

De Pulmonum Substantia & Motu diatribe. Hafn. 1663.
in 8.

Epistolarum Medicinaliũ Centuria I. & II. Hafn. 1663.
in 8.

De Insolitis Partus Humani Viis, Dissertatio Nova.
Hafn. 1664. in 8.

Observationes Jo. Vesslingi & Epist. Anat. posthumæ.
Hafn. 1664. in 8.

Observationes Medicæ Variorum. Hafn. 1665. in 8.

De Danorum Medicina, Inventis, Erroribus &c. Dissertationes Academicæ. Hafn. 1665. in 8.

De Cometa nupero Consilium Medicum. Hafn. 1665.
in 8.

De his Balthasar Bonifacius Episcopus Tarvisinus
lib. VII. Musar. n. 150. ita lufit:

Hujus scripta Viri quicumq; recenset, & annos,
Tot poterit libros, quot numerare dies.

ERASMUS PAULI F. VINDINGIUS

Natus est Vindingæ, Fori Flackebiergensis in Sædlandia, an 1615. d. 19. Martii, hora 8. post mediam noctem, Patre, non obscuri in Patria nominis, Mag. Paulo Jani f. Koldingio, tum Ecclesiæ illius Pastore, & vicinarum Præposito, postea Scholæ Herlufholmianæ Præside, ejusq; Ecclesiæ Pastore: Matre Johanna Petræa Malmogiensi. An. 1620. d. 20. Mart. traditus est Præceptor in paternis ædibus paivata institutione, pietatis atq; bonarum artium præceptis imbuendus; sed exacto biennio cum Parentibus migravit Herlufholmiam, &

in publicam ibi disciplinam septuennis receptus , an. 1622. d. 7. Maji, Rectore Scholæ Mag. Johanne Joh. Resenio, sub eo, & Successoribus, Mag. Nicolao Pauli Scandorfio, Mag. Christophoro Christiani Holbecensi, Mag. Vikmanno Hasebardo, Mag. Laurentio Petri Skelskorenfi, & Mag. Bartolo Georgii Gersonio, integros decem annos transegit : usq; ad an. 1632. quo ad diem 11. Julii, Civitatem Academicam impetravit, Rectore Academiae D. Nicolao Petræo Aurilæno, & Decano Facultatis Philosophicæ, Mag. Johanne Johannis Resenio: quem & Hospitem, & Præceptorem privatum in Academia habuit. An. 1634. d. 21. Maji, primum in Philosophia gradum à Decano Facultatis Mag. Thoma Bangio, Rectore Academiae D. Thoma Finkio, consequutus: sequente anno, d. 9. April. Slangendorfium ab Episcopo D. Joh. Paul. Resenio missus est, ut vicem Rectoris in Schola Oppidana docendo ad tempus fungeretur. Ejusdem anni die 20. Junii, Testimonio progressus in Sacrarum literarum studiis ornatus, & die 29. Julii, ex voluntate Episcopi Resenii, adscitus in Collegium Præceptorum Scholæ Hauniensis, in ea triennium penè docuit. Sed cum parum e re sua atq; usu esse animadverteret, ætatem suam aliis erudiendis, sui cultus damno, impendi, isto munere an. 1638. d. 28. April. se abdicavit : ac mox Lugdunum Batavorum, & deinde Lutetiam Parisiorum concessit. & hic quidem ut diutius moraretur, effecit & instituti ratio, & Celeberrimorum Virorū, Gabrielis Sionitæ ac Dionysii Petavii familiaritas, & selecta Historicorum Optimorumq; utriusq; Lingvæ Auctorum Bibliotheca Doctissimi & Integerrimi juvenis Parisiensis, cui magno usu & consuetudine conjunctus erat. Cum autem postea in Andegavos se con-

tulisset, Flexiæq; ab Episcopo D. Casp. Brokmanno literas accepisset, quibus in Patriam revocabatur, post peragrata bonam Galliæ partem, per Hollandiam, Frisiam & Inferiorem Saxoniam, ad suos media æstate an. 1640. rediit: jam designatus Regiæ Scholæ Sorensis Rector. Sed cum ex Regia Constitutione istius Scholæ Rectoratus, non nisi Magistro Philosophiæ committi posset, quam lauream nondum acceperat, (collatam primùm anno sequente, d. 1. Junii, à Decano M. Iohanne Svaningio, Rectore M. Christiano Longomontano,) Candidatus ejus scripto d. 16. Septembr. pronunciatus est, ejusdem Decani Collegarumq; judicio. Susceptum autem Rectoratum d. 2. Octobr. an. 1640. annos quinque cum semestri gessit, uberi felicitum utriusq; Ordinis ingeniorum proventu lætum. Abiit illo an. 1646. d. 16. April. vixitq; inde privatim in ædibus Affinis sui Mag. Iohannis Barskeri tum Pastoris Ecclesiæ Herlufsiholmianæ: & aliquot menses transegit apud Nobilem Dominam Birgittam Tot, literarum studiis celebrem. In hujus familia degenti, literæ à Rectore & Professoribus hujus Academiæ, an. 1648. d. 1. Febr. redduntur, quibus, ita jubente Dn. CHRISTIANO THOMÆO Regio Cancellario & Academiæ Conservatore, Regiæ voluntatis Interprete, ad Professionem Lingvæ Græcæ, post obitum Mag. Iohannis Christophori f. vocatur: quam magis ex amicorum voluntate, quam suo arbitratu suscepit: nam λαθεῖν βιώσας decreverat. Disputavit pro Cathedra d. 11. Martii: Sacramentum dixit d. 13. ejusdem mensis: & initium Lectionum Publicarum fecit, Oratione habita die 3. Junii, qui D. Erasmo sacer est. Sustinuitq; eam Professionem annos 13. usq; ad an. 1661. quo post obitum M. Petri Spormanni, eam cum Historia-

riarum & Geographiæ Professione, consensu Dn. PE-
 TRI REETZ Cancellarii Regii & Academiæ Con-
 servatoris, ac Senatus Academici, commutavit. Deca-
 natum Facultatis Philosophicæ gessit ab an. 1658. d. 14.
 Junii, usq; ad an. 1660. d. 23. Martii: constitueratq;
 decreto Senatus Academici utramq; Lauream Philoso-
 phicam Candidatis sua nomina professoris conferre, &
 securus pacis, sed heu! infidæ, d. 16. Jun. an. 1658. pro-
 gramma affixerat, quo primæ Laureæ Candidati ad eos
 honores vocabantur: cum repente repetitum à Vicina
 Gente bellum, & obsessa urbs, non tantùm hoc ejus in-
 stitutum irritum fecit, sed & omnibus Academicis exer-
 citationibus triste justitium indixit. Iterum Decanus
 fuit an. 1662. menses quinque. Quo anno, cunctis Pro-
 fessorum suffragiis Rector Academiæ nominatus, certas
 ob causas hoc Academici Magistratus munus depreca-
 tus est. An. 1658. Procuracionem Templi S. Trinita-
 tis, primus post concessum Academiæ à Regia Majesta-
 te illius jus Patronatus: & an. 1660. simul Templi D.
 Virginis, suscepit. An. 1649. d. 15. Febr. despondit
 sibi Virginem lectissimam MARGARITAM FIN-
 KIAM, Mag. Jacobi Finkii, Professoris Regii filiam,
 D. Thomæ Finkii neptem, duxitq; eam uxorem die 15.
 Julii. Quam, nato sibi filio, in beatorum animorum
 cœtum profectam an. 1650. d. 15. August. simulq; in-
 fantem brevi matrem seqvutum, luxit viduus & prole
 orbus, ultra biennium & semestre. An. 1653. despon-
 sam sibi die 9. Martii, INGEBURGAM, D. Jacobi
 Matthiæ, Episcopi Arhusiensis filiã Virginem, D. Tho-
 mæ Finkii ex filia, & nepte, D. Casp. Bartolini filia, pro-
 neptem, indulgentia Serenissimi Regis FREDERICI
 III. (nam patriis legibus conjugium eo propinqvitatatis

gradu conjunctis interdicebatur,) uxorem duxit Arhufi die 17. April. Fœcundum fuit hoc conjugium trium filiorum, totidemq; filiarum prole: ex quibus filius & filia ad cœleste gaudium præmissi sunt, corporibus sepulcro conditis, quod in Sacello D. Rochi, Templi D. Virginis sibi & suis paravit, incisus his Jambis, cum nomine suo, lapidi, quem muro inferi fecit:

*ERASMUS PAULI F. VINDINGIUS, Professor
Regius, hujus Ædis Procurator*

*Vivus paravit hunc sibi locum quietis mortuo,
Id unicum superstites rogans laborum præmium:
Ut abstinere à mortuo vivi velint injuriam,
Quam vivus ille nemini sciens volensq; fecerit.*

Anno 1661.

Inter hanc & D. Thomæ Bartolini inscriptionem, arcui, qui summum utriusq; sepulcri murum jungit, inscribendum Elegiacum:

*Quos amor in terris sincero fœdere junxit,
Mors ubi disjunget, juncta sepulcra tegent.
Sic humus hæc uno disjunctos pariete condet,
Donec in ætheria junxerit arce Deus.
Turbari interea prohibebunt ossa Patroni
Ædis: & his jus est hoc prohibere nefas.*

Scripta.

Oratio in obitum Christiani Casp. f. Brokmanni. Paris.
1638. in fol.

Oratio de Regno Hæreditario & Electivo. Flexiæ Andegav. 1640. in 4.

Ἀμφιβητησίμων πινῶν Ἑλληνικῶν διάσκεψις φιλολογική.

Haun. 1648. in 4.

Commentarius in Euripidis Hecubam, per partes in Academia Hauniensi ad publicam disquisitionem pro-
profusus. Haun. 1656. in 4.

Commentarius in Euripidis Medæ v. 340. primos.
Haun. 1657. in 4.

Dissertatio de Lingvæ Græcæ & Ægyptiacæ affinitate.
Haun. 1660. in 4.

Dissertatio de Literarum Græcarum origine. Hauniæ
1661. in 4.

Marciani Heraclæotæ *ᾠδῆς* cum Interpretatione la-
tina ad verbum & Notis. Haun. 1662. in 8.

Imaginis Nebucadnesaro visæ Interpretatio Danielis ad
Historiam expensâ. Haun. 1663. in 4.

Regia Academia Hauniensis in Regibus, Conservato-
ribus, Rectoribus, Professoribus suis repræsentata.
Haun. 1665. in 4.

Hellen, in quo Singulorum Antiquæ Græciæ Populo-
rum incunabula, migrationes, coloniarum deductio-
nes, & res præcipuæ gestæ, urbiumq; & Regnorum
origines, mutationes, interitus, & Principum in iis
successiones, è Græcis præcipuè Scriptoribus, Histo-
ricis, Poëtis, Geographis, Oratoribus & Grammati-
cis exponuntur, Typographum desiderat.

JOHANNES MULLERUS Rostochiensis

Positis in Schola Triviali patria, Rectore Dn M. Hen-
rico Vulpio, tum in Gymnasio Hallensi, bonarum litera-
rum fundamentis, vicinisq; Archi-Episcopatus Magde-

burgico Academiis, Lipsiensi & Vitebergensi. visis, Juris studio, primum in Gryphisvaldensi, post in patria Rostochiensi, operam sedulò navavit: & hic quidem, præter privata exercitia, Disputationes publicè duas exhibuit. Atq; his rectè peractis, peregrinationem iniit cum Patriciis Lubecensibus primariis, Dn. Paulo, nunc J. U. Doctore, & Dn. Henrico Vedenhofis: horum enim studiis à Patre & Patruo Consule præfectus erat. Ex peregrinatione verò, & lustratis per hanc celebrioribus Belgii, Angliæ, Galliæ locis, præcipuè Academiis, ibiq; quæsitæ multarum rerum notatu digniorum, cum primis etiam Lingvarum, Gallicæ, Italicæ, ut & quodammodo Hispanicæ notitia, in Patriam feliciter redux factus, Nobili Pomerano, Dn. Johanni von Zastroven, tunc Referendario in Aula Sedinensi, post Consiliario Serenissimi Dn. Electoris Brandenburgici, Juridicū studium in Universitate Rostochiensi recolenti, operam suam addixit. Cumq; innotuisset Viro Amplissimo & Consultis. Dn. Christophoro von der Lippen / Cancellario & Consiliario Regio, ejus svasu agendis in Holsatia causis Advocatus præfuit: Inde verò ab Illustrissimo & Celsis. Principe ac Domino Dn. JOHANNES CHRISTIANO Duce Slesvigæ & Holsatiæ, prævia vocatione ad consilia adhibitus, fidem ac industriam, prout Consiliarium decet, Principi suo approbavit: Et in hunc usq; diem ab anno 1645 eundem honoris gradum obtinet, ut apud Principes Familiæ Synderburgicæ Consiliarii fungatur munere. Et anno quidem 1649. juxta cum Nobili Viro Dn. Christophoro von Offenbergh, Præfecto Aulae Norburgensis, tum dicti Principis ac Domini sui, tum ejus Celsitudinis Dnn. Patruorum ac Fratrum, Slesvigæ & Holsatiæ Ducum, nomine ad Serenissimum

simum

sumum ac Potentissimum Principem ac Dominum Dn. **FREDERICUM III.** Daniæ & Norvegiæ Regem, missus, Hauniæ in solenni Procerum conventu à Regia Majestate & Regno Daniæ Investituram Feudi Slesvicensis, eo quo par erat modo, Legatus petiit & impetravit. Iterumq; an. 1663. in Auctumno huc missus, pro Illustrissimo Principe **CRISTIANO ADOLPHO** feudum ab Augustissimo Rege Legatus obtinuit. Expedita vero priore Legatione, an. 1649. vocatus est voluntate Serenissimi Regis in locum Dn. D. Claudii Plumii pie defuncti, publicus Juris Professor in Regia hac Academia. Disputavit, more majorum, pro Cathedra, an. 1650. die 10. April. Et sacramentum Professorium sequente 13. in Consistorio dixit: & paulo post initium lectionum publicarum fecit, oratione introductoria, ut mos est, prius habita. Cum autem jam ante Rostochii, an. 1649. d. 1. Novemb. pro Gradu Doctoratus disputasset, Titulum & Insignia Doctoralia in Jure Utroq; in eadem Academia an. 1650. d. 27. August. primo loco inter septem Candidatos accepit. Eosdem honores ipse an. 1657. Petro Scavenio Juris in hac Academia Professori Regio contulit. An. 1651. summum hujus Academiae Magistratum magna prudentiæ comitatisq; laude gessit. Iterum an. 1661. Sed secundi hujus Rectoratus Mense secundo, expetitus à Civitate Flensburgensi per Delegatos, Senatorii Ordinis duos, & Civium Seniorum unum, Consul Urbis, impetrata à Serenissimo Rege ab Academia dimissione, Civitatis votis annuit, & die 18. Octob. Consulatum suscepit: postquam in hac Academia annos 11. docendo disputandoq; & cætera Academica munia obeundo singulari fide & industria officium fecisset, Magistratui & Collegis suis

carissimus. Ex uxore **AGNETA von der LIPPEN** Christophori & plures liberos sustulit, è quibus primogenitus filius Johannes die 3. Maj. an. 1658. civitatem Academicam apud nos consequutus est.

Scripta.

Disputatio de Injuriis. Rostoch.

Disputatio de Emptione & Venditione. Rostoch.

Disputatio Inauguralis. Rostoch. 1649.

Disputatio de Actionibus rerum in Navem vel diversorium receptarum nomine competentibus. Haun. 1650. in 4.

Disputationes 6. Feudales. Haun. in 4.

VITUS BERINGIUS

Patriam Viburgum habuit, clarum in Cimbris oppidum, ortus Consulari Patre, haud obscuri inter suos nominis, cujus curâ traditus puer in Scholam, & ad capeffendum ingenii cultum permissus Præceptoribus, spatia in literis, qvalia rudior fert ætas, & prima studiorum curricula confecit. Anno ætatis octavo & decimo (qui à Christo nato 1635. erat) Hafniam nactus disciplinarum Magistrum, dedit Academiæ Civem; in qua ut auspiciatissimè ingrederetur studia, ire primum cœpit per fidei Christianæ capita, & divini juris audire interpretes; mox circumferre per eas artes animum, quæ liberale nactæ nomen, haud illiberalius fere ingenium requirunt. In hoc stadio agnitus est à Tychone Brahæo, & moderator ascitus filiolo, quem intra Brochmannianas ædes, ingens illud pietatis & Musarum sacrarium, cum plerisq; magnarum domuum pignoribus, tum forte degentem, literarum primordia edoceret. Felicissime id
qui.

quidem, ut spargere studiorum & capere simul fructus posset, & dum experiretur in alterius informatione ingeniosi vires, effingere vicissim ac expolire suas. Ab hac Schola digressus ad externos, anni 1639, adulto jam vere, tenuit Belgium, ubi Cadzium, Heinsios, Barlæum natus, impetum cepit condendi Epigrammatis. Crederes in Parnassum aliquem aut Heliconam delatum, tanto coepit impetu ingenii, aut, si quis est, literati furoris impulsu, modulari carmen, & aptare ad numeros sermonem; leges sequutus, unas illas in libera Republica non liberar, quas sibi in hoc studiorum campo, magni illi literarum Antistites præfigebant. Sed & hoc forte liberius aliquanto, quam usus ferret patriæ, cui parare Civem, non Vatem debebat. Quocirca omissis studiorum deliciis, extulit ad severiora animum: & ducibus coepit, hinc Vossio, inde Boxhornio, raptare ingenium per veterum historias, aliquando etiam ad cultum deflectere Orationis. Hæc agentem Bartholini fratres abstraxere in Galliam, eodem parantes abitionem. Nec noluit sequi jubentes, non tam viæ duces, quam studiorum moderatores. Ac inter hos egit ætatem in beato Gallia & Naturæ amœniori secessu; ob repentini carminis gratiam mirificè conciliatus Grotio, donec ab Heröe Tottio revocaretur in patriam, ad regendam filii ætatem & capesendam ad externos peregrinationem. Venit, suscepit nobilem Ephebum, & post brevem Soræ secessum, rediit in Belgium, resalutatis disciplinarum ductoribus, & repetito usu studiorum, ac pristinae felicitatis. Inde rursus in Galliam, eâque, in sefsâ biennii, & quod excurrit, spatio, per mare Ligusticum in Italiam trajecit. Sesquiannum dedit Romæ, nec nihil Hetruriæ urbibus, necessarium spatium Nobilis alumni usibus, assuescentis disciplinæ

plinæ armorum, & inter utriusq; palæstræ meditationes, firmantis ingenii & membrorum vires : quo temporis flexu ob magnitudinem ingenii Kirckerum coluit, & Stradam consuluit in studiis, alterum Judicem & Mystam Naturæ; Oratorem alterum, & fati Belgici Præconem. Post hos dicere de Puteano Equite serum forsitan fuerit, qui ad Danum omne nomen porrecta benignitate, non plures vidit ex gente nostra, quam devinxit meritis, non Equitis jam, non hominis nomen, sed humanitatis. Supra Romam Campania erat, & quicquid in Bajis Puteolanisq; recessibus prodigiosum aperit aut condit Natura, quibus cum pleræq; Italiæ ambitu obitis coràm aut lustratis, fixit Patavii sedem, substititq; per annum, Ferrarii in literis magisterio & informatione usus. Rhodium convenit gentilitatis jure, & in peregrino solo sonantes patriæ Musas, publico carmine celebravit. Digressus est ab Italia per Insubres, & transcursis Alpibus in Helvetiorum descendit pagos; inde Argentinam deflexit, & Boeclero dedit operam, acerrimo studiorum Concitatori. Obivit pleramq; Germaniam, ardentem licet in sinu, & omnia attonantem bello : Suspexit in itinere Imperii caput, & Austriacæ domus ad summū rerū apicem provectam fortunam publica prosequutus est scriptione, quæ passim per orbem benignos repperit Interpretes, & ex aula Cæsarea novæ dignitatis prolicuit splendorem, haud inglorium Scriptori, ni domesticæ fortunæ memor, Augustæ Clementiæ agnoscere maluisset pignus, quam circumdare sibi, & ex aliena benignitate nil propriæ indulgere ambitioni. In Gallias digressus est tertia jam vice, capessito per Lotharingos itinere, inde per Artesios & Flandros in Patriam, jussus superiorum auctoritate docere publicè Poësin, novo

- mune-

munere, nec jam tum usitato *Academix*: & habuit disputationem præsentem Rege, qui primus inter Danorum Principes & primâ tum vice ingressus Doctorem subsellia, sæpius subinde, quo est in literas amore, ad studia publica dimisit Majestatem, & choros ac adyta Musarum ingentior ipse hospes implevit. Vocatus est ab hac disputatione ad Soranam Cathedram, & historiæ tradendæ professionem, subiitq; provinciam, sed non diturnam. Publicè docentem avocavit T. Tottius, ostentatâ Scaniâ, & benigno ad Musas secessu: & ne non efficacissimè svaderet, magnificâ domo, parum infra palatii cultum; ubi quod jussus nuper à Rege fuerat, condere in otio posset annales populi sui, & quicquid Majores indictum in Historia posterorum indagari reliquerunt. Insedit ergo amœnissimos penates, novum peculium & Regis benignitate transiturum ad posteros, quum miscuit sese rebus bellorum turbo, & terram subtraxit sub pedibus, quam turbatâ possessione provinciæ, (ut sunt in humanis vices rerum ac orbes) in novos Dominos transfudit. Ergo in patria jam sua, sed id parum, domi etiam suæ peregrinus, discerpebatur in partes, & novus propemodum Geryon, obsequio ad alios, ad alios incolatu pertinebat. Favit apud se habitanti CAROLUS, & liberale obtulit stipendium, in fide novi dominatus & clientelâ mansuro. Cæterum quum ceddendum alterutro esset, carere domicilio quam patria maluit, & Hafniam fortunas ac familiam deportavit, imminutus domo, & quod dolentius, uxore, lectissimâ foeminâ & intra lustrum quinquies parente. Quem hodie luctum novi matrimonii felicitate detergit. Anno 1661, in cœtu & confesso publico jussus est assidere inter Consiliarios ærarii: in qua functione muneris, quoties

id ferunt negotia, se surripit Musis, ut vacet muneri, in quo collocavit ætatem, & non illiterato otio posteritatis notitiam mereatur. Amplo nuper opere descripsit Patriæ fatum, & quæ, durante ad Hafniam Obsidione, per Septentrionem ferè omnem ad memoriam illustria contingere. Graditur nunc per antiquos fastos & Majorum labores, ut gentis suæ incunabula, & ex ultima vetustate repetitam seculorum memoriam exponat. Misit non pauca in Commentarios, nondum passa supremam manum, quæ festinationi & transcurfui negata, solâ laboris pertinaciâ perficiuntur. Nec quicquam illi destinatius, quam explicari hoc negotio & defungi opere. Enitetur spatium id omne, ni aliò averterint Superiorum jussa; & intra temporis haud longissimi flexum, aut finem vitæ, aut operi coronidem imponet.

Opera edita aut confecta.

Fortuna Austriacæ domus ad supremum mundi culmen evectæ. Argentorati anno 1648.

Idem Patavii. impensis Philaretæ: & typis Pauli Framboti. Anno 1648.

Inauguratio FRIDERICI III. Daniæ & Norvegiæ Regis. Hafniæ anno 1649.

Natalitia FRIDERICÆ AMALIÆ, & quæ in ea celebritate contingere solennia, vario carmine, Lyrici imprimis generis, adumbrata. Hafniæ 1649.

De Poëtarum plerisq;: tum de Natura & constitutione Poëscos dissertatio. Hafniæ 1650.

Fatum luctuosum CAROLI I. Magnæ Britannia Regis. Lugduni Batavorum anno 1651.

De historia oratio habita Soræ anno 1651.

Carmen gratulatorium Principi Danorum CHRISTIANO dictum. Hafniæ anno 1654.

Carmina varia , diversis per orbem locis , tum in patria imprimis, utroq; idiomate edita.

Obsidio Hafniæ, & quæ, ea durante, illustrata per Septentrionem contigere, oblata Regi, sed nondum typis prodita.

VILHELMUS LANGE

Vocatus ad Professionem in hac Academia, pro Cathedra disputavit an. 1650. d. 6. Cal. Aug. Et sacramentum dixit sequente 7. August.

Scripta.

De Annis Christi, Leidæ 1649. in 4.

Disputatio de 4. Monarchiis. Haun. 1650. in 4.

Exercitationes Mathematicæ 7. de annua emendatione & motu Apogei Solis &c. Haun. 1653. in 4.

De Veritatibus Geometricis libri 2. Haun. 1656. in 4.

Epistola ad M. Meibomium. Haun. 1656. in 4.

JOHANNES WANDALINUS

Natus est Wiburgi Cimbrorum an. 1624. die 26. Januarii, Clavissimis Parentibus, Patre plurimum Reverendo, Excellentiss. & Ampliss. Viro, Dn. Johanne Wandalino, S. S. Theol. Doct. & Episcopo atque Canonico Wiburgensi; matre honestissima matrona, Margareta Johannæ, Senatoris Othoniani Johannis Burckardii filia. Ita genitus, & die 2. Februarii, festo Purificationis Mariæ, re-genitus, ac cum Salvatore suo in templo Deo oblatus, primùm in ædibus Parentum per biennium, deinde apud Aviam maternam, spectatissimam Viduam, Catharinam Nic. Baggeram, ferè quinquennio, liberaliter educatus est, atq; interea Avix suæ comes in

exilio factus, dum illa an. 1627. Cæsariani exercitus Da-
 niam invadentis vim evasura, in Belgium se contulit, iti-
 nere maritimo difficillimo, in quo è naufragio periculo-
 sissimo, singulari divinâ ope miraculo simillima, simul
 servati, ac mox inter Batavos biennii spacio, usq; ad pa-
 cem Patriæ divinitus redonatam, commorati sunt. An-
 no 1631. Parentum familiæ redditus, & statim privato-
 rum Præceptorum curæ traditus est: mox autem com-
 perta insigni ingenii ejus felicitate, ab ipso Patre p. m.
 studio plusquam paterno, singulari ac compendiarie
 methodo institutus, linguas & disciplinas præcipuas, in-
 primis religionis Christianæ fundamenta, incredibili
 successu, & præmaturo teneræ ætatis profectu, hausit ac
 percepit. Accessit deinde cura & studium Avunculi i-
 psius, admodum Reverendi & Clarissimi Viri, Dn. Mag.
 Olai Johannis Baggeri, jam S. S. Theol. Lectoris, Præ-
 positi & Canonici Lundensis dignissimi, qui eo tempo-
 re ab exteris nuper reversus, ipsi ad linguarum Orienta-
 lium, Ebrææ, Chaldaicæ, Syriacæ, Arabicæ, Rabbinicæ
 cognitionem, facem prætulit, & quidem eo cum fructu,
 ut cum XLV. ætatis annum ageret, specimina styli in istis
 lingvis haud contemnenda, tam metricæ quàm profæ
 Orationis, edere posset. Mansit autem in ædibus pater-
 nis, sub ejuscemodi privata disciplina, usq; ad suprema
 fata Patris Optimi an. 1641. quo tempore pro Schola-
 sticis studiis confirmandis, etiam usus est operâ Affinis
 sui, Clarissimi Viri, Dn. M. Nicolai Joannis, Scholæ Wi-
 burgensis Rectoris laudatissimi, & Canonici ibidem
 meritissimi; cujus etiam testimonio ornatus, ipsoq; co-
 mite & duce, Regiam hanc Universitatem adiit, & in ci-
 vium Academicorum numerum cum laude receptus est
 an. 1642. mense Majo. Studiis verò Academicis sex-
 annium

ennium ferè Hauniæ impendit, partim in ædibus Dn. D. Thomæ Bangii, partim in familia Dn. D. Johannis Svaningii, quem privatum studiorum moderatorem habuit; quos magnos viros jam antea suis locis laudavimus. Interea Philosophiæ, Philologiæ, & Theologiæ gnaviter operam dedit, atque in Communitate Regia per biennium vixit, duarum ibi superiorum mensarum Decanus, quò in ista societate, egregiis legibus & exercitiis addictâ, occasionem nancisceretur majores in studiis progressus faciendi. An. 1644. mense Majo Baccalaureus Philosophiæ creatus, postea in Septembri ejusdem anni Attestationem Theologicam, quam vocant, cum Examinatorum applausu, impetravit. Reliqua dicti sexennii parte in studiis sanctioribus, & exercitiis declamatoriis, disputatoriis, aut concionatoriis, in patria consumpta, & lustratâ Regiâ Equestri Academiâ Soranâ, rebusq; domesticis post obitum matris optimæ an. 1647. dispositis, cum spem Regii stipendii, consveto disputationis solennis specimine edito, obtinuisset, invitatus eodem anno ad gradum Magisterii suscipiendum, quem eo tempore ob certas rationes modestè recusavit, an. 1648. verè ineunte ad exteras Academias se contulit, comite fratre Nicolao Wandalino, & per Holsatiam, Ducatum Bremensem, ac Frisiam utramq; in Hollandiam venit, ubi septem menses exegit Amstelodami, Leidæ & Ultrajecti, atq; in studiis Philologicis præcipuè consuluit magnos viros, ea tempestate Belgii decora, Claud. Salmasium, Dan. Heinsium, Ger. Joh. Vossium, Frid. Spanhemium, Constant. L' Empereur, Gisb. Voëtium, Boxhornium, & Menassen ben Israël Judæum. Eodem anno, Mense Novembri, pace imperio Romano-Germanico, Dei beneficio, redditâ, in Ger-

maniam Musas suas transtulit, & molesto periculosoq; itinere, per medias ferè militum turmas, feliciter per Dei gratiam confecto, comitibus Nobiliss. Dn. Cornificio Rosæ-Crantzio, & fratre jam memorato, Argentinam appulit, quam præcipuam studiorum sedem merito elegerat, visis prius in via civitatibus inclytis, Colonia Aggrippina, Confluentia, Francofurto ad Mœnum, Heidelberga, Spira, &c. Argentorati, in celebratissima illa studiorum, Theologorum præsertim, officina, ultra biennium commoratus, publicè privatimq; docentes audivit consummatissimos Theologos, D. Joh. Schmidium, D. Joh. Geor. Dorscheum, & D. Joh. Cunr. Dannhaverum, quorum familiaritate interea gaudebat, in primis D. Dorschei, è cujus quotidiano convictu, & communi propemodum Musæo ac Bibliotheca, arctoq; studiorum consortio, optatos fructus se reportasse profitetur. Interea in Helvetiam excurrit, & Basileæ salutavit eruditissimos Viros, Johannem Buxtorphium filium, Theod. Zvingerum, Grynæum, Westeinium &c. Inde relictâ Argentinâ, cæteras nobiliores Germaniæ Academies invisit, ut Giessensem, Lipsiensem, Jenensem, Wittebergensem, Helmæstadianam, & urbes alias insignes, ubi amicitiam inivit cum celeberrimis Theologis, aliisq; viris doctis, ut Justo Feurbornio, Sal. Glassio, Jac. Wellero, Joh. Hulsemanno, Abr. Calovio, Joh. Majore, Georg. Calixto, Aug. Buchnero, Mart. Gejero, Joh. Carpzovio, Joh. Scharffio, Joh. Meisnero, Pet. Haberkornio, D. Cundisio, Joh. Musæo, Joh. Tobia Majore, D. Cellario, D. Titio, Paulo Slegvogtio, Joh. Sperlingio, Joh. Er. Ostermanno, Joh. Ern. Gerhardo, Joh. Frischmuth &c. In primis Lipsiæ usus est convictu & familiaritate D. Hulsemanni ultra semestre spa-

spatium, magno cum studiorum Theologicorum incremento, atq; ibi librum edidit mox nobis nominandum. Præterea quasdam Principum Germanicorum aulas lustravit, ut Electorales, Saxoniam & Brandenburgicam, Lantgravianas, Darmstatensem & Castellanam, item Altenburgicam, Hallensem in Saxonia, Gottorphanam &c. Demum an. 1651. mense Junio in patriam reversus, ad res suas ulterius disponendas, salutatis in via eximii Theologis D. Ioh. Mullero Hamburgi, & D. Steph. Clotzio Flensburgi, novum mox iter ad externos meditabatur, ut Britanniam, Gallias, Italiam &c. inviseret. Verum divinæ providentiæ aliter visum fuit. Nam cum Hafniam veniret, magni Patroni, inter quos principem locum tenebant Illustrissimi Heroës, Dn. Ioachimus Gersdorpius, magnæ Aulæ Magister, & Dn. Christianus Thomæus Schefted, Cancellarius Regius summus, auctores ipsi fuere, ut in patria maneret, & Juventutis Academicæ commoda collegiis atq; exercitiis publicis promoveret. Quorum voluntati, ut par erat, obsequutus, statim eodem anno Collegium Philologico-Historico-Chronologico-Theologicum aperuit, prælegendo & disputando publicè, non sine auditorum fructu & emolumento: simulq; gemino specimine, disputatorio & concionatorio Latino, S. Regiæ Majestati innotuit. Unde anno proximè sequente 1652. cum fatis decessisset summus vir, Dn. D. Casparus Brochmannus, cui in Episcopatu Sælandino successit Dn. D. Iohannes Ioh. Resenius, huic verò in professione Theologica Dn. D. Thomas Bangius, ipse absens in Fionia, vocante per literas Augustiss. Rege nostro, FRIDERICO III. surrogatus D. Bangio, & Sanctæ Lingvæ Professor designatus est. Quam Spartam mox eodem anno exeunte, præmissa di-

spu-

sputatione solenni, & oratione inaugurali, ornandam suscepit, ornavitq; usque in annum tertium, donec defuncto Dn. D. Laurentio Scavenio, Episcopo, inq; ejus locum successit Dn. D. Ioh. Svaningio, ejusdem Serenissimi Regis nostri literis professio Theologica, quæ hac occasione vacabat, ipsi demandaretur an. 1655. mense Augusto. Ex eo tempore inter Theologos nostros numeratus, jam primum inter tres locum obtinet. Inter ea Magister Philosophiæ creatus est an. 1653. mense Majo, simulq; familiæ ac posteritatis curam inter alias haud omisit, & commodum amicitiam contractam cum Nobiliss & Excellentiss. Viro, Dn. D. Petro Winstrupio, Scaniæ Episcopo, supra nobis memorato, filiam ejus natu majorem, lectissimam virginem, ANNAM CATHARINAM WINSTRUPIAM, in matrimonium expetiit, & facili Parentum consensu uxorem duxit, nuptiis celebratis Malmogiæ an. 1653. d. 27. Augusti. Cum hac conjuge duodecimum jam optatissimi connubii annum agit, octo liberorum pater, pari filiorum filiarumq; numero, è quo hodie supersunt tres filii, Johannes, Petrus, & Iohannes Ernestus, ac quatuor filia, Anna-Margareta, Maria, Dorothea-Catharina, & Thalia-Susanna. Anno 1657. mense Decembri, jussu Regio S. S. Theologiæ Doctor solenni ritu renunciatus est, Præside & Promotore Dn. D. Svaningio, sæpius nobis laudato. Anno 1659. mense Novembri, durante Urbis nostræ obsidione, Rector Academiæ constitutus est, quo munere, difficillimis temporibus, de voluntate Senatus Academici, ultra XX. menses functus est, usque ad mensem Julium anni 1661. Cætera de ipso loquetur posteritas, quæ suum cuique decus rependet.

Scri-

Scripta.

Dissertatio Physica de Ventis. An. 1645.

Exercitationes Metaphysicæ duæ, prior de Necessario & Contingente, altera de Divisione Entis. An. 1646.

Interpretatio IV. Oraculorum S. Scripturæ Vet. & Nov. Test. An. 1648.

Diatribes de Feria Passionis, & triduo mortis Christi, deq; rebus aliis ad Historiam & Chronologiam Sacram pertinentibus. Lipsiæ Anno 1651.

Dissertatio de Historia in genere considerata. Hauniæ anno 1652.

Exercitationes quatuor in Historiam sacram Antediluvianam, quarum tres anno 1652. quarta 1658. Hauniæ prodierunt.

De vocis Eberinæ עֵבֶר genuina Etymologia, & significatione. an. 1652.

In librum Ezræ Canonicum Vestibulum Philologicum. An. 1654.

Dissertatio de Theologia Christiana in genere. anno 1658.

Scriba Edoctus ad Regnum Cœlorum ex Matth. XIII. 52. an. 1663.

Vestibulum Epistolæ Apostolicæ D. Judæ. eod. 1663.

De Jure Regio *ἀντιπρόσωπον* &c. libri VI. quorum quatuor lucem jam vident, duo propediem expectant. Anno 1663. 64. 65. &c.

Commentarii in Haggæi Prophetiam, & Judæ Epistolam, jam incepti & affecti, cum tempore, si Deus volet, perficiendi, &c.

E e e

JA-

JACOBUS CANUTIUS

Natale solum nactus est Hauniam, an. 1603. 6. Id. Sept. Parentibus genitus honestis : Patre Canuto Jani f. Ci-ve & Cerevisiario, Viro bonæ famæ : Matre Maria Jacobi f. femina castissima. Puer summa cura & diligentia educatus, cum singulari ingenii docilitate præditus videretur, animiq; ad studia propensi in prima ætate haut obscura proferret argumenta, literis addiscendis maturè est adhibitus: & primum quidem sub privata institutione : postea verò in publica Urbis Schola, Moderatoribus M. Johanne Craftio, & M. Francisco Georgio, ipsa rudimenta hausit. Inde in Soranam Regiam Scholam missus, cui tum temporis præerat M. Erasmus Vorde, artibus & scientiis, quæ tradi in Scholis solent, impendit quinquennium. Annum ætatis 19. ingressus, ad propositam in Scholis studiorum metam visus est laudabili contentione pervenisse, ideoq; à M. Johanne Erasmi Brokmand, Regiæ hujus Academiæ Professoribus commendatus: postquam publicè examinatus, cum esset judicatus fecisse in humanioribus literis profectum, qui ad audiendas Academicas prælectiones sufficeret, Civium Academicorum numero est adscriptus. Heic Academica studia feliciter auspicatus in Brokmanni, quem CANUTIUS Soræ habuerat Præceptorem, tunc temporis Philosophiæ, postea autem S. S. Theologiæ Doct. & Professoris Publici, ædibus transegit biennium. Cum enim præclara ingenia æstimaret Vir optimus, eorumq; commodis consulere summo opere conaretur, hunc Adolescentem, in quo certissima bonæ frugis animadverterat indicia, diligendum juvandumq; esse existimavit. Iam cœpit se luculentius exferere juvenis indoles eximia, & ita sensim conspicua

sic-

fieri, ut magnam in summorum Virorum animis excita-
 ret publicæ utilitatis expectationem Etenim tum O-
 ratoria exercitia publicè recitando: tum partim in Col-
 legiis, partim in Auditoriis, jam Respondentis, jam
 Opponentis vices sustinendo: tum in Urbis Arcisq;
 templis conciones habendo, sic brevi tempore innotuit,
 ut ab optimo quoq; & amaretur, & fieret plurimi. Hinc
 certatim conferebantur illi solennes Academici hono-
 res, & optata munia. Primum Baccalaureatus insignia.
 Mox Collegæ in publica Urbis Schola partes. Inde, e-
 lapso triennio, honorifica à Perillustri ac Generoso He-
 roë Dn. CHRISTIANO FRIS de Kragerup, Ser.
 Reg. Majestatis Cancellario, ad Nobilissimos ejus fili-
 os informandos vocatio. Atq; altero exacto triennio,
 Regium stipendium. Hoc instructus ad Vitebergensem
 Academiã se contulit. Ubi cum ob bellicos furores stu-
 diis minus aptam sedem videret, post anni moram, do-
 mum rediit: atq; impetrata à Summo Magistratu ad ali-
 as Academicas eundi venia, an. 1632. mense Majo, ma-
 ritimo itinere Londinum Anglorum pervenit: indeq;
 post trium septimanarum spatium, per Bataviam, Fra-
 nekeram Frisiorum se contulit, ut Nobilissimi Adole-
 scentis Othonis Claudii Pors studia dirigenda suscipe-
 ret. Cum quo profectus Lugdunum Batavorum, in ce-
 leberrimã illa Academia studia laudabiliter cœpta con-
 tinuavit toto pene triennio: donec Religiosissimorum
 Virorum, Doct. Caspari Er. Brockmand, Theologi ce-
 leberrimi, & Doct. Martini Matthiæ, Superintendentis
 Arhusiensis literis ad Cathedralis Arhusiensis Scholæ
 Rectoratum vocaretur. Hinc itaq; in patriam rever-
 sus, an. 1635. 5. Non. Quintil. eidem Scholæ præfici-
 tur. Quo munere dum fungitur, aliis honoribus & be-

neficiis, nempe summo in Philosophia gradu, an. 1637.
 d. 28. Maji, à Decano M. Iohanne Ioh. Resenio, & Ca-
 nonicatu in Capitulo Arhusiensi ornatur. An. 1636. 8.
 Cal. Maji, uxorem duxit honestissimam Virginem ELI-
 SABETHAM, Reverendi Viri, Dn. Menelai Pauli in
 Regia arce Hauniensi Concinatoris filiam: cum qua in
 conjugali amore vixit 10. annos, & 6. ferè menses: ge-
 nuitq; liberos 9. filios 5. & filias 4. An 1647. mense
 Decembr. cum Arhusiensi Scholæ præfuisset annis 12. &
 6. pene mensibus, Pastorale Cathedralis Arhusiensis
 Ecclesiæ munus ei est commissum. An. 1648. 8. Id.
 Quintil. cum ultra biennium egisset viduus, ad secunda
 vota transiit, celebratis nuptiis cum lectissima ornatissi-
 maq; Virgine, MARIA, Erasmi Nicolai, Consulis
 Arhusiensis filia: cum qua in summa concordia traduxit
 integros años 11. An. 1653. mense Sextil. ex Clementis-
 sima Serenissimi Regis voluntate, literis Magnifici Re-
 ctoris & Senatus Academici, ad vacantem Theologicam
 Professionem est vocatus: & habita ipsis Cal. Decemb.
 præliminari lectionum Theologicarum oratione, die 20.
 ejusdem mensis, supremo in Theologia gradu à D. Lau-
 rentio Scavenio, Sædlandiæ Episcopo est insignitus. An.
 1657. 7. Cal. Mart. cum Reçtoratum Academiae gere-
 ret, indictis à Ser. Reg. Majestate Othinensibus comi-
 tiis, una cum reliquorum Regni ordinum deputatis, A-
 cademiæ nomine interfuit. In singulis officiis tanta cum
 industria & dexteritate est versatus, ut præclaram fidei
 prudentiæq; laudem, apud omnes æquos rerum æstima-
 tores, sibi compararit. Ultimo triennio minus firma
 fuit valetudine: ac primum quidem in Reçtoratu suo
 feбри laboravit gravissimè. Ex qua licet restitueretur
 tandem, latentes tamen morbi insidias semper sensit.

Qui.

Quibus cum tentaretur sæpiùs, an. 1659. mense Octo-
 bri, ita malè habere cœpit, ut in publicum prodire am-
 plius non potuerit. Sed in primis ineunte anno 1660.
 visus est morbus ingravescere, & auctis quasi viribus, ve-
 hementiore impetu eum adoriri, ut decumbere perpe-
 tuo, lectoq; penitus detineri cogeretur. Quamvis au-
 tem eorum, quæ ad sanitatem facere videbantur, nihil
 omnino ommitteretur, Viriq; Experientissimi, Doct. Tho-
 mas Bartolinus, Medicinæ Professor Celeberrimus, e-
 jusdemq; Facultatis Decanus, & Doct. Paulus Motli,
 Ser. Reg. Majestatis Medicus, præstantissima remedia,
 quæ ad infringendam gravissimi morbi pertinaciam es-
 sent idonea, præscriberent, omniaq; humanitatis officia
 exhiberet diligentissima conjux, & amici optimi; com-
 munes tamen omnium conatus elusit morbi contumacia.
 Cumq; suspectas haberet varias illas valetudinis vices
 religiosissimus vir: tum diebus sacris, tum feriis aliis
 conciones in ædibus haberi, & Salutari Sacramento ter
 Iustrari se curavit. Deniq; in perpetua mortis medita-
 tione animum exercens, fidei speiq; Christianæ plenus,
 animam Servatori reddidit 8. Id. Quint. hora 11. pome-
 ridiana, an. 1660. postquam 56. annos, 10. menses in
 terreno corpore transegisset. Vir recti amans: à dissi-
 mulatione alienus, gravis, modestus. In rebus geren-
 dis maturo utebatur judicio: sacros dies, eorumq; vigi-
 lias Divinis meditationibus impendebat: familiam re-
 gebat pie & frugaliter. Funus publico Programmate
 à Pro-Rectore Academiæ M. Erasmo Eu. Brokmanno
 indictum est. Sepultus est in Templo D. Virginis extra
 Chori latus Septentrionale.

GEORGIUS HILARIUS

Orthungæ Sælandorum (Wordenburgum Incolæ vocant) amœnæ illi & Regiæ quondam Waldemarorum sedi, Legumq; Danicarum promulgatione haud ignobili urbi, natales debet: in qua 16. Novembr. anni seculi hujus 16. oriundus, Patre Viro honoratissimo, Hilario Jacobæo, Urbis suæ duos supra quadraginta annos Consule, & Regii, quod ibidem est, Telonii Præfecto: Matre Margareta Petræa. quorum curâ atq; consilio, domestico primùm Pædagogo traditus est informandus, atq; mox in publicum urbis ludum apprimè puer deductus, prima literarum rudimenta posuit. indeq; ad illustrem Herlovianam Scholam anno 1630. amandatus, iis ibi lingvis artibusq;, quibus ad humanitatem informari patria Juventus solet, instruitur, donec exercitiis Academicis jam satis maturuisse Scholæ ejusdem Reçtori Viro Clar. M. Jacobo Petri Spelderupio visus, ab eodem rudem Scholasticam meruisset, mense Aprili anni 1635. Mense dein sequente sacris Academicis ritè initiatus, Reçtore M. Christiano Longomontano, Decano M. Jacobo Matthiæ Aarhusio, Præceptorè sibi legit D. D. Olaus Wormium, cujus singulari industriâ atq; institutione impensius delectatus, ad studium Medicum animum seriò appellere constituit, sed consilio & autoritate paterna inde revocatus, docentibus tum apud nos magni nominis Theologis, D. D. Johanni Pauli Resenio, D. D. Casparo Erasmi Brochmanno, D. D. Johanni Erasmi Brochmanno, D. D. Johanni Resenio, operâ dedit, impetratoq; ab iisdè laudabili sui in sacris literis profectûs testimonio, ad externos digreditur, mense Majo anni 1638. atq; Lugduni Batavorum annum integrum commoratus, Clr. ejusdem Academiae Professorum, Daniel Hein-

sij,

fii, M Zverii Boxhornii, Anthonii Thyfii, Hieremix
 Holtzleini, & publicâ & privatâ usus est operâ. Inde ve-
 rò Lutetiam Parisiorum commigravit, ubi docentibus
 passim variis in Collegiis, Philologiæ, Philosophiæ atq;
 Matheseos Professoribus, R. P. Petro Bourdin, Petro
 de Montmour, Johanni Tarino, Joh. Grangierio, Jo-
 han. Baptistæ Morino, Ægidio Personerio de Roberval,
 aliisq; subinde vacavit, eorumq; lectionibus publicis,
 non infreqvens auditor interfuit, sed à medio studiorum
 curriculo, frequentioribus Patris tum octogenarii lite-
 ris revocatus, domuitionem reditumq; in patriam matu-
 rare coactus, ad suos revertitur, mense Septembri anni
 1640. ubi pauculis interjectis mensibus, ad vacantem
 tum fortè Riserupensem apud Falstrios Pastoratum,
 Parœcorum literis, vocatur, quâ modestè recusatâ
 functione, (necdum enim 25. ætatis annum expleve-
 rat) cum iteratam ad externos digressionem unicè medi-
 taretur, ab Illustri & Generosiss. Equite, Dn. Pallante
 Rosenkrantzio Dn. de Krencherup &c. suo, suorumq;
 Mœcenate ac Patrono optimo, maximo, Illustr. Dn.
 Christophoro Ulfeldio Scholarchæ Herloviano, pro
 Scholæ ejusdem Rectoratu obtinendo commendatur.
 quo quidem in hanc amiciss. sui Rosenkrantzii petiti-
 onem mirè facili, delectis ad id Censoribus Academi-
 cis, ex Regiarum Constitutionum præscripto, sistitur
 examinandus, quorum laudatissimo munitus testimo-
 nio, cum jam in procinctu staret, ut Scholæ Herlovianæ
 habenas capefferet, communicatô prius cum nobilissi-
 mo Patrono suo consiliô, consentientibusq; utrinq; Ul-
 feldio Scholarcha, & Episcopo Brochmanno, Rectora-
 tum Herlovianû cum Hafniensi Conrectoratu, non levi-
 bus de causis, commutavit, cui muneri 3. Martii 1641.

ad

admotus, summis Philosophicæ laureæ honoribus mense Junio anni ejusdem, Decano spectabili M. Joh. Joh. Svaningio, decoratur : eaq; industriâ, alacritate, atq; dexteritate lustrum integrum Conrectoratu præfuit, ut honorificentissimo tum Episcopi Brokmanni in primis, tum totius Professorii confessus testimonio, Lundensi Exedræ, pro Philosophica in ejusdem Gymnasio vacante professione administranda, commendaretur. præstitoq; mense Februarii 1646. solenni, eadem in Exedra, juramento Professorio, Hafniensibus Musis extremum jã dicturus vale, à Magnifico & Perillustri Dn. Cancellario, Dn. Christiano Thomæo subsistere aliquantisper, inq; statione adhuc Conrectorali excubare jubetur, donec dissipatos propter nuperum bellum Svecicum Auditores suos Gymnasium recollegisset. Interea verò Scholæ Hafniensis Reçtore, Viro Clar. Dn. M. Severino Petræo ad Philosophiam Practicam in Academia docendam evocato, Scholæ eidem Reçtorali posthac potestate administrandæ præficitur, 5. Octobris anni 1646. celebratisq; Dominicâ proximâ, quæ XI. ejusdē mensis dies erat, nuptiis, cum lectissima omniq; laude dignissima Virgine, Christina Bangia, Dn. Joannis Bangii Flemlofensiliū apud Fionos Ecclesiastæ filia; Thomæ verò Bangii, Sanctæ tum Lingvæ, sed post S. S. Theologiæ Doct. atq; Profess. Sorore, eo ex conjugio 3. filiorum & unius filiæ Parens est factus. Docuerat jam, fide, industria, solertiaq; quæ potuit maxima sollicitissimaq; Scholam Hafniensem, utroq; in officio, lustra prope tria, cum ejus in docendo conatum documenta animadverteret non pauca nec obscura Magistratus Superior, quibus delectatus, collaudatis apud Ser. Regem ejus in Scholâ administranda conatibus, ne debitus tantis laboribus honor de-

deesset, effecit, ut singulari Augustissimi Regis FRIDERICI III. indulgentiâ in Collegium ordinemq; Professorium cooptaretur; sed ita ut Scholam porro solitâ diligentia, fide atq; industria administrare pergeret, quoad vel senectus, vel corporis animiq; vires illos tolerare labores possent. Sed idem ille, qui laboribus ejus non inglorius fuit annus 1654. non toro modò ejus & familiaris funestus atq; luctuosus, sed & ipsi præterea Scholæ Hafniensi propè fatalis extitit: pestiferâ illâ lue, totâ tum urbe atrocius sæviente, quâ & desideratissimam Conjugem, & filiolum gemellum, duplicatum intra quatridentum, amisit, & Scholam ipsam, mixtis densatisq; puerorum in illa juvenumq; funeribus, lectissimis quibusq; ingeniis miserrimè viduatam luxit. quod certè gravissimum Scholæ vulnus vix coalescere, & suos non nihil lacertos movere, redditisq; Discipulis, revirescere Schola cepit; cum terribili illo diræ obsidionis belliq; fulmine iterum tacta, penè tota funeraretur, omnibus omninò ad alendos Scholæ alumnos subsidiis penitus deficientibus. quas infelicis, totq; calamitatibus affectæ atq; afflictæ Scholæ ruinas, dum omni sollicitudine, curâ, studio & facultatibus quoq; suis, in medio obsidionis æstu, fulcire non desinit: sibi & corporis & animi ingeniiq; vires, ærumnabili illo tot lustrorum labore sic defluxisse persensit: ut muneri tam arduo rectè administrando nequaquam sufficeret solus. quod cum minimè dissimulandum Magistratui censeret, peteretq; suppliciter: post immensum illud tot nunc lustrorum spatiis confectum ærumnarum Scholasticarum æquor, jam tandem aut fatiscencia sibi colla solvi, aut, ne quid Schola detrimenti caperet, novo aliquo tibicine suffulciri. singulari Regiæ Gratiæ beneficio, Eminentissimo Dn. Archiepiscopo

Proxenetâ, non difficulter impetratû: ut alius extra ordinem Collega, quem Subrectorem vocant, ipsi adjungeretur. cumq; belli superioris incendio ita deflagasse constaret, quæ Rectori Scholæ pro salario ante destinata erant, ut quæ supererant, familiæ heic alendæ nequaquam sufficerent: à S. Regia Majestate, pro tot tantisq; in Scholastico pulvere exantlatis laboribus, præstitaq; Scholæ opera tam diutina, clementissimè indultum: ut proximè vacantibus Ordinariæ Professionis redditibus, plenâ cum reliquis Ordinariis potestate, jure itidem ac honore perfrueretur; suâ interim Reverendiss. Dn. Archiepiscopo, in illum ceu Scholæ Rectorem jurisdictione reservatâ. quo nunquam satis prædicando Regiæ Clementiæ beneficio, dum mente gratissimâ devotissimâq; post M. Erasmi Envald. Brochmanni decessum perfruitur, non Scholam modò Hafniensem vivâ etiamnum voce quotidie docere, sollicitâ inspectione animare, debitaq; solertiâ administrare satagit; sed & rebus in ea omnibus, Deo benedicente, ritè compositis, Academicæ itidem Juventuti publicis prodesse lectionibus conatur.

Scripta.

Rhetorica Resenii præceptis de Elocutione Oratoriâ aucta, lectissimisq; exemplis è melioribus notæ Oratoribus atq; Poëtis illustrata. Hafniæ 1643. in 8.

Topice Peripatetica; ad Locos Resenianos immutata, exemplis illustrata, & singulorum Locorum usu locupletata. Hafniæ in 8.

Ecclesiastica Temporis Ordinandi Ratio, seu Computus Ecclesiasticus. Hafniæ 1647. in 4.

Trigonometria plana, seu triangulorum planorum dimen-

men.

mensio, cum Tabularum Sinuum, Tangent: atq̄ Secantium usu. Hafn. 1644. in 4.

VI. priorum Euclidis Elementorum Geometricorum propositiones præcipuæ, Græcè & Latinè, selectæ, ordinatæ & demonstrationibus illustratæ. Hafn. 1654. in 12.

Doctrinæ Sphæricæ præcepta. Hafn. 1650. in 12.

Isagoge ad Globi utriusq̄; cognitionem & usum. Hafniæ 1655.

Tabularum tum Geographicarum, tum Hydrographicarum explicatio & usus. Hafn. 1655.

Computi Ecclesiasti Epitome. Hafn. 1656.

Selectiores & sententiosi ex Hesiodo, Homero, Anacreonte &c. versus pro discipulis excerpti. in 8.

Elocutionis Poëticæ præcepta generalia, ad Elocutionis Oratoriæ partes conformata, ex Masenio. Hafniæ in 4.

Artis Epigrammaticæ Epitome; eodem ex Masenio. Hafn. in 4.

CHRISTIANUS STENBU- CHIUS

Anno Ær. Chr. 1625. d. 25. Septembr. Hauniæ natus est ex honestis Parentibus, Patre, Johanne Stenbuchio; Matre, Ingera Hammera. Jactis liberalium artium fundamentis, partim domi, sub privatis informatoribus; partim foris, sub institutione viri clar. Mag. Johannis Schowii, anno ætatis decimotertio docentibus in Hauniensi Schola publicis præceptoribus est traditus informandus; ubi postquam ferè per quadriennium majores fecisset in literis progressus, anno 1642. à viris clariss. Con-Rectore Scholæ, Mag. Georgio Hilario, ejus-

demq; Rectore, Mag. Severino Petræo, dimissus, in civium Academicorum numerum est adscitus, quintoque post anno liberalium artium & Philosophiæ à Decano M. Spormanno renunciatus Magister. Anno sequente, qui dicti jam seculi erat 48. de assertionibus quibusdam clar. viri, Scipionis Claramontii, exercitationem Physico-Mathematicam conscripsit, eandemq; pro obtinendo Regio Mathematico stipendio publicè defendit. Mox ad peregrinas Academias profectus, in Belgio, Gallia, Italia, & Germania transegit sexennium, & quod excurrit: atque interea temporis, consentiente ac approbante per illustri heroe, Dn. CHRISTIANO THOMÆO SEHESTED, ad Lingvas Orientales, eaq; quæ ad Antiquitatum notitiam, & Criticæ studium pertinent, animum applicuit, deq; variis, quæ ad eam rem faciunt, consuluit celeberrimos viros, in primis Cl. Salmasium, Gerh. Vossium, Nic. Heintium, Jac. Golium. Anno 1655. ad Ebrææ Lingvæ Professionem est vocatus; Disputavit pro Cathedra an. 1656. d. 22. Mart. & Sacramentum dixit d. 18. April. & postea anno 1663. Decani in Philosophica Facultate munus gessit, creavitq; Magistros Philosophiæ 17. Baccalaureos 21. Ad conjugalem vitam transiens, anno 1663. uxorem duxit virginem lectissimam, DOROTHEAM JOHANNIS FIL. BROCHMAND, suscepitq; ex eadem filium.

Scripta.

Exercitatio Physico-Mathematica. Havn: 1648. in 4.

Exercitatio Philologica de 3. vaticiniis, Genes. XLIX.

à comm. 2. ad 13. Hauniæ 1656.

Assertiones aliquot Philosophicæ. Hauniæ 1663. in 4.

Di-

Disputatio de usu principiorum rationis ac Philosophiæ
in controversiis Theologicis, Rationali Theologico
Nicolai Vedelii opposita. Hauniæ 1663. in 4.

CHRISTIANUS OSTENFELD

Natus Viburgi Cimbrorum anno 1619. 14. Septembris,
Patre Petro Ostensfeld, Consule urbis primario, Matre
Anna Christiani. Primis pueritiæ & adolescentiæ an-
nis Latinas, Græcas, Hebraicasq; literas didicit, jactis
insuper Philosophiæ & cœlestis doctrinæ fundamentis.
Anno 1638. 2. Maji Academiae Hauniensi nomen dedit,
exactoq; biennio, prima Philosophiæ laurea donatus est,
& in examine Theologico à Censoribus approbatus, ad
exteros studiorum causa proficiscitur, primum in Bel-
gium, illinc post anni unius decursum, facto per Angli-
am itinere, Lutetiam Parisiorum venit anno 1641. ex-
trema hyeme. Annum unum in Gallia exegerat, cum
domum vocatur, ut Scholæ Viburgensi cum Rectore
operam locaret, invitatus honorifico stipendio, è Sacer-
dotio Colsensi (Canonicatum vocant) quod tum pri-
mum ab excessu Episcopi D: Joh. Wandalini, muneri
Con-Rectoris perpetuum auctoritate Regia constitu-
tum est, nam ante id tempus, nullum Schola illa cum sti-
pendio Con-Rectorem habuit. Anno 1643. ad ca-
pessendos summos in Philosophia honores, quos Magi-
strales appellant, a M. Jacobo Finckio Physices P. P. &
Philos. Decano invitatur. Anno 1647. Conrectoris
munere se abdicavit, susceptoq; ad exteris itinere, ini-
tio anni sequentis, illustribus Comitibus Holkiis, Chri-
stiano Christophoro & Henrico Detlevo, profectio-
nis studiorumq; ducem se præbuit, & absoluta per Belgi-
um, Germaniam, Helvetios, Allobroges, Italiam & Gal-



liam in præcipuis aulis & Academiis triennio, sub finem
Anni 1650 in Daniam revertitur. Novo anni sequen-
tis vere, tertium ad externos digreditur, primùm in Bel-
gium, illinc in Germaniam, cum Tubingæ aliquantisper
subsisteret, rogatus ab Academia, Duci Virtenbergico E-
BERHARDO III. qui ad restituendam Academiam,
cum Consiliariis & præcipua nobilitate advenerat, pro
restituta Academia publicè gratias egit, nuncupata ipsi
oratione, quam Laurum Virtenbergicam inscripsit. In-
de per Rhetiam & Insubriam, Venetias profectus est,
utq; optimarum rerum studiis toties interruptis & præ-
cisus solidum & salutare otium faceret, Patavii sedem
collocavit. Academiam ICTorum anno integro pro
Rectore administravit, missus pro ea sæpius ad Princi-
pem & Senatum Venetum Orator, req; bene & ex usu
Academix gesta, imaginem è marmore in Palatio Aca-
demico, & alteram æri incisam meruit, hac inscriptione:

GENIO. ET. MERITIS. CLAR^{mi}. V.

*CHRISTIANI. OSTENFELD. DANI.
UNIV. PATAV. ET. NAT. GERM. ICTOR^{is}
AD. SEREN. VENET. PRINC. ORATORIS.
OB. NAVATAM. STRENUE.*

DIFFICILIB. TEMPORIB. OPERAM.

NATIO. GERM. ICTOR.

M. P.

PATAVII. M DC LIV.

Anno 1655. die 19. Maji Doctor Medicinæ, auctori-
tate Veneta, creatus, rebus domitioni compositis, per
Germaniam in Cimbriam rediit, quinto, postquam no-
vissimè digressus esset anno; Inde anni extremo Hau-
niam

niam concessit, moxq; per magnum Regis Cancellarium CHRISTIANUM THOMÆ SEESTED, Academiae Conservatorem, ab Augustissimo Rege FREDERICO III. ad Medicinae professionem vocatur 23. Januarii 1656. quam etiam dicto Regiae Academiae sacramento 18. Aprilis suscepit, habita prius, more majorum, disputatione, in qua praeter Regiam Majestatem & Regni Proceres adfuere Belgii foederati Legati Beuningius, Ameronius & Perenius. 13. Maji Thomæ Finckii exequiis in collegio Academico parentavit, praesentibus inter alios è Regni Senatoribus & praecipua nobilitate, iisdem Belgii foederati Legatis. Anno 1657. ab Academia Othiniam delegatus est, ut indictis Regia auctoritate comitiis cum Rectore interesset. Anno eodem, pridie Pentecostes, Rector Regiae Academiae communibus Professorum suffragiis in annum sequentem electus, prid. Cal. Junii uxorem duxit SOSTRATAM FINCKIAM JACOBI filiam. VII. Id. Quintil. in aede Divæ Virg. solenniter, moreq; majorum, Rectoris muneri inauguratur, in quo memorabile hoc fuit, quod jussu auspicioq; Regio, armata Pallade, cives Academicos primus eduxit, in hostem pro aris & focis pugnuros. Anno 1658. festo corporis Christi, ejurato solenniter Magistratu Academico, ad eluendas loci mutatione quartanæ reliquias, in vicinum Coagio prædium digressus, ab hoste inopinate intercipitur, detineturq; tertium mensem, obsessa Haunia; sed noctu elapsus, cymbaq; Hauniam delatus, pro Rectore res Academicas iterum curavit, totoq; obsessæ urbis tempore usque ad belli finem nomine Academiae, cum reliquis urbis ordinibus jussu Regio identidem convocatis, de contributionum, hospitiorum, pacis deniq; negotio con-

ventushabuit. Anno 1660. facta ante urbem pace, ab Academia Roëskildiam mittitur, ut apud Palatinum **SULTZBACHIUM** & Regios Legatos, prædiis Academicis prævideret, ne quid præter fas & æquum in hospitiorum designatione ab hostium copiis detrimenti caperent. Anno 1661. 10. Martii literis Regiis in Scaniam ire jussus est, ut Malmögiæ una cum Legatis Regiis, negotium Academiæ curaret, de restituendis prædiis bonisq; quæ partim pleno & antiquo Regiæ permutationis jure, partim perpetuæ donationis foundationisq; titulo Academia obtinet, ex capite fœderis ante urbem facti §. 12. & 13. Academiæ restituenda; in quo omnis ejus conatus fidesq; frustra fuit, causantibus Svecis mandatorum de hac retractandi defectum. Anno 1662. nomine Academiæ, festo Servatæ Urbis 11. Februarii publicam coram **REGIA MAIESTATE**, Principe Brunsvicensi & Luneb. **FRIDERICO**, & præter Regni Proceres Fœderati Belgii Oratore, orationem habuit, quam postea Palladium Danicum inscripsit, Regiq; consecravit. Eodem anno ad Thermas Embenses in Comitatu Nassaviensi valetudinis causa, facta sibi à Regia Majestate discedendi facultate, profectus est. Anno 1663. die 3. Octobris, cum Illustrissima Daniæ & Norvegiæ Princeps **ANNA SOPHIA**, **JOHANNI GEORGIO III.** Saxonix Principi desponderetur, jussu Senatus Academici in collegio coram **REGIA MAIESTATE**, Principe hærede **CHRISTIANO**, & ipso **JOHANNE GEORGIO** Principe Sponso, in frequenti Procerum ac Legatorum cœtu, pro felici auspicio Panegyri Academica vota nuncupavit, quam Concordiæ Dano-Saxonix titulo, Principi Sponso dedicavit. Hoc anno, quem seculi Christiani decimi septimi

lexa-

Sexagesimum quintum numeramus, absoluta superioribus annis, singulares unniuersi corporis humani morbos curandi methodo, curandarum febrium publice docet.

Scripta.

Laurus Virtenbergica, Panegyricus Eberhardo III. Duci Virtenb. pro restituta Academia Tubingensi dictus in Collegio Academico. Tubingæ 1652.

Prodromus Exercitationum de fundamentis Medicinæ. Hauniæ 1656.

Oratio funebris in obitum Thomæ Finckii, habita in Collegio Academico. Haun. 1656.

Palladium Danicum, Panegyricus, festo servatæ urbis Hauniensis, dictus in Collegio Academico. Hauniæ 1662.

Concordia Dano-Saxonica, Panegyricus pro felici auspicio, in Collegio Academico dictus, & Joh. Georg. III. Saxonix Principi Sponso consecratus. Hauniæ 1663.

Pharus Latinitatis, varios vocum & dictionum Latinarum scopulos indicans, propediem volente Deo in lucem prodibit.

PETRUS LAURENTII SCA- VENIUS

Natus est Roëskildix 27. Augusti an. 1623. parentibus, D. Laurentio Martini Scavenio, Episcopo Zelandix, & Elisa Petræa. Crescente ætate, à Præceptoribus domesticis, nec non publicis, ea artium liberalium hausit fundamenta, ut an. 1640. in numerum Studioforum Academix Hauniensis receptus sit, ubi per triennium studia sua continuavit. An. 1643. mense Julio, ex consilio

lio parentum & amicorum exteras Academias petiit, ac in Belgium se contulit, ubi quadriennium in tractandis studiis, ac visitandis præcipuis urbibus, tam Confœderati, quàm Hispanici Belgii consumpsit. Anno 1647. Belgium reliquit, ac per quadriennium Angliam, Galliam, Italiam, totam Germaniam ac Helvetiam, cæterasq; finitimas provincias lustravit, transacto scilicet in qualibet regione annuo spatio. Redux tandem factus in patriam 25. Julii, an. 1650. ibi per annum ferè substitit. Interea Illustrissimus Cancellarius CHRISTIANUS THOMÆUS flagitavit ejus operam in deducendo ad exteras provincias filio Erico Sehested, quod in se suscepit, & relicta patria 14. Junii, an. 1651. illud iter per Belgium, Germaniam, Galliam, Italiam, ac Angliam integro quadriennio absolvit. Ob præstitam in hoc suscepto munere fidem & diligentiam, singularem meruit apud Dn. Cancellarium gratiam, authorq; fuit, ut anno 1655. ad Professionem Mathematicam vocatus sit, quam tamen ob relictum per aliquod tempus istud studium renuit. Anno 1657. ex rescripto Sereniss. Regiæ Majestatis designatus Professor Juris Ordinarius, sacramentum dixit d. 5. Decemb. ac sub finem ejusdem anni à D. Mulero more solito renunciatus est Juris Utriusq; Doctor. Anno 1661. ex permissione Regia hinc discessit D. Mulerus, cui in Professione, Decanatu, ac Rectoratu (quem per sexviannum obiit) successit.

ERASMIUS BARTHOLINUS

Natus anno Christi 1625. die 13. Augusti Røeskildix, quo, cum Hauniam acris pestilentia urgeret, secesserant parentes, D. Casparus Bartholinus Professor Medicinæ in Regia Academia Hauniensi, & Mater Anna
Fin-

Finckia. Non multos post annos cum patrem amisisset, privatorum Præceptorum curæ traditur, deinde in publica Herloviana Schola illustri erudiendus mittitur, donec edito profectus in humanioribus specimen anno 1642. à Decano Spectabili Facultatis Philosophicæ, M. Jacobo Finckio, in ordinem Studiosorum Academiae Hauniensis ascisceretur. Ex Philosophicis studiis, quibus animum serio appulit, Mathematica, quorum principiis in Scholis imbutus erat, maximè placuere, præsertim cum in Astronomicis manu ductores hic inveniret eximios viros M. Christianum Severini Longomoncanum, nec non M. Georgium Frommium. Anno 1644. invitatus ad gradum, quem vocant Baccalaureatus à M. Th. Bangio, Facultatis Philosophicæ Decano, primis in Philosophia honoribus augetur. Tum auspiciis Celebrissimi Viri D. Olai Wormii Medicis studiis tempus impendit, quorum majori desiderio exteras terras & Academias invisere statuit anno 1646. quo, circa vernal æquinoctium in Belgium abiit. Mox Leidam se recepit, usus opera Experientissimi Medici Johannis Walaëi, cujus tam privatis, quàm publicis prælectionibus sedulò proficere tentavit. Deinde novam, & jam pridem à Renato Des-Cartes vulgatam Artem Analyticam hausit à Francisco à Schooten. Sed domum revocatus anno 1647. inceptam telam abrumpere cogitur, cum destinaretur beneficio, quod indulgentia Serenissimi Regis, iis, qui Medicinæ operam navant, concessum erat, cuiq̄ obtinendo non tantum requisita Philosophiæ supremis honoribus specimina edenda erant, sed & Medica disputatio adornanda. Philosophiæ ergo summa ornamenta primum conferebantur à Philosophicæ Facultatis Decano Petro Spormanno, deinde Medicas

theses, præside Olao Wormio, publicè defendit. Quibus ingenii speciminibus anni quadrante consumpto, ut Medicis studiis animum seriò adjiceret mandatum, & in Belgium redire permissum. Vix Amstelodamum accesserat, cum opportunitas comitatus & amicitiaè Wilhelmi Langii & Joëlis Langelot, in Angliam transire juberet. Sed bellum intestinum, cujus multo major videbatur superesse moles, longiori moræ tempora exemit, quare exacto Londini & Oxonii pauco tempore, Lugdunum Batavorum revertit, consveta studia resumpturus. Familiaritare tum usus doctissimorum virorum, & imprimis eximiorum Renati Des-Cartes, Claudii Salmasii & Gerhardi Wossii, triennium adhuc exegit Leidæ. Interea temporis pleræque in Belgio urbes perlustratæ, in primis anno 1649. sociatus amicissimo sibi Francisco à Schooten, præcipua Brabantiaè & Flandriaè oppida & munimenta consideravit. Anno 1650. iter in Gallias susceptum. Parisiis primo substitit, deinde Blæsiis, postea Flexiæ, unde denuò Parisios rediit. Hinc revocatus Blæsius, ab Amplissimo viro Florimondo de Beaune, perficiendis quibusdam Analytices speciosæ opusculis operam accommodavit. Tum Cæsarodunum invitatus à Nobilissimo Viro Dn. Picot, cum ipso mansit usq; ad finem anni, hospitio & familiaritate humanissimi Viri exceptus. Lutetiam Parisiorum tertium reversus est anno 1653. amplissimorum & doctissimorum virorum amicitiam, nec non usum Bibliothecæ Regiæ repetiturus. Italiam hoc anno adiit, atq; ad Ligusticum litus primò appulit, ubi diutius morari, licet svaderet humanitas Nobilissimi viri Joh. Bapt. Balliani, tamen Patavium ipsum vocabant studia Medica, quo confestim, per Mediolanum, iter persequutus est. Patavii ses-

quiannum subsistere studiorum opportunitate coactus, Germanicæ Nationis Consiliarius electus est & Universitatis Vice-Syndicus, donec sequenti anno 1654. summis in Medicina honoribus insigniretur, & circa autumnale æquinoctium Romam discederet. Anno 1655. Neapolim & vicina antiquitatum rudera vidit, sed reditus festinationem imperavit desiderium, cognoscendi ea quæ in electione novi Pontificis Alexandri VII. agebantur. Tum receptus insigni Clarissimorum Virorum, Cassiani à Puteo, Emanuelis Vizzani, Lucæ Holstenii, aliorumq; amicitia, Bibliothecarum quoq; variarum, imprimis Vaticanæ fructu, usq; ad solstitium æstivum in urbe permansit: æstatem Florentiæ, quo temperies cœli Hetrusci exteros maximè allicit, transegit, ut insignem bibliothecã Medicæam indies consuleret. Hinc visis oppidis vicinis, Veronam abiit, ubi in visitandis ægrotis Experientissimo viro Petro à Castro individuum se comitem addidit, & præcepta Medica fidelibus experimentis confirmare tandè assuevit. In sequentian. 1656. in patriam revocatur Geometricæ Professioni designatus. Quare rebus ad iter compositis, peragravit Germaniæ nonnullas regiones, Comit. Tyrolensem, Bavariam, Sveviam & Helvetiam, & in Galliam cursum direxit; hinc Angliam repetiit; ubi aliquantisper commoratus, in Flandriam transmisit & Hollandiam. Circa autumnum redux in patriam, sequenti anno 1657. disputatione publicè habita, die 11. Febr. designatum munus professoriũ auspiciatur. Mense Junio proximè in sequenti, Facultati Medicæ, tertio Professor Medicus ordinarius, Regio mandato adscribitur. Matrimonio sibi junxit ANNAM JOHANNIS, Clarissimi viri Johannis Friderici, olim Rectoris Scholæ Roëskildensis, nec

non Gymnafii ejusdem Professoris & Canonici, unicam relictam filiam, ex qua filium unum, cum filia suscepit.

Scripta.

Problematum Matheseos *πεντὰς*. in 4. Haun. 1644.

Exercitatio de Caula Efficiente. in 4. Haun. 1645.

Disputatio Medico-Mathematica. in 4. Haun. 1647.

Introductio ad Geometriæ Methodum Renati Des-Cartes. 1651. in 4. Lugd. Batav.

Heliodori Lariffæi Opticorum lib. II. Græc-Lat, cum cum animadversionibus. Paris. 1657. in 4.

Analytica ratio inveniendi omnia problemata proportionalium, præsertim Harmonicè proportionalium. Haun. 1656. in 4.

De Æquationum Natura, Constitutione & Limitibus opuscula duo Flor. de Beaune. Amstel. 1659. in 4.

Dioristice, seu Æquationum determinationes. Haun. 1660. in 4.

Oratio Jubilæa. Haun. 1660. in 4.

De Nivis figura dissertatio. Haun. 1661. in 8.

Consideratio Astronomica Conjunctionis Magnæ Saturni & Jovis Anni 1663. Hafn. 1663. in 4.

De Problematibus Geometricis Hafn. 1664. in 4.

Atq; hæc, ex variis scriptis tam Medicis, quàm Mathematicis, quæ partim absoluta, partim nondum perfecta servat, tantum sunt facta publici juris.

PETRUS JOHANNIS RESENIUS

Natus est Hauniæ an. Chr. 1625. die 17. Jun. Parentibus, Johanne Johannis Resenio, quondam Episcopo Sie-
lag-

landiæ, & Thalia Winstrupia, filia Petr. Joa. Winstrupii olim quoq; dictæ Provinciæ Præfulis. Prima juventutis ac literaturæ spatia decurrit Hauniæ, partim in Schola privata, (manu ducentibus & docentibus Christiano Sie/ Jano Karmarchio, & Laurentio Martini, hodie Pastore atq; Præposito Naxschoviensi, felicibus ingeniorum formatoribus) partim in Schola publica, Rectore Mag. Severino Petræo, postea Regio Ethices Professore, Con-Rectore Mag. Georgio Hilarii filio, nunc Eloquentiæ Professore. Hinc anno 1643. 30. Maji, civitate Academicâ Hauniensi donatus, Rectore Doct. Olao Wormio & Decano Mag. Jacobo Finckio, Philosophiam & Theologiam in Regia Academia triennii ferè spatio didicit. Postea Collega Scholæ Hauniensis factus est an 1646. mens. Febr. ubi in erudienda informandaq; ad humanitatem juventute, uno anno consumpto, tituloq; , qui à bacca Lauri nomen habet, accepto, Brabeute Johanne Svaningio, nunc Archiepiscopo Sieldandiæ, an. 1647. mense Majo, in Belgium (socio itineris Erasmo Bartholino, jam Medicinæ & Matheseos Professore ordinario) delatus est, ubi Lugduni Batavorum Dan. Heinsium, Marc. Zverium Buxhornium, Bern. Schotanium, Mestertium, & Winnium, quorum tum celeberrima erat fama, per quatuor annos Præceptores habuit, incomparabilem virum Claud. Salmasium aliquoties consuluit, ibiq; per quatuor annos studiorum gratiâ commoratus est. Interea tamen, cessantibus sc publicis exercitiis, civitates Hollandiæ, Frisiæ, Brabantiæ & Flandriæ invisit. Lustratis deinde an. 1651. & 1652. Galliæ & Hispaniæ Academiis & Urbibus celeberrimis, Comitibus peregrinationis suæ, Nobilissimo Cornificio Trolle, & consultissimo Johanne Hessio, ex Gal-

Gallia deinde in Italiam trajecit, & Patavium, tanquam itineris metam, ingressus est, ubi integro anno vixit, Caimum, Galvanum & Octavium Ferrarium docentes audivit, legalis disciplinæ cursum ibidem absolvit, Confiliariatum Nationis Germanicæ Iuristarum, & Vice-Syndicatum Universitatis gessit, Antecessore Perillustri Barone Germanico cognomento *Gaas* / Successore v. Nobili Dano Georgio *Due* / supremoq; in utroq; jure gradu decoratus est an. 1653. 11. Sept. Promotore Marco Marchiano Vincentino, Examinatoribus Jacobo Caimo, Marco Aurelio Galvano, Jacobo Abbate de Sala, Hieronymo Sacco, Antonio Aloysio Andreghetto, Paulo de Castro & Scipione Gonnemio. Perlustratis verò Italiæ & Germaniæ Urbibus insignioribus in Patriam redux factus est anno prædicto 1653. mens. Novemb. & Hauniæ sedem Laremq; fixit, atq; anno 1657 Regiis auspiciis Ethicæ Professionis provinciam accepit, translato in vitam meliorem Mag. Severino Petræo Ethicæ Professore, disputationemq; inauguralem habuit anno sequenti, 1. Maji, eodemq; anno orationem auspicalem dixit. Post anno 1662. 23. Mart. Secundus Academiæ ICtus ordinarius renunciatus est, ac postremò an. 1664. 21. Aug. Consul Hauniensis est constitutus.

Scripta.

Disputatio Inauguralis Ethico - Iuridica de Iustitia & Jure.

Edda Islandorum Snorronis Islandicè, Danicè & Latine, cum duplici præfatione: Una de quatuor rationibus docendi Ethicam, Scriptoribusq; complurimis Ethicis; altera de Eddæ Sæmundi & Snorronis editione.

Phi-

Philosophia antiquissima Norvego-Danica dicta *Voluspa*/ Islandicè & Latinè.

Ethica Odini, vocata *Haavamaal*/ unà cum ejusdem appendice, appellata *Muna Capitulo*/ Islandicè & Latinè.

Promittit adhuc, 1. Orationem auspicalem de usu & necessitate Philosophiæ in Jurisprudencia; quâ occasione adducit optimos Juris Antistites, qui ob Philosophiæ cognitionem claruere, & aliquid singulare præstiterere, nec non magni nominis Ictos affert, qui ob ejus ignorantiam magnopere erravere.

2. Orationem de excellentia Juris Danici quoad causam efficientem, materiam, formam, & finem, in solenni Rectoratus mutandi actu habitam an. 1658.

3. Orationem de Fato Stoico ad lib. 3. Ethic. Nicomach. cap. 3. & 5. an. 1661. die 30. Maji in gradu Baccalaureatus habitam.

4. Orationem Jubilæam an. 1661. prid. Cal. Nov. hora 12. recitatam, de mediis, quibus Religio repurgata, ad hunc usq; diem sit propagata: qua occasione inter Catechismum Lutheri & scripta Ethicorum Ethnicorum, Philosophorum & Poëtarum, tum quoad ipsius Dei verba, tum quoad divinam Divini Lutheri explicationem, instituta est collatio.

5. Inscriptiones Danicas & Norvegicas.

6. Lexicon Islandicum à Gudmundo Andreæ Islando scriptum & à prædicto Resenio auctum.

7. Tractatum de Origine & Propagatione Ethices usq; ad nostra tempora per Scriptores Hebræos, Arabicos, Græcos, Latinos, Italicos, Hispanicos, Gallicos, Germanicos, Anglicos, Danicos & Islandicos.

8. Chronologiam Juris Civilis & Ecclesiastici, non so-

lùm Danici & Norvegici, verùm eti am Islandici & Grónlandici, Danicè & Latinè conscriptam ad imitationem Chronologiæ Juris Civilis & Canonici Romani à Freymonio, Contio, Giphano & tandem Frehero editæ.

9. Fundamenta Juris Civilis & Canonici sub titulo
Πρόχειρον τῶν νόμων, καὶ πρῶτων ἢ Νομοκάνων.
 10. Jurisprudentiam Romano-Danicam.

JANUS BIRCKERODIUS

Natus anno Christi 1623. die 12. Novembr. Patre Jano Hermannio, Pastore Ecclesiæ Birckeród in Sællandia, Matre Mariâ Jacobi filiâ, primò in ædibus paternis, sub privatis Præceptoribus ad annum duodecimum educatus, deinde publicæ disciplinæ Herlovianæ traditus fuit anno 1635. Quinq; in eo ludo literario annis transactis, civitatem Academicam impetravit anno 1640. mense Majo. Primum in Philosophia gradum consecutus est anno 1641. Inde ad officium scholasticum vocatus Herloviam anno 1642. binos ferè annos juventuti informandæ impendit. Ad exteros abire proposuerat initio anni 1645. sed irruptione Svecorum nuper in Cimbriam & Scaniam factâ præpeditus, in Schola metropolitana officium Collegæ per annum suscepit. Mox ad Academica studia reversus collegia Philosophica civibus aperire cœpit anno 1646. Mense Novembri in Hollandiam profectus, Leidensem Academiam præ cæteris elegit, in qua studia humaniora per annum & dimidium excoluit. Lutetiam venit anno 1648. mense Junio, ubi natus occasionem utendi interdum Regia Bibliotheca, beneficio illustris Claudii Salmasii, qui ipsum Dominis Puteanis commendaverat, annum & duos menses com-

mo-

moratus est. In Patriam reversus anno 1649. mense Septembri, Philosophica studia iterum cum juventute Academicâ in collegiis per biennium exercuit, interea Philosophiæ Magister anno 1651. mense Majo, publicè creatus. Anno 1652. mense Majo, Schola Slaglosiana ipsi demandata fuit, quam binos annos & quatuor menses administravit. Hinc, commotus auctoritate illustrissimi & magnificentissimi Herois CHRISTIANI THOMÆI SEHSTED, Domini in Stougaard, Cancellarii Regii magni, cujus favorem sæpiùs expertus fuerat, iter denuo in Hollandiam, Galliam & Germaniam suscepit. Reversus anno 1657. durante bello Svecico Hauniæ substitit. Ad Philosophiæ professionem vocatus à Serenissimo Rege FRIDERICO III. anno 1658. die 3. Octobris, pro loco disputationem *de Divinatione* habuit anno 1660. mense Aprili, versus finem obsidionis Hafniensis; juramentum verò præstitit proximè sequente 25. April. Post obitum M. Petri Spormanni, vicibus Professionum permutatis, Græcam linguam profiteri cœpit anno 1661. quo eodem labente, ipsis Calendis Septembris nuptias cum lectissima virgine ELISA NICOLAI F. Fridericiburgi celebravit, ex qua 3. filiorum Pater factus est.

Scripta.

Collegii Physici disputationes XVI. Hauniæ 1650. in 4.

Collegii Ethici disputationes VIII. Hauniæ. 1651.

Exercitationes contra Atheos de æterna divinæ existentiae & providentiæ veritate. Hauniæ 1660. in 4.

Synopsis locorum communium theologorum, cum dictis Hebraicis & Græcis in margine, & controversiis infra veram sententiam appositis. Haun. 1662. in 4.

Series chronologica actorum S. Petri & S. Pauli, loco
ordinariæ disputationis proposita. Hauniæ 1665.
in 4.

De Olympicis certaminibus libellus. Haun. 1655. in 4.

JOHANNES ENVALDI BROKMANNUS

Natus est Coægii, an. 1621. d. 16. April. loco honestis-
simo, Patre Envaldo Erasmi, Urbis Consule, Matre
Margarita Erasmi f. Educatus in paternis ædibus, pri-
mum domesticis Præceptoribus, deinde publicis in
Schola Herlufsiholmiana informandus traditur. Ex hac
in Academiam Hauniensem missus, an. 1638. Civitatem
consequutus est, Rectore M. Jacobo Finkio, Decano
Philos. Facult. M. Thoma Bangio. Postquam hic qua-
tuor annos apud Patruos D. Casparum & D. Johannem
Brokmanos transegisset, in Angliam concessit an. 1642.
Julio mense. Ibi in Academia Cantabrigiensi mense
Augusto Philosophiæ Magister renunciatus est. Post
Scotiam quoq; adiit, & inde reversus, an. 1644. d. 15.
Jul. Uxorem in Anglia duxit, Nobili loco natam AN-
NAM LAURENTIAM, è qua liberos 4. sustulit.
Redux in Patriam, Ecclesiæ S. Nicolai Hauniensis Pa-
stor constitutus est an. 1649. Illud munus resignavit
an. 1660. quod ob valetudinem tam frequentibus con-
cionibus habendis se imparem sentiret, ac Regiis literis
lectis in Consistorio d. 15. April. Theologiæ Professor
designatus, juramentum præstitit d. 5. Maj. Sed cum
d. 3. Jun. diem obiisset D. Jacobus Matthiæ Episcopus
Arhusiensis, ei successor à Serenissimo Rege datus est,
& antequam vel vacaret stipendiû in Facultate Theolo-
gica, vel ipse ullam Professorii muneris functionem obi-
ret,

ret, muneri Episcopali ab Archi-Episcopo D. Johanne Svaningio inauguratus est. Obiit Arhusii an. 1664. d. 3. Mart.

OLAUS BORRICHIIUS

Regiis literis, lectis in Consistorio d. 12. Jul. an. 1660. designatus est Ordinarius Philologiæ Professor, Humaniora & Poëtica docturus: & extra ordinem, Veris & Æstatis temporibus, Botanica: ac Hybernis Fundamenta Chemiæ traditurus. Disputavit pro Cathedra d. 27. Oct. ac Sacramentum dixit d. 3. Novemb. Degit, indulgente Serenissimo Rege, in Exteris, Director studiorum & peregrinationis Nobiliss. Gersdorfforum.

Scripta.

Parnassus in nuce. Haun. 1654. in 4.

Dissertatio de Cabala Characterali. Haun. 1659. in 4.

Disputatio de Lexicorum Latinorum jejunitate, & pendentibus inde Nobilium etiam Criticorum hæsitationibus: cum Additamentis Poëticis, Botanicis, Chemicis. Haun. 1660. in 4.

ERASMUS JOHANNIS BROCHMAND

Natus est Hauniæ an. 1626. d. 15. Decembr. circa horam 11. antemeridianam, Patre admodum Reverendo, Excellentissimo & Celeberrimo Johanne Erasmi Brokmand, S. S. Theologiæ in hac Regia Academia Professore: Matre, femina piissima, honestissima, atq; omnium matronalium virtutum decore splendidissima Druida Finkia, D. Thomæ f. Prima piis Parentibus cura fuit, ut recens in hanc lucem editus infans sacro fonte ab-

lucreretur, Deoq; & Servatori suo per solennes Ecclesiæ Christianæ ritus consecraretur. Deinde in paternæ disciplinæ gremio educatus, ac firmata ingenii vi, privatis Præceptoribus traditus, primarum virtutum literarumq; fundamenta percepit, usq; ad annum ætatis decimum, quo summus & laudatissimus ejus Parens vita hac excessit. Mox à Patruo suo viro admodum Reverendo, & per Christianum orbem Celeberrimo, D. Casparo Brokmand, Episcopo Sædlandiæ vigilantissimo, ac S.S. Theol. P.P. assumtus, domiq; ejus aliquandiu formatus, cum propensi in bonas literas & artes animi multam ederet significationem, in publicam disciplinam datus fuit M. Severino Petræo Calinburgio, Scholæ Metropolitanæ Rectori, & M. Georgio Hilario, tunc temporis ejusdem Con-Rectori, eximiis, diligentissimis & celeberrimis, atq; ad maximum patriæ juventutis commodum natis viris. Inde anno 1640. in Academiam translatus, Rectore Magnifico, Dn. D. Johanne Resenio Joh. f. S. S. Theologiæ Professore : Decano Philosophiæ, Dn. M. Erico Olai Tormio, Mathematices Professore Clarissimo : cum non nisi inusitatae virtutis, eruditionis & gloriæ domestica exempla haberet, eadem vestigia pre-menda esse rectissimè censuit, nihilq; eorum omisit, quæ ad acqvirendam rerum pulcerrimarum ac necessariarum ad majora ituro cognitionem reqviri videbantur. Primum diligentia suæ indefessæ præmium, ac majorum honorum pignus, lauream Baccalaureatus accepit, an. 1644. diribitore Viro Excellentissimo & celeberrimo M. Thoma Bangio, Facultatis Phil Decano, & Lingvæ Hebrææ Professore Regio. Mox cum Philologica & Philosophica ita tractasset, ut nihil ignoraret, quæ ad recludendas sublimiores & diviniore disciplinae ne-

ces-

cessaria erant, svasu magni Patru ad invadendam sacræ
 eruditionis possessionem ea ingenii promptitudine se
 contulit, ut anno sequenti 1645. summum applausum
 ob laudabilia specimina publicè edita à Censoribus gra-
 vissimis retulerit. Inde amicorum consilium sequutus,
 ut quæ ipse imbiberat, cum aliis communicaret, juven-
 tutem Quintæ classis Scholæ Cathedralis Roëskildensis
 informandam suscepit an. 1645. d. 8. Julii. quo officio
 per duos annos functus haut obscura industriæ suæ do-
 cumenta Reip. Literariæ reliquit. Ne verò his vacans
 majora negligeret, celebriores Musarum sedes adire sta-
 tuit, ut ex principibus apud exteros literati ordinis viris,
 ad Lingvarum, Historiarum, sublimiorumq; disciplina-
 rum arcana, omniaq; magnis conatibus profutura, magis
 ac magis proficeret. Iter ingressus, Hollandiam pri-
 mo invisurus, Amstelodamum an. 1647. Julii 25. appulit,
 unde se ad celeberrimum illud Batavorum Athenæum,
 quod Lugduni est, contulit: cujus loci opportunitas ita
 ei placuit, ut aliquot ibi annos studiorum continuando-
 rum gratia commoratus sit, familiari consortio usus Pe-
 tri Scriverii, Marci Zverii Boxhornii, nec parū à Clau-
 dio Salmasio, Daniele Heinsio & Jacobo Mæstertio, ma-
 ximis seculi sui luminibus, amatus. Post exactos eo in lo-
 co tres integros annos, lustratas quoq; præcipuas totius
 Belgii fœderati urbes & Academias, iter in Angliam su-
 scipit an. 1650. è Zeelandia trajectus Londinum: un-
 de per duos menses perlustrata Bibliotheca Vest-Mona-
 steriensi, & salutatis celeberrimis viris, Joanne Seldeno
 & Henrico Hammond, Oxonium se contulit: ubi in e-
 volvendis præcipuis totius Bibliothecæ Bodlejaniæ, alio-
 rumq; Collegiorum, in primis Ædis Christi libris inte-
 grum annum consumpsit: nec stationem adeo commo-
 dam tam cito deseruisset, nisi belli Civilis motibus com-
 pul-

pulsus, Londinum secedere cōactus fuisset. Decem menses ibi securitatis causa substitit, sed nequaquam otiosus: cui vitio aliisque inimicus horas omnes studiis collocabat, digressus tantisper, dum viæ patebant, ad Cantabrigiensem Academiam: in qua & Bibliothecas lustravit, & doctissimos viros sibi notos faventesque reddidit. An. 1652. mense Julio, cum omnia bellicis tumultibus personarent, mariaque infestis navigiis plena essent, sub præsidio Legatorum Belgicorum, quibus se comitem adjungebat, feliciter in Hollandiam rediit, ac mox dulcedinis antiquæ Lugdunensis memor, hunc locum præ cæteris elegit, ubi per annum subsisteret. Inde per Frisiam, Oldenburgum, Bremam, Holsatiam, in Patriam plenus bona studiorum morumque fruge rediit. Exceperunt eum primo, læta mater, cæteri que amici an. 1653. Sep. 24. deinde publici honores & officia: quibus dignum eum ex studiis tam dextrè susceptis & absolutis, Potentiss. & Clementiss. Rex FREDERICUS III. judicavit. Nam Regiæ Soranæ an. 1654. 7. Decemb. Historiarum Professor constitutus, Academici laboris primum mense Martio disputationis pulcherrimum edidit specimen: sequenti verò anno Magister & Philosophiæ Doctor creatus, Professionem sex annis, Decanatum uno, scilicet, 1657. cum laude administravit. An. 1660. ad vacantem in hac Academia Professionem Theologicam à Clementissimo Rege vocatus fuit 20. Novembr. in qua dignitate adeo assiduum & diligentem se præbuit, ut nunquam se à gravissimi muneris officiis ullo unquam impedimento avocari passus fuerit. Rectoratus Academici sceptrum & fasces, publicè communibus suffragiis, more majorum, in Templo D. Virgini sacro suscepit an. 1664. Junii die 16. Cujus officii amplitudinem

eā pietate & assiduitate tueri cœpit, ut magna bonorum
 omnium expectatione ex indefessis ejus laboribus, ac
 singulari prudentia, quam in omnibus vitæ actibus exhi-
 buit, ingentes sibi fructus & præclara quæquæ; Academia
 hæc certò sibi promitteret. Matrimonium contraxit an.
 1655. ducta domū uxore, lectissima atquæ; omnibus sexus
 ornamentis condecoratissima Virgine, ELISA PETRI,
 Viri amplissimi Petri Petræi Consulis hujus Civitatis
 prudentissimi filia: qua cum nuptias 4. Novemb. hac in
 urbe celebravit. Fecit hæc eum felici partu quintum
 parentem: & si addas posthumam prolem, sextum. Ejus
 constans & seria erat in Deum pietas, suavitas in uxorem
 comitas, gravis in filios humanitas, fides in amicos can-
 dor, eadem verò & privatæ & publicæ vitæ rectitudo,
 atquæ; in officiis summa prudentia & moderatio. Longio-
 rem vitam ipsi omnino exoptasset bonus quisquæ;. Langvi-
 das à primis adolescentiæ annis acceperat corporis vires,
 hypochondriorum malo subinde fatigatus: anno verò
 1664. quo labores plurimi & maximi adeundi erant, vi-
 tium hoc per insidias agere cœpit, donec collectam in-
 tra viscera utriusquæ; bilis colluviem, 30. Julii, per alvum
 paulo liberius egerere inciperet: quod morbi initium,
 extra vitæ periculum ipsi fortè fuisset, si animo suo per-
 svadere potuisset tantisper à publicis iisquæ; gravissimis
 Academia negotiis quiescere, donec recenti adhuc ma-
 lo præsidium quæreretur; sed potior ipsi fuit salus pu-
 blica, cui se semel consecravit, quam privatarum rerum
 sollicitudo. Tres enim à primo morbi aggressu dies in-
 ter publicas preces & negotia Academica divisit: unde
 factum, ut neglectum initio malum altius radices egerit:
 quarto enim die morbus in apertum prodiit, effusa αἷω
 καὶ κίτω immensa bilis colluvie. Itaquæ; sollicitis de tanti

mali remediis, suavissimæ Conjugi, Matri ac propinquis affuit Vir Excellentiss. & Experientiss. D. D. Christianus Ostenfeldius, Med. in hac Reg. Acad. Professor Ordinarius, qui adhibitis summa fide iis remediis, quibus furenti malo obviam iretur, omnia humanitatis officia quam diligentissimè ægro exhibuit. Cum verò sequenti die febris se adjungeret, in partes quoque vocatus est Vir Excellentiss. D. D. Christianus Fabricius, Medicus hujus Urbis practicus experientissimus. Ita junctis consiliis nihil uterque intentatum reliquit, quod ad curandum morbum humana solertia ex Artis præscripto excogitare unquam potuit; sed communes conatus elusit mali contumacia: qua victus tandem æger Divinæ voluntati se submisit, morbiq; vehementiam piis precibus & suspiriis toleravit, donec, post habita quædam cum amicis pia colloquia, ac data suavissimæ uxori ultima solatia, die 8. August. an. 1664. exspiravit, circa horam 7. postquam annos 37. menses 10. dies 24. explevisset. Funus à Pro-Rectore Academiae M. Bartolo Bartolino publico programme indictum est. Corpus Templo S. Trinitatis est illatum.

Scripta.

- Oratio funebris in exsequias Regis CHRISTIANI IV. dicta in Academia Lugdunensi Batavorum, d. 2. Decemb. an. 1648. Lugdun. Bat. 1649. in fol.
Ethices Historiæ Specimen. Lugdun. Bat. in 8.
Disquisitio de Historiæ legitimæ notis. Soræ 1655. in 4.

DANIEL PHEIFFIUS

Anno æræ Christ. 1618. 3. Id. Quint. natus, Patrem habuit Virum consultissimum Johannem Pheiffum J. U. Doct.

Doct. & in Pomerania Ducalis Iudicii Advocatum: Matrem, feminam ornatissimam, Mariam, Viri Excellentiss. Jacobi Fabri, S. S. Theologiæ Doctoris, & Stetinensis ditionis in Pomerania Superintendentis Generalis filiam. Puer summa cura est à Parentibus educatus, & non modo domesticis exemplis ad veram pietatem & Christianas virtutes assuefactus; sed à privatis informatoribus quoque, quod, prima statim pueritia, optimè indolis illustra ederet specimina, & cum ingenii docilitate conjungeret discendi studium, humanioribus disciplinis imbutus, usque ad annum ætatis duodecimum: quo tempore, sub affinis sui, viri celeberrimi, de Ecclesia & Scholis optimè meriti, Danielis Crameri S. S. Theologiæ Doctoris & Professoris inspectione, juxta cum ejus liberis cœpit erudiri. Elapso biennio, Viro Clariss. Iohanni Micrælio, tunc temporis Scholæ Rectori, postea S. S. Theologiæ Doctori & Professori, datus est publicè privatimque informandus. An. 1634. ætatis suæ 16. in Stetinense: inde an. 1636. in Dantiscanam Gymnasium est missus, ad consanguineum suum, M. Iohannem Cramerum, ibidem ad S. Iohannis ædem Pastorem: ubi affinem suum, Clariss. Virum, Botfaccum S. S. Theologiæ Doctorem, & M. Iohannem Mochingerum audivit, ibique ad Theologicum studium applicuit animum, cum antea, ex Parentis consilio, juris studio se tradidisset. An. 1637. Regiomontum adit: ubi in Theologia Præceptores habuit Viros Excellentiss. Doct. Bohemum, Misilentam, Calovium: in Philosophia, Mag. Eiflerum: præcipuè autem variis D. Calovii Collegiis interfuit. In qua Academia postquam esset commoratus usque ad an. 1639. in Francofurtensi Academia substitit per aliquod tempus. Hinc per Roslochium venit in Daniam, ubi

ab Affine suo, Viro Consultiss. D. Henrico Ernstio, tum temporis in Academia Sorana Professore, & postea Consiliario Regio, & in Collegio Cancellariæ ac supremo Tribunali Assessore, commendatus Nobiliss. Viro Georgio de Ahlefeldt, ad informandum ejus filium est adhibitus. Ubi cum publicè, tum opponendo & respondendo, tum concionando, sese exercuissent præclaræ ejus dotes, cum singulari morum honestate conjunctæ, ita se probavit optimo cuiq; ut Nobiliss. Viri, Henricus Ramel, Academiae Præses, Consanguinei sui Christiani Bernekou, & Christophorus Urne, Eqves Auratus, ac Regni Cancellarius & Senator, filii sui Christiani Urne, studiis eum præfecerint. Cum quibus Nobiliss. Adolescentibus in exterarum regiones profectus est, Argentinam: ibiq; aliquandiu commoratus, edita dissertatione, de Mystica Christi & Fidelium unione, piæ eruditionis eximium argumentum dedit. Tum Galliam, Italianam, Germaniam, Belgium, Angliam peragravit, & ubiq; perlustratis præcipuis urbibus, postquam sexennii spatio cum doctissimis viris esset versatus, an. 1651. in Daniam feliciter est reversus. Innotuit statim PHEIFFII nomen Generosissimo Heroi Dn. CHRISTIANO THOMÆ SEHSTED Sereniss. Reg. Maj. Cancellario, Ecclesiarum, Academicarum, Scholarum, Doctorumq; virorum Patrono, à quo tantam inuit gratiam, ut hic eum promovere decreverit, ideoq; Ser. Reg. Majestati eum commendaverit. Eodem anno à Germanica Natione hujus Urbis est ad Sacerdotis munus vocatus: quod officium postquam per triennium, summa cum vigilantia & fide administrasset, defuncto Viro Excell. Thoma Lindemanno S. S. Theologiæ Doct. & ad dictam S. Petriædem Pastore, à Seren. Reg. Majestate, magno cum gau-

gaudio universi cœtus, qui summopere eum venerabatur, Pastoris muneri est præfectus: Indeque ob præclara merita, perhonestam vitam, & eximiam eruditionem an. 1662. d. 3. Febr. vocatus ad S. S. Theologiæ in Regia hac Academia Professionem. In quo arduo munere, si vitam ei permisisset Deus Opt. Max. non minorem adhibuisset diligentiam, quam in Ecclesiastico munere per annos undecim spectandam dedit. An. 1652. 17. Cal. Jun. nuptiarum solennia celebravit cum Virgine ornatissima, GERTRUDE LUND, viri honestissimi, Olai Lund, Nicopiæ Falstrorum olim Senatoris filia: ex qua suscepit filias tres, moriensque quarta gravidam reliquit. An. 1662. d. 3. Sextilis, peracta concione, in sinistro latere dolorem sensit: qui tamen postea remisit usque, adeo ut sequente feria tertia habuerit concionem funebrem. Qua finita, aggressus eum denuo est dolor, cum continua urinæ suppressione conjunctus. Quocirca uxoris & amicorum svasu, arcessitus est Vir Celeberrimus, D. Thomas Bartolinus, in Regia hac Academia Professor Honorarius, & Medicæ Facultatis Decanus, qui præscriptis lectissimis medicamentis, nihil omisit, quod ad recuperandam valetudinem posset conferre, simulque pro singulari sua modestia auctor fuit, ut in partem curæ adscisceretur Vir Experientiss. D. Paulus Moth, Seren. Reg. Maj. Medicus. Itaque communicatis consiliis nihil reliquere intentatum, quod suppeditabat medendi ars. Interea æger ad animæ salutem omnes cogitationes curasque convertit, & 14. Sextilis die, dicta sibi à Verbi Divini ministro gratuita per fidem in Christum peccatorum remissione, devoto sacræ coenæ usu, ad beatum obitum se paravit, quem fortissimo animo Christianaque fidei plenissimo excepit, 11.

plorata Servatoris sui ope, d. 18. Sextilis, hora matutina media quarta, postquam annos exegisset 44. mens. 1. d. 4. Funus à Rectore Academiae D. Petro Scavenio indictum est. Sepultus est in Templo S. Petri.

JACOBUS HENRICUS PAULI

D. Simonis Pauli Medici Regii ex Elisabetha Fabricia filius, Civitate Academica Hauniensi donatus an. 1655. mense Junio: designatusq; Regiis literis, primùm an. 1662. mense Majo, Anatomiae: deinde Historiarum an. 1664. mense Septembri, Professor in hac Regia Academia, disputavit pro Cathedra an. 1663. d. 23. Maji, & d. Jun. 17. sacramento se Academiae obstrinxit, ac d. 7. Oct. à M. Stenbukio Decano Philosophiae Magister renunciatus est. Degit, indulgente Serenissimo Rege, in Exteris.

Scripta.

Anatome Anatomiae Bilbianae, in primis circa vasa Mesenterica, uti & Labyrinthum in ductu rorifero occupata. Haun.. 1663. in 4.

Epigrammata varia, diversis locis impressa.

WILHELMUS WORM OLAI F.

Natus est Hauniae anno 1633. die 11. Septembris, Patre Olao Worm, Med. D. ac Professore Regio, Matre Susanna, Matthiae S. S. Theol. D. ac Episcopi Lundensis filia. Inter privatos primum parietes ad 14. usq; ætatis annum studiis admotus est: in patria deinde Schola, duce Mag. Georgio Hilario, triennium literis humanioribus impendit, unde anno 1650. Rectore Academiae M. Petro Sporman, Decano autem M. Thomá Bangio, civium

vium Academicorum numero adscriptus est. Mox summum virum D. Thomam Bartholinum privatum studiorum elegit moderatorem, cujus juncto cum Parentis voluntate prudentissimo consilio, primò se totum Philosophiæ addixit, dein Theologiæ. Quarum scientiarum Candidatus, tandem quoque artem servandorum hominum deperire cæpit, quam cum apud exteros, & maxime in Belgio addisci posse intellexisset, exactâ prius in Anglia æstate anni 1652. quò in comitatu illustrissimorum Heroum, Erici Rosenkrantz ac Petri Reetz, concesserat, post impetratis domi supremis in Philosophia honoribus, Lugdunum Batavorum petiit, ubi per biennium Vorstio, Kypero, Lindano, & Hornio operam dedit. Patavii deinde, Monspelii, Parisiis ac Tubingæ Medicis assiduo vacavit studiis, per integrum decennium, quò ipsum tenuit Anglia, Belgium, Germania, Gallia & Italia, viris toto orbe celeberrimis perquam familiariter usus. Functus interim Patavii Bibliothecarii munere, sic volente Natione Germanicâ. Anno 1657. d. 21. Augusti à Petro de Marqvettis ibidem Medicâ decoratus est laureâ. Veronæ celeberrimo Medico Petro à Castro in visitando ægros per biennium assiduum se præbuit comitem, eidemque Mantuam vocato, ut Archiatri munere fungeretur, per semestre spatium se adjunxit. Ultimis denique peregrinationis suæ temporibus, rogatus curam egit ægrotorum, qui in familia illustrissimi Hannibalis Schelstedt, tunc temporis Oratoris Regii ad Gallos missi, Parisiis erant quamplurimi. Anno tandem 1662. cum Monspelio iter in Hispaniam meditaretur, Regiis literis in Patriam revocatus est, datumque ipsi Physicam Experimentalem publicè docendi munus. Paruit Clementissimo Regis sui mandato, & die 3. Maii,

anni 1663. Patriæ se reddidit, dieq; 5. Martii sequentis anni de Corporis fluidi ac firmi naturâ & Phænomenis publicam cum celeberrimis Academiæ Hafniensis Professoribus disquisitionem habuit, atq; hinc cum die 23. April. sacramentum dixisset, Professorum numero adscriptus est. Ex quo tempore bis oravit, semel in creatione novi Rectoris, iterum cum annum, pro more Academico, ob restauratam Religionem celebraretur Jubilæum.

CHRISTIANUS NOLDIUS

Natus in Scania, ann. 1626. 22 Jun. Patre Dn. Jacobo Noldiô, Ecclesiæ Hôybyensis, (dum viveret) Pastore: Matre Sophiâ Haggæi fil. Ann. 1633. Scholæ Cathedrali Lundensi nomen dedit, Rectore M. Janô Schelderiô. Ex ea ann. 1644. ad Academiam Hafniensem dimissus fuit, nomenq; inter cives obtinuit, Rectore M. Jacobo Finchio, Decano Facultatis Philosophic. M. Thom. Bangio. Hafniæ studia Academica tractavit, usq; ad ann. 1650. 20. Jan. quô ad Rectoratum Scholæ Coronensis est vocatus. In quo officio ann. 1651. Magistri Philosoph. titulum obtinuit. Ann. 1654. propter iter in Exteros officium hoc resignavit. Prima cura fuit perlustrandi Germaniam: in qua hinc inde visis Academicis, & consultis, qui famâ eruditionis clari erant, studiorum arbitrum præcipuè elegit Virum Celeberrimum, Joh. Georgii Dorscheum, Theologum apud Germanos Clarissimum. Cujus ipsi virtus & humanitas non parum profuit. Inde digressus ad Belgas, Anglos, Gallos, aliosq;. Ann. 1657. rediit in patriam; & ibi per trimestre ordinatâ re domesticâ, statuit iteratò ire in Belgium: ubi in Academia Franeqverana & Leidensî
 stu-

studiis aliquandiu dedit operam. An. 1659. rediit in Angliam, & hinc per Flandros, Brabantos & Hollandos reversus in Frisiam, an. 1660. vocationem accepit à Perillustri Dn. Joachimo Gerttorphio, Regni Daniæ Aulæ Magistro, qui ipso ad curam filiorum suorum uti voluit. Cum vacasset aliquandiu Professio Theologica, an. 1664. 9. Maji, ad eam à Rege Serenissimo est vocatus, Juramentò præstitò, 18. Maji. Et cum Magnificus Academiæ Rector Mag. Erasmus J. Brokmannus mense Augusto ejusdem anni diem obiisset, ex voluntate & mandato Seren. Reg. Majestatis, ut ejus anni magistratus penes Facultatem Theologicam maneret, Academiæ Rector in Consistorio renunciatus est die 10. Novembr.

Scripta.

- Leges Distingvendi, seu De Virtute & Vitio Distinctionis opus. Franeqveræ 1657. in 12.
- Historia Idumæa, seu De Vita & Gestis Herodum Diatribe. Franeqveræ 1660. in 12.
- Sacrarum Historiarum & Antiquitatum Synopsis. Haun. in Patent.

Pag. 92. inser. inter Skelderupium & Scavenium.

LAURENTIUS JACOBI OLDORPHIUS

Professor Pædagogicus an. 1551. Inde an. 1553. constitutus Lector Theologiæ Arhusii. Obiit illic an. 1601. 21. Jul. Sepultus est in Templo Cathedrali. Monumentum hoc habet:

Reverendus & pius Vir M. Laurentius Jacobi Oldorphius Eynbo, Ecclesiæ hujus Cantor, Canonicus, & Vicarius,

rius, postquam biennium in Academia Hafniensi Pædagogum egisset: vocatus est huc Arhusiam in Theologiae Lectorem, anno à nato Christo 1553. cui officio præfuit annos 24. Deinde anno 1576. Cantoriæ præficitur, cum diligentia officium faciens annos 23. Vixit in conjugio annos 47. suscipiens ex vna uxore filios 9. & 4. filias. Obdormivit in Domino an. 1601. 21. Julii. ætatis suæ 84. Elephas non curat muscas.



Atq; hi quidem oblatas Professiones recepere, quamvis quorundam institutum, vel mors, vel aliæ occupationes prævenerint, ne ullo Professorio munere functi sint: Sequuntur, qui vocati suas habuere causas, cur in hunc Ordinem cooptari recusarint.

Mag. DAVID CHYTRÆUS ad Professionem Theologicam, an. 1552. Is postea Theologiæ Doctor & Professor fuit in Academia Rostochiensis, Theologus & Historicus Clarissimus, & in Historia bene de Orbe Septentrionali meritus.

Doct. PAULUS CYPRÆUS ad Professionem Juridicam an. 1578. Fuit is Jurisconsultus & Consiliarius Principis Slesvicensis.

Licent. JACOBUS BORDINGUS ad Professionem Juris Civilis an. 1578. vid. pag. 97.

Mag. NICOLAUS GEORGII ÆRYLÆUS Rector Scholæ Sorensis ad Professionem Pædagogicam an. 1607. Is postea CHRISTIANI Principis Electi adolescentiæ moderator fuit.

Doct. MATTHIAS JACOBI F. ad Professionem Medicam an. 1613. Is sequente anno in Aulam vocatus est.

Mag.

Mag. **TANCREDUS LÆLIUS** ad Professionem
Metaphysicam an. 1625.

JOHANNES RHODIUS Hauniensis, Patavii mul-
tos annos degens, ad Professionem Physicam, an. 1631.
Obiit an. 165

Licent. **PETRUS LASSONIUS** Randrusiensis ad
Professionem Juris, an. 1649. Is postea Regius Consi-
liarius fuit an. 1660.

Meminisse quoq; hic libet eorum, qui amplissimis
DONATIONUM monumentis sempiternam nomi-
nis sui memoriam apud Academiam consecrarunt, quo-
rum quidam mihi superius memorati; aliis ibi locus da-
ri non potuit, quem sua in hanc Rem Literariam bene-
ficia exposcunt. *

Illust. Gens **FRISIA**, cui Gentilitia insignia tres sci-
uri. vid. pag. 24. Addantur istis hæc de **JOHANNE**
FRISIO Cancellario ex Mag. Andreae Velleji Episto-
la ad Petrum Oxe & Concione in Exsequiis **FRISI** ha-
bita, quæ serius in meas manus pervenit.

Natus est an. 1494. d. 20. Febr. Parentibus primæ
Nobilitatis, Patre Casparo Fris de Lundbygaard, Ma-
tre Anna Brockenhus. Patrem amisit an. 1504. Sed
jacta, pia cura ac sollicitudine Optimorum Parentum,
fundamenta pietatis, virtutis & eruditionis gnaviter in
tenera illa ætate excoluit: missusq; primùm in Scholam
Otthinensem, & inde in Arhusiensem, plurimum ductu
Doctoris Martini Bórupii, Scholæ Arhusiensis Rectoris,
celebris per universum Regnum formandæ juventutis
Magistri, in bonis ac honestis artibus profecit. Postea
Hauniam concessit: unde jam auctior, consulentibus
Propinquis, uberioris cultus & rerum usus capiendi gra-

tia, in Exteras oras discessit. Et eruditionis quidem testimonium Coloniae Agrippinae obtinuit, suprema laurea Philosophica & Magistri Liberalium Artium titulo ornatus. Quod quidem ea aetate apud omnes Nationes in pretio erat, non tantum inter Plebejos, sed etiam inter Illustri genere oriundos, qui Eruditioni & Artibus liberalibus majus statuebant pretium, quam sequenti aetate factum. Postquam verò FRISIUS jam varias peragrasset regiones, in Italiam quoque venit, Romaeque circiter annum & semestre substitit, vivente LEONE X. Pontifice Maximo. Tum in Patriam rediit an. 1620. Et mox, quia se utilem Patriae Civem reddiderat, in Collegium Cancellariae cooptatus est, & quidem memorabili die, quo CHRISTIANUS II. in Monasterium Nydalense divertit ex itinere, Stockholmia in Daniam rediturus. Coeperat paucis ante annis LUTHERUS Pontificem Romanum oppugnare, fido in primis socio MELANCTHONE. Hos Viros videndi audiendique cupiditate incensus FRISIUS, Vitebergam, captata occasione, abiit, veraque fidei ac religionis gustu percepto, praecipuus inde Patriae auctor fuit, ut Pontificiam ejuraret doctrinam. Quod equidem summum à Deo huic Regno per ipsum praestitum beneficium censetur, inter infinita alia sub Imperiis Optimorum Regum FREDERICI I. CHRISTIANI III. FREDERICI II. quibus omnibus carissimus erat ac in pretio habitus, ob fidem ac excellentes animi dotes, & promptissimum studium, quod totos 50. annos Patriae, sub Regibus quatuor, impendit: Ecclesiae Dei in hisce Regionibus Nutricius & Civis piensissimus: Cancellarius prudentissimus: Regni Senator Consultissimus: Academiae hujus Conservator primus, in primis beneficus: Generis sui

Nobilissimi & Universæ Nobilitatis Danicæ Ornamentum incomparabile: Scholarum egregius Fautor: Pauperum jure Solatium: Oppressorum Ara: Afflictorum Portus: Ævi sui Delitiæ, & omnium ordinum atq; ætatum multijugæ Virtutis Exemplar absolutissimum: Vir in hoc orbe nostro Septentrionali, ob innumera præclare & benè facta, perenni memoria laudatissimus: ob moderatissimi animi arduam generositatem & innocentiam morum suavitatem, etiam apud Exteros populos, fama sui nominis, gratia & auctoritate reverendus: Divinarum atq; humanarum Disciplinarum, sed Antiquitatis peculiariter, omnimoda cognitione, tum propter incredibilem ingenii acrimoniam, atq; inusitatæ memoriæ tenacitatem, tum propter exacti judicii dexteritatem & rerum memorabilium felicem experientiam, ad miraculum usq; excellens. Heros tetragonus, perpetuo cælebs, in summæ gloriæ fastigio, DEI, sui ipsius & omnis decori, catus memor: supra Fortunæ minas, semper & ubiq; sibi constans. An. 1570. mense Novembri, cum Nycopiæ Falstrorum Regi adesset, accedentem morbum sentire cœpit: itaq; Hauniam redire instituit; sed ingravescens malum Coægium Sædlandiæ delatum, ultra progredi vetuit. Et jam lecto affixus, primam animæ ac æternæ salutis curam habuit, per Pastorem Oppidanæ Ecclesiæ & Mag. Andreã Vellejum, Haunia evocatum: alteram corporis & valetudinis, per Doct. Martinum Ædituum, Archiatrum. Demum vi morti victus, vitæ hujus satur. & melioris flagrans desiderio, in vera J. C. invocatione placidissime obdormiscens, ex hac vita in cœlestem commigravit hora 11. vespertina, d. 5. Decemb. an. Chr. 1570. ætatis 76. mens. 9. d. 13. Cum paucis ante obitum horis præcepisset de exsequiis suis,

& Epitaphium hoc dictare cœpisset: *JOHANNES FRIS Dn. de Hesselagger, anno ætatis 73. de morte cogitans, fieri fecit.* neq; plura addidit, monens Nicolaum Kaas cœtera persequuturum. Quam ejus voluntatem hic quoq; exsequutus est: quippe exstat in calce dictæ Concionis, quod ipsi scripsit Epitaphium: item aliud scriptum a Casparo Paslick, Dn. de Liddou: & tertium, auctore Martino Ædituo Medico: præter Carmina ab Henrico Rantzovio scripta ad effigiem ejus Bredenbergæ dedicatam: quæ vide in Delic. Europ. Nathan. Chytræi.

*

Illustr. CHRISTOPHORUS VALKENDORF de Glorup, magnus Aulæ Regiæ Magister & Regni Senator, insignis Reip. administrandæ Antistes: Liberalissimus Scholarum & Ecclesiarum Patronus: Pauperum Altor: Bonorum omnium commune perfugium & asyllum: præterquam quod sua beneficentia plures pauperes Studiosos indies alebat, & sua munificentia in exteris Nationibus sustentabat, & mendicos, orphanos, viduas sua liberali eleemosyna quotidie benigne saturabat: Etiam Templo Academico 500. thal. Imper. legavit: & Domum Via Petrina cum adjacente horto, habitationibus & usui 16. Studiosorum, cum sorte 6100. thal. Imper. consecravit: ut non solum commodissime habitent, pietatisq; & bonarum artium exercitiis vacent, sed etiam aliis rebus ipsis liberalissime prospiciatur. Tabula DONATIONIS perscripta est an. 1595. d. 16. Jul. Vixit & hic cœlebs. Obiit Hauniæ an. 1601. Funus Civibus Academicis publico programme indictum est a Rectore Academia D. Andrea Christiani f. sepultus est in summo Choro Templi D. Virginis, ubi
in

columna Septentrionali ejus Epitaphium cernitur cum hac inscriptione :

CHRISTOPHORUS VALKENDORPIUS de Glorup, humanæ conditionis memor, hoc sibi monumentum vivens fier. cur. Qui tribus Regibus CHRISTIANO III. FRIDERICO II. CHRISTIANO IV. ob singularem industriam & in rebus administrandis sedulitatem summam carus. Quod favorem laboribus respondisse sensit, Numinis benignitati attribuit, idq; in votis habuit. Vices fortunæ variæ interdum graves ferendo superantur. Aulæq; Magister factus, œconomiam ad Regis votum ita reparavit, ut sui desiderium bene meritis relinqueret. Morbo tandem gravi solutus vitæ vinculis, jugi suspirio, a quo hauserat, Deo Opt. Max. Spiritum commendavit. Luxere Musarum Alumni Patronum beneficium & faverent. Moritur Hafn. 1601. Januarii 17. Lapidis sepulcri hæc incisa sunt :

CHRISTOPHORI VALKENDORPII de Glorup, quondam Aulæ Magistri, exsuvie revelationem filiorum Dei spe viva hic expectant. Obdormivit in Domino Hauniæ anno 1601. Jan. 17.

*

Illustr. **HOLIGERUS ROSENKRANTZ** de Rosenholm, Regni Daniæ Senator, divinis virtutibus, sublimi sapientia, admiranda acerrimi ingenii vi omnium rerum capace, piis factis quam plurimis, incomparabilis & celeberrimus Heros, Studiose Theologiæ in exteris de-

degenti sortem 2500 thal. Imper legavit an. 1622. Obiit Hauniæ an. 1642. d. 28. Octob. inter hor. 1. & 2. Etatis anno 68. quippe natus an. 1574. d. 14. Dec. Funus publico Programmate Civibus Academicis indictum est à Rectore Academiæ D. Olao Vormio: Exsequiæ illi factæ in Templo D. Virginis.

*

Illustr. Gens SKELIA, Antesignano Illustr. CHRISTIANO SKEL de Fussinge, Regni Daniæ senatore prudentissimo & integerrimo, Pauperibus ac bonarum Artium, integræq; famæ Studiosis, 10000. thal. Imper. legavit an. 1647. Ex ea sorte, 1000. th. legati ab OTTHONE SKEEL, de Hammelmosse, Equite Aurato, Regni Senatore, suo loco depositi sunt: 9000. th. cura Academiæ commendata est.

*

Nobilis, Viri an Feminae? memoriam Academiæ commendat legata Pauperibus Studiosis fors 500. thal. Imperial.

*

PETRUS ALBERTI, Professor. p. 55.
 ANDREAS LYMVICUS, Professor. p. 137.
 THOMAS FINKIUS, Professor. p. 160.
 PETRUS VINSTRUPIUS, Episcopus. p. 170.
 JOHANNES RESENIUS, Episcopus. p. 175.
 CHRISTIANUS LONGOMONTANUS, Professor. p. 212.
 CASPARUS BROKMANNUS, Episcopus. p. 233.
 SILLIA BALKENBURGIA uxor superstes. p. 239.
 Obiit an. 1661. in Jul. Funus ab Academiæ Rectore D. Johanne Mullero indictum est. Sepulta est apud Virum in choro Templi D. Virginis.

CA-

CASPARUS BARTOLINUS, Professor. p. 244.

CHRISTIANUS STOVGARDUS, Profefs. p. 350.

ERASMVS BROKMANNVS, Professor. p. 366.

ELISA PETRÆA uxor Gelstrupii Professoris, Bibliothecam Viri defuncti legavit Academiae. Obiit an. 1659. Sepulta apud Virum in Templo D. Virginis.

MEDEA VINSTRVPIA Nicolai Petræi Professoris uxor, legavit Pauperibus Studiosis 400. th. Imp. & Templo Trinitatis 200. th. Imp. Obiit an. 1659. in Jun. Funus indictum est à Rectore Academiae M. Erasmo En. Brokmanno. Sepulta est in Templo D. Virginis apud virū.

HENRICUS FYRENIUS D. Georgii & Margaritæ Finkiaef. natus Hauniæ an. 1614. d. 28. Maji, Medicinæ Doctor creatus Basileæ an. 1645. legavit Templo Trinitatis 500. thal. Imp. Pauperibus Studiosis 500. th. Imp. Academiae Bibliothecam Medicam in Palatio supra Templum Trinitatis collocatam, cujus catalogum edidit Frater **TH. FYRENIVS** an. 1660. & è sua Bibliotheca supplevit, quæ videbantur desiderari, adeo ut in universum Bibliotheca hæc jam constet voluminibus 1025. Sub-Bibliothecario Academico 300. th. Imp. Domui Anatomicæ Musæum Rariorum rerum Naturalium: Facultati Medicæ 500. th. Imp. præter alias donationes in alios pios & publicos usus factas. Obiit Hauniæ an. 1659. d. 8. Januar. Funus programmate publico indictum est à Pro-Rectore D. Christiano Ostenfeld: & Orationem illius memoriæ & meritis consecrauit D. Thomas Bartolinus.

FRANCISCVS VILHELMI Canonicus Lundensis & Telones Regius Hauniensis, Bibliothecam optimorum Auctorum, cum in Philosophia & Artibus, tum in Theologia, scriptis instructam, in usum Pauperum

Studioforum, Scholasticorum & Ministrorum Verbi in urbe Hauniensi instituit, cura ejus Rectori Academiae, Episcopo Sædlandiæ, reliquisq; Professoribus, tum tribus Pastoribus in hac urbe, & Ludimagistro commendata: sicut ipse in Tabula Donationis perscripsit an. 1565. Sita est in domo Templo Academico contigua: in quo supra ostium graduū, quibus ad illā ascenditur, Tabella lignea literis auratis inscripta cernitur, hæc continens:

*FRANCISCI VILHELMI Canonici Lundensis & Regii Telonii in arce Hafniensi, instructissimæ hujus Bibliothecæ Fundatoris, Viri Opt. & Ornat. in Domino mor-
tuis anno 1573. die Mart. 22. Epitaphium.*

Hoc pietas, hoc prisca fides, hoc inclyta virtus

Subiecto recubant, marcida facta, solo.

Num terræ repetant tales penetralia dotes?

Per quas ad cælum dicitur esse via.

Scilicet hi tecti cineres & putre cadaver

Virtutum sedes & pietatis erant.

Nam FRANCISCÆ tuæ complesti munera vitæ

Publica: privatæ quæq; fuere domus.

Ut tua perstiterit semper mens conscia tecti,

Famaq; sit nullis contaminata notis.

Nomen at æternum meruit tibi publica facta

A te Doctorum Bibliotheca virum.

Cujus ut est longus meriti septemplicis usus:

Sic tua per cunctos laus erit audta dies.

Spiritus astrifero dudum vestitus amictu

Splendet, & est nivei pars speciosa chori.

In

Interea manes thecam hanc servate librorum,

Vos voluit vigiles hoc superesse loco.

Amico & Collegæ, Viro Opt. & Conjunctiss. memor. grat. ergo CHRIST. MACHAB. Alpinas.

PETRUS PETRÆVS Pastor Ecclesiæ Aahusienſis in Scania, Magister Philosophiæ promotus Hauniæ an. 1633. legavit Studiosis Academiæ hujus 200. th. Imp.

MENTZERS CHRISTOPHORIF. Pastor Ecclesiæ Cathedralis Nidrosienſis, Episcopi Petri Skelderupii Gener legavit Academiæ sortem 600. th. Imp.

ANNA uxor Johannis Holstii Civis Hauniensis legavit Templo Academico 1000. th. Imper. an. 1633.

GERHARDVS JANI & uxor 200. th. Imp. an. 1609. & **PALÆMON & NICOLAVS PETRI F. F.** fratres 300. th. Imp receptos à Procuratore an. 1626. Templo Academico legarunt.

Index Rectorum & Professorum.

Ætho Johanes Sybellius. Med. p. 85.

Albertus Knopperus. ICTus. p. 89.

Alexander Kynſorum. Med. p. 59.

Amelungus Amelungi, ICTus. p. 60.

Andreas Fris. p. 58.

Petri. Mathem. p. 115.

Laurentii. Theol. p. 136.

Lymvicus. Med. p. 137.

Christiani. Med. p. 152.

Kragius. Pæd. Math. Phys. p. 154.

Antonius. ICTus. p. 58.

Arnoldus Laurentii. p. 58.

Bartolus Bartolinus. Rhet. p. 363.

Bernhardus Frisius. p. 73.

Canutus Valkendorf. p. 59.

Bieskius. Pæd. Græc. p. 229.

Casparus Brokmannus. Pæd. Græc. Theol. Episc. p. 233.

- Bartolinus.** Pæd. Med. Theol. p. 244.
Christianus Torchilli. Med. p. 61.
 Martini. Pæd. Dial. p. 83.
Machabæus. Fæd. p. 125.
Michaëlius. Fæd. Græc. p. 146.
 Johannis. 202.
Longomontanus. Pæd. Math. p. 212.
Janus. Theol. p. 311.
Stougaardus. Rhet. p. 350.
Stenbukius. Heb. p. 413.
Ostfeldius. Med. p. 415.
 Noldius. p. 442.
Christophorus Joachimus. p. 60.
Claudius Johannus. Pæd. 208.
 Plumius. ICTus. p. 273.
Cunradus Affacus. Pæd. Græc. Theol. p. 194.
Daniel Pfeiffius. Theol. p. 436.
Desiderius Fossius. Pæd. p. 150.
Elias Reimpoldus. Med. p. 114.
 Eisenbergius. Pæd. Phys. p. 254.
Erasmus Lærus. Dial. Theol. p. 108.
 Catholmius. Pæd. Dial. p. 114.
 E. Brokmannus. Latin. p. 366.
Vindingius. Græc. Histor. & Geogr. p. 384.
Bartolinus. Math. & Med. p. 420.
 J. Brokmannus. Theol. p. 431.
Ericus Nicolai. p. 55.
 Olai. Math. p. 338.
Fredericus Andreae. L. Arab. Dial. p. 340.
Gellius Sacerides. Med. p. 209.
Georgius Huit. p. 57.
 Boëthius. Pæd. p. 71.
 Dybvadius. Math. Theol. p. 141.
 Fromius. Latin. Math. p. 359.
 Hilarius. Latin. p. 400.
Hadrianus Junius. Med. p. 122.
Hermannus Nicolai. Pæd. Hebr. p. 225.
Hilarius Johannis. Pæd. Math. p. 88.
Jacobus Fabricius. Phys. p. 1.
 Bordingus. Med. p. 95. |
 Matthiæ. Pæd. p. 123.
 Svenonis. Pæd. p. 127.
 Matthiæ. Pæd. Græc. Theol. p. 131. |
Erasmius. Pædag. p. 280.

- Hasebardus. Pæd. p. 281.
- Finckius Math. Phys. p. 289.
- Matthiæ. Rhet. p. 321.
- Canutius. Theol. p. 404.
- Henricus Pauli. Anatom. Histor. p. 440.
- Janus Synningius. Dial. Theol. p. 68.
- Skelderupius. Phys. p. 90.
- Jerfinus. Metaph. Phys. p. 278.
- Birkerodius. Græc. p. 428.
- Jaspar Henrici. p. 56.
- Johannes Alberti. p. 58.
- Luhe. p. 58.
- Bugenhagius. Theol. p. 66.
- Machabæus. Theol. p. 71.
- Albertius. Græc. Dial. Theol. Episc. p. 83.
- Monasteriensis. Pæd. Græc. p. 87.
- Lubekus. Pæd. p. 89.
- Aurifaber. Pæd. Rhet. p. 103.
- Sacerides. Hebr. p. 104.
- Magni. Pæd. Græc. p. 107.
- Francisci. Med. p. 110.
- Blok. Pæd. p. 127.
- Hemmingius. Pæd. Græc. p. 127.
- Pratensis. Med. p. 128.
- Erasmi. Pæd. Math. Phys. p. 151.
- Slangendorffius. Theol. p. 157.
- P. Resenius. Dial. Theol. Episc. p. 175.
- Stephanus. Dial. p. 193.
- Alanus. Pæd. Græc. Dial. Græc. p. 203.
- Michaëlius. Pæd. p. 270.
- Brokmannus. Eth. Metaph. Phys. Theol. p. 283.
- J. Resenius. Eth. Math. Dial. Theol. Episc. p. 298.
- Christophori. Græc. p. 325.
- Svaningius. Ling. Or. Theol. Episc. p. 332.
- Zoëga. Dial. & Metaph. p. 361.
- Mullerus. Ctus. p. 380.
- Vandalinus. Hebr. Theol. p. 397.
- Brokmannus. Theol. p. 40.
- Jonas Venusinus. Rhet. & Histor. p. 201.
- Ivarus Bartolinus. Pæd. p. 100.
- Stubæus. Pæd. Hebr. p. 153.
- Laurentius Iacobi. Pæd. p. 443.
- Alburgensis. Pæd. p. 443.
- N. Scavenius. Pæd. p. 194.

- M. Scavenius. Theol. Episc. p. 345.**
Leonhardus Metznerus. ICTus. p. 218.
Ludolphus Prighius. Philos. p. 90.
Marcus Jordanus. Math. p. 90.
Matthias Petri p. 59.
 Hak. Math p. 70.
Nicolaus Rosengard. p. 63.
 Urne. p. 63.
Hemmingius. Græc. Dial. Theol. p. 74.
Scavenius. Math p. 92.
Hammerus. Pæd. Græc. Dial. Græc. p. 116.
Ripensis. Pæd. p. 143.
Theophilus ICTus. p. 147.
Kragius. Græc. p. 192.
Petræus. Hebr. Theol. p. 306.
Paulinus. Theol. p. 341.
Olaus Chryostomus. Hebr. Theol. p. 67.
 Vormius. Pæd. Græc. Phys. Med. p. 254.
 Borrichius. 431.
Paulus Andreae p. 58.
 Reff. p. 59.
 Eliæ. Theol. p. 60.
 Matthiæ. Pæd. Græc. Dial. Theol. & Episc. p. 92.
 Martinius. Pæd. p. 233.
Petrus Alberti p. 55.
 David. Theol. p. 57.
 Petri. Theol. p. 58.
 Palladius. Theol. & Episc. p. 63.
 Parvus. Rhetor. p. 69.
 Paulinus. Græc. p. 70.
 Svavenius. p. 74.
 Capitaneus. Med. p. 85.
 Severini. Pæd. p. 117.
 Haggæus. Pæd. Græc. Dial. p. 143.
 P. Vinstrupius. Theol. & Episc. p. 170.
 Gelstrupius. Pæd. Græc. Dial. p. 265.
 Kærulius. Pæd. p. 273.
 P. Vinstrupius. Phys. p. 328.
 Spormand. Histor. & Geogr. p. 334.
 Scavenius. ICTus p. 419.
 Relenius. Eth & ICTus p. 424.
Reimpertus Gilsheimius. ICTus. p. 82.
Severinus Chiliani. Pæd. p. 122.
 Petræus. Eth. p. 370.

- Simon Pauli.** Anatom. p. 355.
- Thomas Scotus.** p. 63.
- Zegerus. Med. p. 68.
- Finkius. Math. Rhet. Med. p. 160.
- Bangius. Hebr. Theol. p. 314.
- Bartolinus Philol. Anat. Med. 378.
- Tilemannus Slecht.** p. 57.
- Hufensis. Theol. p. 67.
- Tycho Asmundius.** Pæd. p. 103.
- Brahe. p. 136.
- Vilhelmus Langius.** Math. p. 397.
- Vormius. Phys. p. 440.
- Vincentius Stegius.** ICtus p. 61.
- Vitus Beringius.** p. 392.
- Vulfgangus Rhumannus.** Pæd. Rhet. Dial. p. 221.

Pietati in Parentem quod hanc paginam alias vacaturam dederim; me facile veniam impetraturum confido.

PAULUS IANI F. COLDINGIUS, natus est Coldingæ Cimbrorum an. 1581. d. 27. Mart. Patre Iano Pauli f. Senatore Urbis & Vectigalium Præfecto Regio: Matre Magdalena Arnoldi Falenkampii Mercatoris Vestphali filia. Post percepta domi pietatis & artium rudimenta, in Sorensensem Scholam, beneficio Cancellarii Regii, **NICOLAI KAAS** qui baptismi infantis testis fuerat, missus est an. 1594. in Aprili, Rectore M. Iohanne Stephano. Ibi sex annos transegit integros: sed eorum duobus postremis etiam studis præfuit Generosi pueri, Palæmonis Rosenkrantzii, qui post Eques Auratus, Regius Præfectus & Legatus ad Extercos Principes fuit, quiq; hanc sibi ab ipso locatam operam constanti erga ipsum benevolentia postea compensavit. An. 1600 in Aprili Hauniam concessit: ubi, impetratâ Civitate Academica, Rectore D. Vinstrupio Episcopo, & Decano D. Thoma Finkio, semel tre unum apud M. Stephanium Veterem, & jam Academicum quoq; Præceptorem, & alterum in ædibus Patru sui Ivari Pauli f. Consulis Hauniensis, substitit. Ineunte vere an. 1601. uberioris cultus gratia in Exteras Academias discessit, & circa diem Baptistæ in familiam Magni Astronomi, illustr. **TYCHONIS BRAHE**, tum Pragæ in Bohemia degentis, receptus, non ante ab inclyto Herœe, quam ei extremum officium fecisset, discessit. Tum peragrata Bohemia ac Germania, postquam Vitebergæ studiorum causa aliquandiu substitisset, Italiam adit, ac Ferrariam in primis studiorum sedem elegit. Reversus in Patriam an. 1604. in Martio, mox cum Stenone Malthæo Regni Senatore & Archistratego ad Thermas Carolinas in Bohemiam profectus est. Redeunti Hauniam, d. 6. Decemb. ejusdem anni, Summa laurea Philosophica collata est à Decano M. Johanne Erasmo, Rectore M. Ivaro Stubæo. Insequente anno 1605. d. 22. Aug. **Rectoratam Scholæ Alburgensis suscepit**

pit, gessitq; pene triennium, usq; ad an. 1608 quo ad d. 11. Jul. se isto munere abdicavit, vocatus ad munus Ecclesiasticum Vindingense in Sædlandia ab Illustr. Viris, Vilhelmo Dresselberg, Iudice Provinciali Sædlandiæ, & Nicolao Krag, tum Secretario Regio, & post Iudice Provinciali Iutiæ, demumq; Regni Senatore. Eodem anno, cum in Consistorio Hauniensi ageretur de Successore in Pædagogica Professione, inter alios & ipse nominatus est. Inauguratus muneri sacro d. 27. Jul. uxorem paulo post duxit, Viduam Reverendi Viri, cui successerat, Dn. Erasmi Iani f. IOHAN-NAM PETRÆAM Malmogiensem: è qua pater factus est liberorum plurium utriusq; sexus: Iani, qui Lector Theologiæ fuit in Gymnasio Otthiniano: Petri, qui peragrata Germania, Belgio, Gallia, Italia, Hispania, Anglia, Polonia, & ducta uxore Genoveva Ignatia, Erycii Puteani, viri fama orbi noti, filia, obiit Nestadioli: Erasmi, Professoris in Acad. Hauniensi: Ivari, qui post visam Constantinopolin, in aula Transylvaniæ Principis Ragotsky annum vixit, & postea Regis & Regni Poloniæ artis monendi Magister fuit: Magdaleniæ, Iohanni Simonio, Mercatori Nestadiensi: Annæ D. Iohanni Barskero, Episcopo Viburgensi: Catharinæ, Iano Christiani f. Regii ærarii Scribæ supremo & Præposito Iellingensi nuptæ. An. 1615. d. 15. Aug. Ecclesiarum Fori Flackebergensis Præpositus ab Episcopo D. Resenio constitutus est. An. 1622. d. 1. Maj. Res Scholæ Herlusiholmianæ, tum valde accisas, Præsidis nomine, administrandas, simulq; Ecclesiam docendam, iussu Regio, & scholarchæ Palæmonis Rosenkrantzii, veteris sui Discipuli, hortatu, suscepit: debetq; locus ille ipsi non nihil, auctus, ipso Præside, & ædificiis & annuis redditibus: nam & magnificam domum Portalem è fundamento erexit, & habitationes Discipulis commodas, & locum Scholæ nitidum ordinavit segregatum à Cœnaculo, in quo etiam ante docebatur: & rustica prædia aliquot millenis thal. Imp. emta adjecit. Ita rebus ad votum illic constitutis, molestiarum illarum satur, administratione earum rerum se abdicavit an. 1631. d. 7. Sept. ætatis reliquum studiis & Ecclesiastico muneri impensurus. Quòd dum agit, an. 1640. d. 18. Oct. post gravem pene integri anni valetudinem, ad cœlestem quietem evocatur, uxore non nisi in cœtavum diem superstite: adeo ut simul elati uno die, qui 30. Oct. erat, in choro Templi Herlusiholmiani conderentur.

Scripta.

Historia Ecclesiastica de mutatione Religionis in Germania per Lutherum

facta, Ling. Dan. Haun. 1614. in 4.

Etymologicum Latinum. Rostoch. an. 1622. in fol.

Dictionary Herlovianum. Haun. 1626. in 8.

Conciones Funebres, in obitum Vilhelmi Dresselberg & Medæ Dresselberg.

